4.4.440

4 R.4

XXXIV
PORT

SECVRIS EVANGELICA

Ad Hæreſis huius temporis radices poſita

PARS PRIMA.

Heterodoxa Religio proprijs conuicta principijs, ex omni vera religione in Atheiſmum reſolui.

PARS SECVNDA.

Omnes de Religione Chriſtiana diſceptationes, in vna ſola expeditæ controuerſia, de perpetua infallibilitate Romanæ Eccleſiæ.

EDITIO SECVNDA.

Nouis additionibus aucta, & recognita, ab ipſo Authore.

FR. FRANCISCO PORTERO

Hiberno Medenſi, Ord. Min. Prouinciæ Hiberniæ, & in Collegio Romano S. Iſidori, S. Theologiæ Lectore Iubilato.

Ad Illuſtriſsimum, & Excellentiſs. D.

D. COMITEM DE CASTELMA
&c.

Romę Sumptibus Ioſephi Dondini 1687.

Superiorum permiſſu.

Illuſtriſſimo, & Excellentiſſimo D.

D. ROGERIO PALMER,

Comiti di Caſtelmain, Baroni di Limi rick Regni Hiberniȩ Magnati,

SERENISSIMO

D. IACOBO II.

Magnæ Britanniȩ, &c. Regi à Secretioribus Status Conſilijs, & eiuſdem ad Sanctiſsimum D.

INNOCENTIVM XI.

Legato Extraordinario, &c.

IN ſubſidium Tyronum militantis Eccleſiæ, *Illuſtriſsime, & Excellentiſsime Domine*, iterum in prælium deſcenſurus hic liber, ad patrocinium Veſtræ humanitatis accurrit, ſplendorem à proſapia, tutelam à virtutibus accepturus: de proſapia

Tua, quid dicam? quæ vetuſtate illuſtris, nobilitate inſignis, rerum geſtarum claritate celebris, Regibus, Principibuſque chara, viris Toga, & ſago inclytis toties effloruit; quæ tum conſanguinitatis gradibus, tum affinitatis nexibus cum nobiliſſimis Angliæ Familijs, & vt paucas e multis enumerem, cum Northumbriæ, Penbrochiæ, Pouueijſque Comitibus, cum præcipuis alijs Regni Proceribus arctius coniuncta, præclarè luceſcit: ſed fuſius hæc alij commemorent; ego ſingulares virtutes Tuas, labores pro fide orthodoxa ſuſceptos, aduerſitates pro eadem conſtanter exantlatas, admiror, dum toties in arenam pro religionis cauſa prouocatus fortiter ſtetiſti, dum tam ſæpe in anguſtijs, eiuſdem fidei tolerans quæſtionem duriſſimam, aduerſarios eluſiſti confeſſione veritatis, in retinendo orthodoxo dogmate ſurdus ad illecebras, ad minas immobilis, æque ſcribenda faciens, ac legenda pro chriſtiana iuſtitia deſcribens, moribus Tuis fidem ornaſti; neruoſo doctrinæ ſtylo defendiſti: calumniam olim Romano catholicis, per quoſdam nequitiæ magiſtros impactam; & intellectus acumine, & moderatione prudentiæ egregie diluens, illorum ſecuritatem Tuis emiſti periculis, nec proprij commodi ſtudioſus, nec impenſi tenax laboris: in varijs occaſionibus probatus, vbique tam

for-

fortis, quam fælix hoc ipſo nobilitaris ex capite, quod in Tuis recte factis debeantur virtuti omnia, fortunæ nihil.

Quo illa Tua ſiue in fide conſtantia, ſiue in rebus agendis prudentia clarior orthodoxo illuceſceret mundo; ab inuictiſſimo, ac potentiſſimo Domino IACOBO SECVNDO, illo orbis chriſtiani nouo Conſtantino, illo ſtrenuò catholicæ religionis Athlante, ad Apoſtolicam Sedem deſtinaris Legatus, veluti fauſta Columba ferens ad ARCAM ECCLESIÆ, ex occidentalibus regnis pacificum ramum virentis oliuę, diluuij, quo hactenus operiebantur, ceſſantis indicium, hoc ſcilicet in munere, perſpicacitas mentis in corpus vſque refuſa, eam Tibi laudem apponit, vt pari dexteritate cogites agenda, & peragas cogitata: eguit nimirum tanta legatio, iſtius maturitate iudicij, in qua grauiora negotia tam prudenter diſcutis, quam fæliciter promoues, ita emeritam Tibi lauream acquirit tantæ prudentiæ, & probitatis authoritas.

Merentibus proinde in caſtris Domini, vti olim, ita nunc hoc opus exhibeo, & quo ſecuriores parentur ad pugnam, ipſa illis aduerſariorum arma priore parte ſuppedito; ne per varia controuerſiarum capita in multas excurrant ambages; omnia ad caput vnum pars altera reducit, ne multitudo cauſarum, multiplici agitata foro,

 ſine

ſine ſpe componendæ pacis, confuſionem pareret, diſceptationes huiuſmodi, ad vnius cognitionem cauſæ, in vno Eccleſiæ Catholicæ Tribunali peragendas pars eadem recolligit.

Vt vero in lucem prodiret nominis Tui, Illuſtriſſime, & Excellentiſſime Domine, non tam fuit animi mei innata propenſio, quam Ioſephi Dondini Bibliopolæ ardens affectus, cuius impenſis idem opus ſecunda hac vice recuditur, vehementer optantis, vt ſub nutu ductuque Tuo denuo progrediatur in publicum, quod veluti vtriuſque animi perpetuum obſequium ex Collegio Romano S. Iſidori offert, & dedicat.

Illuſtriſſimæ, & Excellentiſſimæ Dominationis Tuæ.

Obſequentiſsimus Seruus

Fr. Franciſcus Porterus.

PARÆNESIS
AD LECTORES HETERODOXOS.

A*cturus communem Religionis Orthodoxæ cauſam, in limine Magnum Auguſtinum, contra epiſt. Fund: Vos alloquentem adduco* Illi in vos ſæuiant, qui neſciunt, cum quo labore verum inueniatur, & quam difficile caueantur errores: illi in vos ſæuiant, qui neſciunt, quam rarum, & arduum ſit carnalia phantaſmata, piæ mentis ſerenitate ſuperare: poſtremo illi in vos ſæuiant, qui nullo tali errore decepti ſunt, quali vos deceptos vident. *Eccleſia vero Catholica, cuius cauſam hic ego ſuſcipio, in vos ſæuire non cupit: ſed teſte eodem Auguſt. ad Feſtum.* Salutem omnium materna charitate conquirens, tanquam inter phræneticos, & lethargicos æſtuãs, vtriſq; ſit, neceſſe eſt, moleſta, quia neutris eſt inimica, nam & phrænetici nolũt ligari, & lethargici nolunt excitari: ſed perſeuerat diligentia maternæ charitatis, phræneticum caſtigare, lethargicum ſtimulare, ambos amare. Inter quos morbos (*inquit idem Doctor, de vtilitate credendi*) cum ſit vterque plerumque mortiferus hoc intereſt, quod lethargici, ſine aliena vexatione moriantur, phræneticus autem multis, & iis potiſſimum, qui volunt ſubuenire, metuendus eſt.

Lethales ægritudines iſtæ, ò Acatholici! inuadũt plerumque eiuſmodi homines, quos erroris veſtri venenum infecit, venenum iſtud vobis ignorantiam infundit, ignorantia odium accendit in Catholicam Religionem; quæ tamen cum Tertulliano in Apologetico ſuo. Vnum geſtit interdum, ne ignorata damnetur: an hoc magis gloriabitur poteſtas veſtrarum legum, quo etiam inauditam damnabunt veritatem? cæterum dum inauditam damnatis, Catholicæ fidei cauſam, præter inuidiam iniquitatis, etiam ſuſpicionem merebimini alicuius malæ conſcientiæ, nolentes audire, quod auditum damnare non poſſetis. Hanc

itaque primam cauſam apud vos collocamus, iniquitatis odium erga nomen Chriſtianum, erga Catholicam profeſſionem, quam iniquitatem idem titulus, & onerat, & reuincit, qui videtur excuſare, ignorantia ſcilicet veſtra. Quid enim iniquius, quam vt oderint homines, quod ignorant etiamſi res mereretur odium; tunc enim meretur, cum cognoſcitur an mereatur: vacante autem meriti notitia, vnde poteſtis odij veſtri iuſtitiam defendere? *Ex iſtiuſmodi ignorantia debachabantur in Chriſtianos ſtolido quondam furore gentiles, ex iſta eadem, odio implacabili exarſerant in Domini Diſcipulos Hebræi, hac ipſa impellente toties in Eccleſiam Catholicam acheronta commouit veterum Hæreſiarcharum ſeducta progenies:* Hoc itaque redarguimus, & ignorare vos, dum odiſtis, & iniuſte odiſſe, dum ignoratis. *Sed placatiore animo veſtro facto, & carnalibus phantaſmitabus, piæ mentis ſerenitate ſuperatis, veſtra quæſo ipſorum dogmata cum noſtris conferte principijs, & perpendite, an non, dum nos impugnatis, vobiſcum ipſi pugnetis.*

Dum damnatis Catholicos, quod Catholicæ Eccleſiæ ſequantur authoritatem, poteſtiſne vobis ipſis magis aduerſari, qui veſtram vultis audiri? nullius admittitis dictum, in rebus fidei: quid igitur nos, vbi leges veſtræ dominantur, in carceres intruditis, in crucem agitis, quod dictum veſtrum in negotio ſalutis æternæ nolimus audire? omnium hominum in cauſa religionis, per vos ſpernenda authoritas; quid igitur tanta ſæuitia, veſtram obtruditis? nulli prorſus credendum aſſeritis; vobis tamen omnino credendum eſſe contenditis. Notate quæſo repugnantiam iſtam. Aſt nos ad ſcripturam, crepitantibus buccis prouocatis, quam ſolam audiri debere vultis, ſed ſolam audiendam eſſe, vobis non debemus credere, qui cuiquam in negotio fidei credendum negatis. Sed ſi ipſam adeamus ſcripturam, arbitrium in hoc veſtrum ſectati, ſane hoc ipſo authoritatem veſtram audiendam nobis offertis: quod manifeſtè conuincit, in religionis cauſa, aliquam audiendam eſſe viuam regulam, adeoque ſic

acce-

accedimus ad cardinem omnium difficultatum, detur ne in hoc orbe infallibilis authoritas, quæ in docendo nec fallere poſſit, nec falli; ſi omnem huiuſmodi negatis, quam quæſo, prærogatiuam Religioni Chriſtianæ, præ Turciſmo, Hebraiſmo, Arianiſmo conceditis, quæ meris hominum coniecturis plerumque nituntur? ſi ad hæc, omnes homines, adeoque, & vos inter omnes mendaces eſſe, errorique obnoxios aſſeritis, hoc ipſo fatemini, vos veſtroſque, in veſtra reformatione, & falli, & ſeduci, & errare, ac profeſſionem veſtram in eo ſitam eſſe, vt ſequaces ſuos poſſit fallere, dementare, & ſeducere. Eſt ne igitur æquum (vobis etiam arbitris) ſequi homines impoſtores, erroneos, & ſeductores? quales vos agnoſcere debetis, dum omnes homines, qua etiam conſtant viſibilem Chriſti Eccleſiam, fallibiles eſſe pronũtiatis: ſubſiſtite igitur nonnihil, & expendite, an non conſentaneum ſit, infallibilem hanc admittere authoritatem, qua ſemel admiſſa, facile Chriſtiani omnes conciliantur in vnum, qua vero negata, quid quæſo homini Chriſtiano de ſua Religione remanet, præter figmentum, & fabulas? nudam ſcripturam ſi iterum inclamatis, inclamant ſimiliter pro ſua cauſa Hebræi, Ariani, Manichæi; ſed ne eandem vos impune pro veſtra ſeceſſione tundatis incudem, primam huius Operis Partem vobis oppono, & quia illa etiam ex veſtris principijs ibidem diſcuſſis, oſtendit authoritatis publicæ neceſſitatem, ſecundam adiunxi, de viſibilis Chriſti Eccleſiæ perpetua infallibilitate, & partis vtriuſque ideam, formatis ſyllogiſmis explico, Vobiſque interim ſpiritum veritatis exopto.

In-

INTRODVCTIO

In qua præſcribitur methodus conuincendi heterodoxos modernos ex proprijs eorum principijs per paragraphos diſtincta.

§ I:

Admonitio ad miſſionarium, quid in reducendis ad veritatem errantibus conſiderare debeat?

MErito quidam exprobrauit multos eſſe, *qui Scholæ, non vitæ diſcunt,* multa inueſtigant, plura norunt, pauca tamen, quæ ad vitam conducunt: Scholaſtica quidem cognitio celebris, ac laudabilis ęſtimatur, poſitiua tamen, ſeu controuerſiarũ diſciplina, vel maxime eſt vtilis: proinde qui ſibi & Chriſtianæ Reipublicæ prodeſſe deſiderat, vtriuſq; diſciplinæ commercio, & facultate munire ſe debet.

Præſertim cum ſit ſaluberrimum charitatis officiũ ab orthodoxa fide aberrantem animam, & propterea grauiſſimo ſalutis ęternæ diſpendio obnoxiam ad certam, & tutam fidei veritatem, (quam rem præcipue intendit polemica facultas) reuocare, ſummenque veritatis ei præferre.

Et licet animorum reductio ab errorum tenebris, ad lucem, ab infidelitate ad fidem, ſit Dei peculiare opus, à nobis tamen eidem operi eſt etiam incumbendum, cum Apoſtolus 2. ad Corinth. 5. dicat *Dei adiutores ſumus, pro Chriſto legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos.*

Prædictam erga errantes reducendos charitatẽ commendat S. Auguſtinus lib. de correctione & gratia *neſcientes enim,* inquit, *quis pertineat ad prædeſtinatorum numerum, quis non pertineat, ſic affici debemus charitatis affectu, vt omnes velimus ſaluos fieri*

ne,

neque enim dictum eſt. Lucæ 10. ſuper quem requieuerit pax veſtra fiet filius pacis. Sed vbi fuerit filius pacis, requieſcet ſuper eū pax veſtra: *ad nos ergo, qui neſcimus quiſnam ſit filius pacis, aut non ſit pertinet nullum exceptum facere*, hæc Auguſt.

In hoc autem charitatis opere nihil aliud exigitur à fideli operario, quam ſincera intentio, labor, ac diligentia ad ſuſceptum opus peragendum, non vero effectus ſiue conuerſio ipſa: *abundantius omnibus laboraui*, inquit Apoſtolus Paulus, 1. ad Cor. 15. non vtique plus omnibus conuerti: ſatis eſt medico adhibuiſſe pharmaca neceſſaria, quamuis non obtineatur ſanitas: ita ſufficit Chriſti ſeruis ex officio ſinceriſſimæ charitatis prouidere, & exhibere quidquid opportunius videbitur ad ſalutem, & conuerſionem errantium, licet ſubinde non ſequatur ipſa conuerſio, quæ ita pendet à ſubſidio diuinæ gratiæ, vt ſine illa, *nec qui plantat ſit aliquid, nec qui rigat, ſed qui incrementum dat Deus.*

Vnde ſæpe accidit, vt erudituſſimus aliquando Theologus validis etiam argumentis, & rationibus nihil promoueat: alius vero inferioris doctrinæ, & capacitatis errantem conuertat: quo caſu locum habet illud Apoſtoli, 1. ad Corinth. 1. *Quæ ſtulta ſunt mundi elegit Deus, vt confundat ſapientes, et infirma mundi elegit Deus vt confundat fortia, &c*, opportune proinde in huiuſmodi opere prudentiæ, & doctrinæ, & verboſo diſceptādi modo iungitur humilitas mentis, & chriſtiana modeſtia, qua licet adhibita, cauendum tamen, ne remiſſius ſub ipſius modeſtiæ prætextu, procedendo fides detrimentum patiatur, & vera religio videatur aduerſario, non ſufficientibus niti argumentis.

§. II.

Deteguntur radices ex quibus error obcæcatio, & pertinacia modernorum Acatholicorum pullulant.

RAdices prædictæ ad tria potiſſimum capita reduci poſſunt.

Et primo quidem ad præiudicia, quæ finguntur à modernis ſectarijs de prætenſo Eccleſiæ Romanę defectu, & lapſu in idololatriam, & ſuperſtitiones, & hinc plurimi his mendaciſſimis opinionibus, ac temerarijs iudicijs præoccupati, falſo ſe ſolos putantes *catharos*, ſiue puros, pereunt, vt ait contra Donatiſtas Auguſtinus, *in ſacrilega diſcordia, alienati ab Eccleſia Dei:* cuiuſmodi præiudicia confuto tota ſecunda parte huius operis.

Secundo reuocari poſſunt eędem radices ad cōtumelioſas, & iniquas informationes, quibus ſiniſtre præuenti Summum Pontificem, non aliter, quam Antichriſtum, & Tyrannum habent, nec alio paſſim nomine indigitant, cæteros vero Eccleſiæ præſules indignis vocabulis inſectantur. Sic in Scholis prętenſæ reformationis edocti, hærent in tenebris, & vmbra mortis æternæ: hoc etiam præiudicium à me refutatur ſecunda parte diſt. 6. & 8. vbi nota memoratum præiudicium ideo à ſectarijs fingi, ne libertatis reformatæ priuilegijs excidant, & Eccleſiæ atque Apoſtolicæ Sedis iudicio ſubijciantur, cum tamen ipſi elata ſuperbia velint omnes in rebus religionis ſuo ſubeſſe ſupercilio, vt patet in eorum legibus cōtra recuſantes eorum ſciſma amplecti, conditis.

Tertio denique reduci poſſunt præfatæ radices ad falſiſſimas, & fallaciſſimas præſumptiones, quibus ſibi perſuadent, dogmata prætenſæ reformationis eſſe puriſſimum Dei Verbum, Romanæ vero, ſeu Catholicæ Fidei articulos, non eſſe niſi mera hominum placita, & inuenta prima pars huius præiudicij fuę tatur à me tota prima parte huius operis, altera pars refu-

refutatur in ſecunda paſſim, ac præſertim,*diſt.9.* Ad has radices aliæ etiam reuocari poſſunt, & primo odium veritatis, plurimis enim ex prætenſa reformatione, vel ſeuerior, vel durior videtur ipſa fidei veritas, quam ferant praua ipſorum deſideria, & mores corrupti.

Secundo horror ieiuniorum, & operum pœnitentiæ.

Tertio pigritia, & tędium frequentandi cultum, laudeſque diuinas, iuge ſacrificium.

Quarto voluptatum, illecebrarum, & proprij corporis ſaginandi, & indulgentius tractandi ſtudium & amor.

Quinto Sacramentalis pœnitentiæ, & confeſſionis auerſio.

Tandem hæreſis fomenta ſemper fuerunt *libido, ambitio, ſuperbia,* ſiue vt ait S. Ioannes Euangeliſta, *concupiſcentia carnis, concupiſcentia oculorum, ſuperbia vitæ.*

§. III.

Status controuerſiæ inter catholicos Romanos, & prætenſos reformatos explicatur.

NVllus ab exordio eccleſiæ extitit hæreticus, qui non illa peſtifera opinione deceptus fuerit, ſe ſcilicet puro Dei verbo niti, ſuamque doctrinã illo ſtabiliri, & conſequenter qui non hac falſa imaginatione illectus in errore perſtiterit: vel ſaltem, nullus fuit, qui quantumuis conſcius fuerit, ſe puro Dei verbo deſtitui, non tamen illud præ ſe tulerit, & palam venditauerit, vt fucum faceret, & miſeris animabus laqueum inijceret, quod ipſum cõtingit modernis Acatholicis, hac ipſa illecebra miſere captis: vnde operæ pretium eſt, imo præcipua conuerſionis ſpes in eo conſiſtit, vt larua illa detracta, hereſis in ſuo natiuo vultu conſpiciatur, in quo tota eſt prima pars huius libri, quæ hæreſim ſuis coloribus pingit.

Non

Non eſt igitur inter vos, & Acatholicos controuerſia *Vtrum credendum ſit verbo Dei*, libenter enim, & expreſſe fatemur, verbo Dei firma, & inconcuſſa fide aſſentiendum eſſe, omnemque intellectum ſubmittendum eſſe infallibilibus illius oraculis: ſed hoc præciſe controuertitur, *Vtrũ id quod Acatholici ſiue prætenſi reformati proponunt credendũ contra articulos ab eccleſia Romana creditos, ſit purũ, & expreſſum Dei verbum. cui nullatenus fas eſt contradicere, an vero ſit verbum hominum fallibile, cui poteſt ſubeſſe falſum.*

Conſequenter, *Vtrum prætenſorum reformatorum ſeparatio ab Eccleſia Romana ſit propter illud ipſiſſimum verbum Dei, an vero propter verbum hominũ.* Si propter verbum hominum, certe eiuſmodi ſeparatio eſt grauiſſimum, & maxime abominandum ſciſma, & quidem longè funeſtius, quam olim fuerit *contradictio core* (nu. 16.) ſciſmaticorum anteſignani, atqui non *propter verbum Dei*, ſed propter verbum hominum factam fuiſſe luctuoſam illam diuiſionem, qua velut hiatu quodam, tot myriades animarum abſorptæ in infernum præcipites ruunt; tota prima parte luculenter oſtendo.

Non enim prætenſæ reformationis Anteſignani diſceſſerunt ab Eccleſia Romana, propter articulos in quibus ipſi, & eorum ſequaces, cum eadem eccleſia conueniunt quales ſunt *De Deo Vno, & Trinitate, de Incarnatione alijſque Symboli Apoſtolici articulis, ac præceptis decalogi*; ad quid enim ſepararentur, propter articulos quos vna nobiſcum profitentur, & amplectuntur.

Supereſt itaque vt propter articulos, quos contra fidem eccleſiæ Romanæ credendos proponunt, ſe ſe ab eadem eccleſia ſepararint, quorum nonnullos recenſeo prima parte, alij videri poſſunt in confeſſionibus reformatis Angliæ, Scotiæ, Hollandiæ, Galliæ, &c.

Vti autem de nouatoribus eccleſiam Dei impugnantibus per fictam ſcripturarum apparentiam, verum

rum eſt, quod *cogitauerint conſilia, quæ non potuerunt ſtabilire, & mentita ſit iniquitas ſibi*; ita mirabili diuinæ prouidentiæ diſpoſitione factum eſt, vt vix vllæ ſint inſigniores hominum nequitiæ, quæ non habeant præter perfrictam impudentiam, notabilem etiam imprudentiam annexam, ex qua deprehendi, ac innoteſcere poſſint, ac facilius caueri, alioqui vix eſſet, qui euaderet ſi fraudes, & impoſturæ, ſic exactis prudentiæ politicæ regulis dirigerentur, vt nullo modo detegi poſſent.

Bene enim nouerunt prætenſi reformati, quantum *Verbo Dei* deferant, quotquot verum Deum colunt, aut ſe colere imaginantur, vel ſaltem fingunt, itaque cum noua dogmata mundo molirentur obtrudere, primi prætenſæ reformationis cæci duces, Lutherus, Caluinus, & alij, hoc primum fuit illis conſilium, omnia ad Dei verbum reuocare. Speciofus vtique fuit prætextus, quis enim verbo Dei auderet ſe opponere, niſi impius, vel Atheus: Sed quia præuidebant, *Si verbum Dei traditum, ſeu non ſcriptum*, admitterent, illico præuaricatores ſe fore cauſæ ſuæ, eamque iugulaturos, hinc illis viſum fuit, *verbum Dei, ad ſolum ſcriptum, contrahere, & omne traditum, ſeu non ſcriptum verbum*, omnino repudiare. Vnde effectum eſt, vt ad ſolas ſcripturas prouocarent, eaſque in idioma vernaculum verterent, & populo venditarent; totque haberent interpretes, & iudices, quot ſunt capita ſutorum, ſartorum, mulierculárum &c.

Sed vere *defecerunt ſcrutantes ſcrutinio*, mox enim iuſto Dei iudicio velut obliti fundamentalis illius principij, eos propoſuerunt in ſuis pubicis confeſſionibus, & peculiaribus Catechiſmis, fidei non diuinæ, ſed Lutheranæ, Caluinianæ &c. articulos, contra fidem eccleſiæ Romanæ credendos, quorum ne vnus quidem, ſine *additione, detractione, mutatione*, vt ad palatum ipſorum loquar, legi poſſit in Scriptura ſacra, quam ipſi aſſignarunt regulam totius veritatis, vt videre licet prima parte diſtinct. 1.

Qua-

Quare manifeſto Dei iudicio ſunt prorſus inexcuſabiles. qui cum norint legere, & intelligere, nolunt tamen oculis proprijs experiri (vti in re tanti momenti facere deberent) vtrum articuli illi cōtra fidem Romanæ eccleſiæ à prætenſis reformatis crediti, & propoſiti, legi poſſint ſine *additione*, *detractione*, *mutatione*, in Scriptura ſacra, quæ ipſis eſt regula totius veritatis &c. quod vt melius ſcias addo equentia.

§. IV.

Obſeruanda, & cauenda inter diſceptandum cum Acatholicis, ſiue prætenſis reformatis.

SCiendum ex §. præcedenti, modernos Acatholicos renunciaſſe traditionibus, authoritati patrum, Conciliorum, Romani Pontificis, ac totius eccleſiæ, reſtringendo ſe ad nudum ſcripturæ corticem, prætendentes nihil omnino credendum, niſi quod in eadem ſcriptura habetur expreſſe, ac de verbo, ad verbum, ſine gloſſa, vel conſequentia: vnde ipſi tenentur omnes ſuos ſpeciales articulos, quos contra fidem Romanæ eccleſiæ tenent. in eadem ſcriptura expreſſe monſtrare, vel eiſdem articulis renunciare, iuxta illud ipſum eorum principium.

Quare ſi occurrit diſceptandi occaſio, obſeruādum primo, vt eligatur articulus, de quo diſputatur & qui has habeat conditiones, nempe, vt ſit vnus, nō plures, alias generatur confuſio, ſit controuerſus inter partes, proponatur in proprijs terminis, & præſertim ex profeſſione aduerſarij: poſtea ad alios articulos deueniri ſucceſſiue poteſt, expedito primo, non diuagando huc illuc, ſed ſiſtendo in puncto aſſumpto, donec abſoluatur.

Secundo obſeruandum eſt, quod cum prætenſi reformati ſint accuſatores eccleſiæ Rumanæ teneantur iuxta ſua principia eos articulos, quos contra

eam-

eundem in ſuis Cathechiſmis, & confeſſionibus inſeruerunt, ac fabricauerunt, probare ex nudo ſcripturæ cortice, ſinè gloſſis, vel conſequentijs, cum ipſa ſola, ſecundũ eos ſit regula totius veritatis,& iudex omnium controuerſiarum: hinc merito prouocandi erunt, vt nouam hanc religionem, quam mundo inuexerunt, quoad ſpeciales illius articulos Romanæ eccleſię cõtrarios, monſtrent de verbo ad verbum in ſcriptura clara, & expreſſa, quod in æternũ præſtare nequibunt, atque adeo tenentur eidem religioni renunciare.

Tertio obſeruandum eſt, ne inter diſputandum mutetur perſona, ideſt cum Acatholici ſint actores, & accuſatores Catholicus loco, quo debet aduerſarium inducere ad probandum ex ſcriptura ſuam religionem, ipſemet aſſumat probare ſuam fidem: nam antequam id faciat, debet procurare vt aduerſarius prius oſtendat ſuam religionem haberi in ſcriptura vt olim iactabant prætenſi reformati, quam Catholicus probet ſuam, quod ſi aduerſarius id non poſſit facere,fateatur eandem ſuam religionem eſse falſam.

Quarto obſeruandum vt aduerſarius inducatur ſtare ſuis principijs,ſcilicet, vt ſuos ſpeciales articulos oſtendat in nuda & exprefsa ſcriptura, nec permittatur procedere ad gloſsas vel conſequentias, niſi prius fateatur, ſe non poſſe eoſdem articulos probare per nudam ſcripturam, hic certe aduerſarius hærebit inter malleum,& incudem.

Fraudes vero, quas inter diſputandam ſolent nonnulli prætenti reformati intermiſcere. Inprimis cauendæ ſunt,& prima eſt,qua ſolent aduerſarij mutare punctum difficultatis aſſumptæ, quod non eſt permittendum donec prior difficultas diſcutiatur an articulus aduerſarij reperiatur de verbo ad verbum in ſcriptura.

Secunda eſt,quod ſoleant plures ſimul quæſtiones proponere vt confuſionem pariant.

Tertia eſt quod proponant quæſtiones, quæ

apud nos ſunt meræ ſcolaſticorum opiniones, non vero articuli fidei.

Quarta eſt, quod mutent perſonam vt cum non poſſint probare ſuos articulos ut ſupra, conijciant onus probandi in catholicum, ut ipſi difficultatem euadant.

Denique agendo cum ſequacibus prætenſę reformationis poteſt ab eis peti an ſint certi quod proprij, & ſpeciales articuli eiuſdem reformationis, Romanæ eccleſiæ contrarij, inueniantur expreſſe in ſcriptura uel non, ſi primum, oſtendantur in eadem: ſi ſecundum nempe ſi non inueniantur, hoc ipſo fateantur ſe eſſe deceptos: rurſus petatur ab eis, an illi articuli Romanæ eccleſiæ, quos prætenti reformati reijciunt, & impugnant, ſint difformes, & expreſse contrarij claris & expreſſis ſcripturæ textibus, ſi ſunt, oſtendant difformitatem, quod nunquā facient: ſi non ſunt: ergo reformati ſunt calumniatores, & falſi accuſatores.

§. V.

Quomodo Acatholici ex præcipuo ſuo propugnaculo pro ſtabilienda ſua prætenſa reformatione a ſcriptura petito deturbari poſſunt?

QVam parum faueat prætentis reformatis hoc medium ſiue propugnaculum, pro iuſtificanda ſua ſeparatione ab eccleſia Romana, uide prima parte diſt. 1. quæſt. 1. & 2.

Bellum indixerunt Romanæ eccleſiæ prætenti reformati, ſub hac uana iactantia, qua crepitantibus buccis gloriabantur, ſe ſua dogmata reformata depromere ex nudo ſcripturæ cortice: ſub hoc prętextu ſeduxerunt plebem: Vbi nota ſcripturā poſſe conſiderari dupliciter, primo in terminis expreſſis de uerbo ad uerbum, *ſine additione, diminutione, gloſſa, vel conſequentijs*. Secundo cum gloſſis, & conſequentijs.

Vrgen-

Vrgendus igitur erit Acatholicus, ut pro articulis proprijs & ſpecialibus ſuæ reformationis, Romanæ eccleſiæ contrarijs ſtabiliendis, producat primo ſcripturam in terminis expreſſis, ac de uerbo, ad uerbum, antequam procedat ad gloſsas & conſequẽtias, quod quidem facere tenetur aduerſarius, niſi deſerat ſua ipſius principia, quibus olim prętenti reformati iactabant ſe ſuos articulos ſpeciales in nuda ſcriptura demonſtrare.

Si aduerſarius dixerit, quod ſcripturam producet interminis æquiualentibus, tunc uidendum, an ſit mutua æquiualentia ſcripturæ ad uerba, & uerborum ad ſcripturam, deinde producat textus expreſſos, pro ſuis articulis, ſin minus, fateatur ſe id non poſſe, & ſi diſtulerit fateri, ſignum eſt ipſum cauſa cadere.

Vnde ſequitur licitum eſse catholico Romano, ex propria Acatholicorum norma credendi, eos prouocare, primo ad nudam ſcripturam, addendo ſe ſuſtinere generatim, quod ex tota prætenſæ reformationis profeſſione, non poſſit vel vnus articulus controuerſus oſtendi in ſcriptura expreſse, vel vllus articulus controuerſus ex Romanæ Eccleſiæ religione, per eandem ſcripturam expreſſam condemnari ſumendo etiam ſcripturam iuxta verſionem prætenſæ reformationis quæ hactenus apparuit, petat catholicus vbi in ſcriptura habetur expreſſe hic articulus Acatholicus, *corpus Chriſti non eſt ſub ſpeciebus rite cõſecratis: duo tantum ſunt Sacramenta?* Vel vbi in ſcriptura habetur textus expreſſus, & cõtrarius huic articulo, *Corpus Chriſti eſt ſub ſpeciebus rite conſecratis*, nunquam hoc oſtendent Acatholici.

Aduerſarij his anguſtijs preſſi ſolent recurrere ad digreſſiones, vel producere textũ corruptũ & mutilum; v. g. quod Sancti non ſint inuocandi, adducunt illum locum 1. ad Tim. 1. *Vnus ſolus eſt mediator Dei, & hominum homo Chriſtus Ieſus,* vbi addunt li *ſolus,* & tamen adhuc non ipſis fauet, ſi legatur integre addendo ſequentia nempe, *qui dedit redemptionem*

ſeipſum pro omnibus; quod fatemur libenter,nempe eum ſolum dediſſe ſe redemptionem, hic tamen non negatur inuocandos eſſe ſanctos.

Solent replicare Acatholici ſe non teneri ſuos articulos negatiuos probare ex ſcriptura v. g. *non purgatorium, non realis præſentia , non miſſa &c.* Sed contra , etiam ſcriptura habet articulos negatiuos, vt *Deum non poſſe mentiri, non poſſe mutari*, item pleraque decalogi præcepta ſunt negatiua , igitur ſi religio reformata fundatur in articulis negatiuis, vel Acatholici debent eos monſtrare expreſſe in ſcriptura, vel eiſdem , & ſuæ reformationi renunciare. Vide diſt. 1. 1.par.qu.2.art.2. 3.4.5.

Preſſi hoc modo aduerſarij ſolent vti diuerticulis, & petere à catholico vbi habetur purgatoriũ, vel miſſa &c. in ſcriptura ? hic debet Reſpondere catholicus, pro hoc fore alias locũ, interim aduerſarius oſtendat ſuam religionem eſſe in ſcriptura expreſſe, & ſi non monſtret, fateatur eam non eſſe veram, catholici autem vtuntur ſcriptura , vt expoſita eſt ab eccleſia, Acatholici vero nudę inſiſtẽtes ſcripturæ, ſuam religionem iugulant, & ad impoſſibile deducunt , vt oſtendit tota diſtinctio prima , primæ partis.

§. VI.

Quomodo Acatholicorum recurſus ad ſcripturæ interpretationes,gloſſas, vel conſequentias inde deductas, diſſolui poſſit,oſtendendo vitia,quæ vim articuli in talibus gloſſis,vel conſequentijs fundati, omnino deſtruunt.

ADuerſarij olim ſuperbo ſupercilio, & pleno ore iactabãt ſe nihil velle credere,vel credendũ proponere niſi quod haberetur in ſcriptura expreſſe, ac de verbo ad verbum ſiue additione , mutatione,gloſſis, vel conſequentijs, ſed hoc deſperatum principiũ deſerere coacti ſunt,vt manifeſta experientia conſtat in ſpecialibus eorum articulis , ex quibus conflantur illo-

illorum catechiſmi, & confeſſiones, ac tandem receptui canere, & miſero effugio ad gloſſas, & conſequentias recurrere, vbi tamen non euadent.

Si ergo prætenſi reformati adducant aliquam ſcripturæ expoſitionem ab ipſis excogitatam pro ſuis articulis ſtabiliendis, illa in principijs ipſorum patitur exceptionem, vt eius interpretatio nequeat fũdare fidem diuinam cui nequeat ſubeſſe falſum, nam cum ſecundum eos, ſola ſcriptura ſit iudex omnium controuerſiarum & regula totius veritatis, ſi illa non pronunciet eiuſmodi expoſitionem eſſe reuelatam à Deo, talis expoſitio etiam ſecundum eos, non debet recipi tanquam veritas fidei diuinæ: quando ergo aduerſarius aſſumeret explicandum v.g. *hoc eſt corpus meum*, dicendo debere explicari, per hæc alia verba, *Ego ſum viti vera*, vel per iſta *hoc facite in meam commemorationem*, vt ſenſus ſit, inquiet, ſicut Chriſtus non fuit niſi figuratiue vitis, ita, quod dedit, non fuit niſi figuratiue ipſius corpus, atque adeo prætenderet idem aduerſarius probare, vel explicare vnum textum ſcripturæ, per aliũ textum: hoc caſu petere oportet, an ipſa ſcriptura dicat hæc verba, *hoc facite in meam commemorationẽ*, eſſe eadem cum his, *ſpecies non niſi figuratiue ſunt Corpus Chriſti*, vel bene explicari per illos textus; ſi ſic, oſtendat vbi ſcriptura id dicat, vel vbi ſe ipſam explicat, vti facit Act.2. verſ.14. Matth. 21. verſ.42. quibus locis Chriſtus & Apoſtoli explicant ſcripturam per ſcripturam, quod non competit aduerſarijs qui negant omnem infallibilitatem eccleſiæ, conciliorum, & omnium hominum.

Secunda exceptio contra gloſſas aduerſariorum eſt, quod nunquam ſumantur ex ſola ſcriptura, ſed adiunctis alijs propoſitionibus nullibi in ſcriptura repertis, quare claudicat illa gloſſa, ne ſit de fide.

Tertia exceptio contra eaſdem eſt, quod aduerſarij in illis iuſtificandis, non aſſignent iudicem, ne quidem ipſam ſcripturam, quæ dicat illas eſſe validas, aut veras.

Quarta exceptio, eſt, quod cum prætenti reformati pro communi axiomate habeant, omnes omnino homines eſſe fallibiles, & falli poſſe in rebus fidei, imo ipſam eccleſiam eiuſque paſtores, patres, concilia errare poſſe, & erraſſe ſæpius, certe quæcumque gloſsa, expoſitio, ſeu interpretatio ab aduerſario excogitata, & adducta pro ſuo peculiari dogmate ſtabiliendo, patietur hoc ipſum fallibilitatis vitium nec enim vllus prætentus reformatus, in hoc genere plus ſibi poteſt arrogare, quam tribuit toti eccleſiæ, & cæteris mortalibus, quibus Acatholici, omnem negant infallibilitatem: Vnde peti poteſt ab aduerſario an ſit fallibilis in expoſitione huius textus v. g. *Hoc eſt Corpus meum*, quem locum prætendit habere tantum ſenſum figuratiuum; vel non ſit fallibilis? eligat quod voluerit: ſi eſt fallibilis, iam articulus innixus tali expoſitioni fallibili, neceſſe eſt vt ſit etiam fallibilis, adeoque non poteſt fundare fidem diuinam, quæ falli nequit.

Si aduerſarius dicat ſe non eſſe fallibilem in facienda illa ſua expoſitione: replicandum, quod ſecundum ipſius principia, omnes omnino homines, ex quibus ipſe eſt vnus, ſint fallibiles, ergo & ipſemet; vnde ſub vano prætextu fallibilitatis eccleſiæ, paſtorum, conciliorũ, & Patrum, Acatholici ſepararunt ſe a Romana eccleſia, hodieque perſiſtunt in *Contradictione core*; oſtendant prætenti reformati ex ſcriptura clara, & expreſſa priuilegium infallibilitatis, quod omnibus omnino hominibus negant, ipſis competere. Euaſiones eorum præcludo prima part. diſtin. 1. quæſt. 1. & 2.

Quinta exceptio inde petitur, quod expoſitiones ab aduerſarijs excogitari ſolitæ fundẽtur partialiter in aliqua propoſitione naturali, atque adeo non poſſunt fundare articulum fidei, vt oſtendo in ſequentibus prolegomenis, hyppotheſi quinta.

Sexta exceptio ſumitur ex eo, quod interpretationes aduerſariorum, ſint plerumque contradictorie oppoſitæ, expoſitionibus patrum priorum ſæcu-

lorum,

lorum, ſuper eundem textum controuerſum. Nam hunc textum, *Hoc eſt Corpus meum*, patres prædicti exponunt litteraliter de reali præſentia vt paſſim apud eoſdem videre licet, Acatholici vero exponunt metaphorice, nunc petat quis ab eiſdem, cur potius debeamus credere illis ſic exponentibus, quã patribus, pro quibus ſtant antiquitas, ſanctitas, authoritas, miracula? certe his potius.

Septima deniq; exceptio eſt quod interpretationes aduerſariorum in articulis controuerſis, nitantur falſis principijs atque adeo nequeunt fundare fidem Diuinam: corradunt enim ex abvſu hinc inde propoſitiones ex Ariſtotele, Plutarcho & alijs Ethnicis authoribus, ex quo apparet, aduerſarios iam recedere a ſuis primis principijs, quibus iactabant ſe ſoli inſiſtere Scripturæ v. g. vt probent hunc textum, *Hoc eſt Corpus meum*, facere tantum ſenſum figuratiuum, Addunt illum alium locum, *Hoc facite in meã commemorationem*, vbi adiungunt de ſuo, *memoria autem ex Ariſtotele eſt rerum abſentium*; vbi nota eos, ex ſcriptura ſaltare ad Ariſtotelem, quæ tamen propoſitio non eſt vniuerſaliter vera. Nam Rex Dauid ait, *memento Domine Dauid*, & tamen, Deus ad cuius memoriam recurrit Dauid, fuit præſens ipſi.

Diffiſi aduerſarij, ſuis expoſitionibus pro articulis controuerſis, recurrere ſolent ad conſequentias, quas prætendunt ex ſcriptura deducere, in quibus tamen exceptiones præcedentes inuenies. Nam primo non reperiuntur in ſcriptura: prout reperiri deberent ex principijs aduerſariorum: ſecundo, nulla eorum conſequentia deducitur ex ſola ſcriptura, ſed aliunde: tertio non aſſignatur iudex competens, qui dicat illam eſſe bonam vel veram: quarto aduerſarius ex ſuis principijs non eſt infallibilis, in illa deducenda. Quinto ſolent illę conſequentiæ partialiter niti propoſitione naturali. Sexto, ſolent eſſe contradictorie oppoſitæ expoſitionibus vel conſequentijs Sanctorum Patrum ſuper eoſdem texus, Septimo deducuntur ſubinde ex principijs falſis.

Hi ſunt labyrinthi, in quos ſe coniecit prætenta reformatio, & ex quibus nullo modo ſe extricare poteſt: facile vero euadunt catholici, nam cum traditiones Diuinas, & Eccleſiaſticas admittant, & ſcripturam recipiant iuxta ſenſum eccleſiæ, quam tenent eſſe infallibilem, nulli periculo erroris ſunt obnoxij in credendis articulis ab eccleſia propoſitis.

Præſcriptam huc vſque methodum, qua S. Auguſtinus ſæpius vſus eſt; fuſe & egregie explicuit *P. Franciſcus Veron* contra Acatholicos, & ſane, qui ea bene vtetur, facile confutabit omnes hereſes preſentes vel præteritas, nulla enim vnquam inuenta eſt in ſcriptura vel legitima eius expoſitione.

Idæa

Triplici expoſita ſyllogiſmo.

OMne dogma neceſſarium ad Dei cultum, & ſalutem animæ continetur in ſcriptura expreſſe, ſecundum Acatholicos; ſed nullum dogma ab ipſis Acatholicis creditum contra fidem Romanam continetur in ſcriptura expreſſe: ergo nullum dogma, ab Acatholicis creditum contra fidem Romanam, eſt neceſſarium ad Dei cultum, & ſalutem animæ.

Maior eſt ſententia aduerſariorum, minor oſtenditur diſt.1. Primæ Partis, & conſequētia eſt legitima.

Secundus ex primo deductus.

OMne dogma neceſſarium ad Dei cultum, & ſalutem animæ, ſi non habetur in ſcriptura expreſſe, habetur in gloſſis, & conſequentijs, quæ fundent fidem Diuinam, ſecundum Acatholicos, ſed nullum dogma ab Acatholicis creditum contra fidem Romanam, habetur in gloſſis, vel conſequentijs, quæ fundent fidem diuinam: ergo nullum tale dogma ſic ab Acatholicis creditum, eſt neceſſarium ad Dei cultum, & ſalutem animæ.

Maior eſt ſententia aduerſariorum, minor probatur 1.Part.Diſt.1.Quæſt.3. & conſequentia eſt legitima.

Tertius.

ILla Religio non eſt à Deo reuelata, quæ ex profeſſo à ſe proſcribit omnia ſalutis æternæ media, ſed Religio, quam moderni profitentur Acatholici, omnia ſalutis æternæ media, ex profeſſo à ſe proſcribit: ergo religio, quam moderni profitentur Acatholici, non eſt à Deo reuelata.

Maior communiter admittitur, minor oſtenditur in Prima Parte diſt.2.& 3.& cōſequentia eſt legitima.

Idæa

Triplici declarata ſyllogiſmo.

VEra Chriſti Eccleſia eſt, & ſemper fuit viſibilis, & infallibilis, ac certiſſima credendi regula, ſed ſola Romana eſt vera Chriſti Eccleſia: ergo ſola Romana eſt, & ſemper fuit viſibilis, & infallibilis, ac certiſſima credendi regula.

Maior probatur in ſecunda parte diſt. 1. 2. 3. & 4. minor diſt. 8. & 9. & conſequentia eſt legitima.

Secundus.

ILla eſt vera ac infallibilis Chriſti Eccleſia, quæ habet notas in ſcriptura aſſignatas, & profitetur doctrinam à Chriſto traditam, ac in primitiua Eccleſia creditam; ſed ſola Romana habet has notas, & hanc doctrinam profitetur: ergo ſola Romana eſt vera Chriſti Eccleſia.

Maior probatur 2. par. diſt. 5. & 6. minor diſt. 8. et 9. & conſequentia eſt legitima.

Tertius ex vtroque deductus.

OMnes qui ad ſalutem aſpirant tenentur eſſe in gremio veræ Chriſti Eccleſiæ, eique obedire: ſed ſola Romana eſt vera Chriſti Eccleſia; ergo omnes qui ad ſalutem aſpirant, tenentur eſſe in gremio Romanæ Eccleſiæ, eique obedire.

Maior patet in 2. par. diſt. 4. & diſt. 9. quæſt. vlt. Minor oſtenditur diſt. 8. & 9. quæſt. item vlt. & conſequentia eſt legitima.

Fr. Petrus Marinus Sormannus à Mediolano Lector Iubilatus, S. Inquiſitionis qualificator Exguardianus Ieroſolimitanus, ac totius Ordinis Fratrum Minorum Miniſter Generalis, & Seruus &c.

Dilecto Nobis plurimum in Chriſto Patri Fr. Franciſco Portero Prouinciæ Hiberniæ in Collegio Noſtro S. Iſidori de Vrbe Lectori Iubilato ſalutem in Domino ſempiternam.

CVM opus à te elaboratum, cuius titulus *Securis Euangelica ad hæreſum huius temporis Radices poſita*, de licentia Prædeceſſoris noſtri olim hic Romæ Typis editum, nunc nouis additionibus auctum iterum in lucem edere cupias; hinc præſentium tenore, cum merito ſalutaris obedientiæ facultatem tibi impertimur, vt præfatum opus, ad fidei defenſionem, fidelium inſtructionem, ac maius Eccleſiæ bonum, prælo tradere poſſis, ſeruatis de reliquo Sac. Tridentini Concilij, Apoſtolicarum, & Generalium Noſtri Ordinis

Con-

Conſtitutionum præſcriptis. Dat. Romæ in Conuentu noſtro Aracælitano die 25. Februarj 1687.

Fr. Petrus Marinus Min. Generalis.

Loco ✠ Sigilli.

De Mandato ſuæ Reuerendiſsimæ Paternitatis
Fr. Ioſeph à Leone ſecret. Generalis Ord.

EGO infraſcriptus iuſſu Reuerendiſsimi P. Raimundi Capiſuchij S. P. A. M. attentè legi primam, & ſecundam Partem Securis Euangelicæ ad hæreſis radices poſitæ, &c. Authore Fr. Franciſco Portero Hiberno Ord. Min. & exiſtimo opus eſſe digniſſimum, quod in lucem edatur, cum valdè prudenter, & perſpicuè errores hæreticorum impugnet.

Syluefter Maurus in Collegio Romano Sacræ Theolog. Lect. Soc. Ieſu.

Iterum Imprimatur, ſi videbitur Reuerendiſſimo Patri Mag. Sac. Palatij Apoſt.

Steph. Ioſeph Menattus Epiſc. Cyrenen. Viceſg.

Iterum Imprimatur, Fr. Ioſeph Clarionus Sac. Theologiæ Magiſter, ac Reuerendiſs. P. Fr. Dominici Mariæ Puteobonelli Sac. Palatij Apoſtolici Mag. Soc. Ord. Prædicatorum.

INDEX

Titulorum omnium vtiuſque Partis huius Operis.

PARS PRIMA.

PROLEGOMENA in hanc primam Partem, ſiue hyppotheſes orthodoxæ. pag. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8.

DISTINCTIO I.

HEterodoxi, ſeu moderni Acatholici, ſi ſuis adhæreant principijs, ex illis ipſis conuincuntur omni Chriſtianæ fidei renuntiaſſe. pag. 9.

Quæſtio i. Acatholici nudæ inſiſtentes ſcripturæ ſe ipſos iugulant, & ad impoſſibile deducunt. 9.

Art. i. Recenſentur præcipua Heterodoxæ religionis principia. 9.

Art. ii. An ſcriptura, quam hodie habent Acatholici, ſit à Deo reuelata, ſecundum eorum principia non eſt de fide Diuina. 11.

Art. iii. An prætenti reformati habeant integrum ſcripturæ canonem, vel an illa ſit regula totius veritatis, ex iiſdem principijs non eſt etiam de fide diuina. 15.

Art. iv. Prætenti reformati recurrentes ad ſuum ſpiritum, vt præfatos articulos perſuadeant, & ſeipſos circulo implicant, & ad impoſſibile deducunt. 18.

Quæſt. ii. Omnibus articulis controuerſis religionis reformatæ, deeſt patrocinium Verbi Dei: proinde non ſpectant ad Chriſtianam fidem. 24.

Art. i. Recenſentur communiora Religionis reformatæ dogmata. 24.

Art. ii. Examinantur recenſita illa dogmata ad regulam prætenſæ reformationis, & ex eadem oſtenditur, ea non pertinere ad fidem Chriſtianam. 27.

Art. iii. Deteguntur heterodoxorum fraudes, in reducendis ſuis articulis ad negationes, vt ſic difficultatem euadant.

Art. iv. Siue dogmata prætenſæ reformationis ſumantur negatiuè, ſiue affirmatiuè aduerſarij, ſecundum ſua principia,

ciπa,tenentur,ea monſtrare in verbo Dei, vel eiſdem, aut dictis principijs renuntiare. 32.
Art. v. Religio prætensè reformata fundata ſuper prædictos negatiuos articulos, velut ſuper negatiua quædam nihila, in nihilum reſoluitur. 36.
Art. vi. Heterodoxorum euaſio aſſerentium ſe mere ſuſpenſiue habere ad articulos controuerſos, conuincit eos ſuæ reformationi renuntiare. 39.
Quæſt iii. Prætenti reformati iuxta ſua principia nullum veritatis colorem pro ſuis articulis poſſunt ſperare, ex gloſſis, vel conſequentijs ſcripturæ. 43.
Art. i. Nulla expoſitio a prætentis reformatis in articulis controuerſis allata, iuxta eorum principia, poteſt fundare fidem diuinam. 43.
Art. ii. Siſtendo ſimiliter in prædictis aduerſariorum principijs, nulla conſequentia ab ipſis deducta in articulis controuerſis, eſt de fide diuina. 40.
Art. iii. Si aduerſarij reflectant ſerio ſupra ſua principia, omnibus articulis ſuis, qui non aliter quam per gloſſas, & conſequentias ab ipſis probantur, renuntiare debent. 54.
Quæſt. iv. Secundum aduerſariorum principia, omnibus eorum articulis, per gloſſas, & conſequentias tantum probatis, deeſt infallibilis certitudo. 56.
Art. i. Cum aduerſarij ex ſuis principijs fateantur ſe eſſe fallibiles, non poſſunt eſſe infallibiliter certi de ſuis gloſſis, vel conſequentijs. 57.
Art. ii. Stantibus prætenſæ reformationis principijs, nullus Chriſtianus ſuæ ſalutis ſtudioſus debet fidem adhibere vlli articulo, a ſectariis per gloſſas tantum, vel conſequentias probato. 59.
Art. iii. Aduerſarij recurrentes ad moralem tantum certitudinem pro ſuis articulis controuerſis, fateri hoc ipſo debent, eos non eſſe de fide diuina. 62.
Art. iv. Religio reformata caret etiam morali certitudine, vnde non eſt Chriſtiana, ſed futilis, ac proinde omnibus Chriſtianis fugienda. 66.
Art. v. Ex principijs aduerſariorum ſequitur labyrinthus inextricabilis, quo vel coguntur dictis principijs renuntiare, vel manifeſta contradictoria credere. 70.
Art. vi. Soluuntur obiectiones contra hactenus dicta. 73.

D I-

DISTINCTIO III.

PRætenti reformati ſuis inſiſtentes principijs, conuincuntur æternæ ſaluti renuntiaſſe. 77.
Quæſt. i. Religionis reformatæ principia omnia ſalutis media proſcribunt. 77.
Art. i. Recenſentur principia aduerſariorum quoad prætentam eorum iuſtificationem. 78.
Art. ii. Salus humani generis ex principijs religionis reformatæ eſt impoſſibilis. 81.
Art. iii. Stante dogmate de ſola fide iuſtificante, prætenti reformati hoc ipſo, proſcripſere à ſe cæteras virtutes Chriſtianas, ac ipſam gratiam internam; ſanctificantem. 86.
Art. iv. Sola fides religionis reformatæ ſingulari priuilegio diſpenſat cum illa in fide myſteriorum, & obſeruantia mandatorum Dei. 90.
Art. v. Ex eodem ſolius fidei iuſtificantis principio ſequitur prætentos reformatos non teneri, aut Deum orare, aut de peccatis ſuis vnquam pœnitere. 95.
Quæſt. ii. Qualis ſit ſanctitas, & iuſtitia religionis reformatæ? num horreat, an potius in ſinu ſuo peccata recondat. 99.
Art. i. Stante religionis reformatæ ſententia de inamiſſibilitate iuſtificationis, ſequitur quæuis peccata ſtare poſſe de facto cum iuſtitia actuali ſanctificante. 100.
Art. ii. Ex religionis reformatæ dogmate de impoſſibilitate legis, ſequitur eius profeſſores poſſe omnem legem; ſine vllo peccato tranſgredi. 104.
Art. iii. Ex principijs eiuſdem Religionis, ſequitur adulteros, homicidas, idololatras, Qua tales, tam eſſe filios Dei, & hæredes regni, quam fuere Apoſtoli, Prophetæ, & alii iuſti. 107.
Art. iv. Ex modo, quo prætenti reformati explicant peccata repugnantia cum iuſtificatione, ſequitur eos, non obſtante quouis ſuo peccato, eſſe iuſtos, modo non ſint penitus, tam mali, aut obſtinati in malis quam Diabolus. 110.
Art. v. Ex dictis huc vſque principiis, & explicationibus aduerſariorum ſequitur, nullam communitatem, rempublicam, aut regnum poſſe eſſe tutum à profeſſoribus religionis reformatæ. 114.
Art. vi. Ex principiis hactenus dictis naſcitur irreſolubilis nodus, quo prætenti reformati coguntur fateri, ſe per ſuam fidem iuſtificantem, eſſe, & non eſſe iuſtificatos, ac omni tandem iuſtificatione, & ſalute deſtitui. 129.

DISTINCTIO III.

Reformatæ Religionis in Atheiſmum apoplexia, pag. 125.

Quæſt. i. Quid Religio reformata de Chriſto, de Deo, de latria ipſi debita ſentiat. 125.

Art. i. Prætenti reformati iuxta ſuæ reformationis principia, omnem omnino Religionem abiurare poſſunt, quin deſinant eſſe reformati, & iuſti. 126.

Art. ii Structura religionis reformatæ fundatur in hac horrenda blaſphemia ſcilicet, Chriſtum eſſe falſum prophetam. 130.

Art. iii. Religio reformata Alcoranum Euangelio, Mahometum Chriſto coæquat. 133.

Art. iv. Chriſtus, quem colit prætenta reformatio, non eſt perfectus Deus vel perfectus Redemptor. 136.

Art. v. Deus quem colunt prætenti reformati, non ſincere agit cum genere humano, ſed potius fallit, & ludit, adeoque non eſt Deus verus. 138.

Art. vi. Prætenti reformati ex ſuis principiis non tenentur Deo ſuo ſeruare fidem, aut maiorem illi exhibere cultum, vel reuerentiam, quam præſtant animæ damnatæ. pag. 141.

Quæſt. ii. Qualis ſit Deus religionis reformatæ, & qualem in ſuis cultoribus ſanctitatem requirat? 143.

Art. i. Quicumque colit Deum prætentæ reformationis, iuxta eiuſdem religionis principia peccat grauiſſimè: nec vllus debet eius indignationem timere, quantumuis eum offendat. 143.

Art. ii. Vt prætenti reformati iuxta ſua principia ſint Sancti, & iuſti coram Deo, ſufficit quod ſint tantum, velut ſepulchra dealbata. 146.

Art. iii. Cuius regni hęredes tandem ſunt iuſti religionis reformatæ in extremo vitæ momento conſtituti? & an reuera, tunc iuxta ſua principia ſint Filii Dei, vel cuius demum filii? 149.

Art. iv. Lethalis reformatæ religionis in atheiſmum apoplexia, ſeu prætenti reformati ex ſuis principiis ſine omni Deo. 152.

Art. v. Iſta reformata religio ex hactenus dictis velut laqueus æternæ mortis, toti humano generi eſt fugienda, pag. 153.

VElut appendix ad primam hanc partem adiuncta continens vlteriores analyſes tum ex hac parte, tum ex aliis reformatorum principiis fluentes, quibus prætenſæ reformationis nullitas rurſus conuincitur, in duas ſectiones diuiſa. 158.

SECTIO PRIMA.

Contra fundamenta prætenſæ reformationis.

ARticulus Primus. Tela prætenſæ Reformationis, in eandem retorta, quoad prætenſam illorum credendi regulam. 158.

Art. ii. Retorquentur item in reformatos ſua ipſorum principia, quoad prætenſam eorum iuſtificationem. 162.

Art. iii. Oſtenditur quod præcipua prætenſæ reformationis principia ſint contra ſcripturam ſacram. 164.

Art. iv. Doctrina prætēſæ reformationis in plerìſque capitibus eſt contraria naturali lumini, & blaſphema in Deum, & Chriſtum. 167.

SECTIO ALTERA.

PLeniſſima libertas prætenſæ reformationis credendi quodlibet, & non credendi, ſeu credendi contradictoria mutandique fidem ſuam pro libitu. 170.

Art. i. Afferuntur principia huius impiæ libertatis. 170.

Art. ii. Libertas prætenſæ reformationis credendi, & non credendi pro libitu quod voluerit circa myſteria redemptionis noſtræ, & Euchariſtiæ. 172.

Art. iii. Libertas prætenſæ reformationis credendi, & non credendi pro libitu, quæ ſpectant ad ſacramenta baptiſmi, pænitentiæ, & matrimonii. 174.

Art. iiii. Libertas prætenſæ reformationis credendi vel non credendi, quæ ſpectant, vel conducunt ad iuſtificationem, vel ſalutem. 177.

Art. v. Libertas prætenſæ reformationis reſuſcitandi veteres, & prædamnatas hæreſes, eaſque pro baſibus ſuæ religionis ſtatuendi. 181.

PARS SECVNDA.

PROTHEOREMA.

DISTINCTIO I.

De perpetua exiſtentia viſibilis Chriſti Eccleſiæ pag. 189.
Quæſt. i. De Religione in communi. ibid.
Art. i. Datur in mundo vera religio. 190.
Art. ii. Poteſt inueniri vera Religio.
Art. iii. Non omnes Religiones ſunt veræ, atque adeo vna ex omnibus erit tantum vera Religio. 190.
Art. iv. Optimus modus quærendæ veræ Religionis, eſt recurrere ad celeberrimam, quæ in mundo eſt, authoritatem. 199.
Quæſt. ii. De exiſtentia Eccleſię. 202.
Art. i. Quid in vera Chriſti Eccleſia inquirenda reflectendum? 204.
Art. ii. Eccleſiæ militanti vſibili ab Adamo vſque ad Chriſtum deductæ, ſucceſſit noua Chriſti Eccleſia ab ipſo Chriſto fundata, per Apoſtolos, eorumque ſucceſſores propagata. 207.
Art. iii. Hæc vera Chriſti Eccleſia eſt, & ſemper fuit viſibilis. 200.
Art. iv. Viſibilitatem Eccleſiæ probant Patres primorum ſæculorum. 212.
Art. v. Rationes Theologicæ oſtendunt eandem viſibilitatem. 214.
Quæſt. iii. De indefectibili perpetuitate viſibilis Chriſti Eccleſiæ. 216.
Art. i. Vera Eccleſia nunquam defecit, & conſequenter numquam latuit abſcondita. 217.
Art. ii. Perpetuam Eccleſiæ viſibilitatem, & exiſtentiam probant Patres primitiuæ Eccleſiæ. 222.
Art. iii. Eandem viſibilis Eccleſiæ perpetuitatem probat dilemma Sancti Auguſtini, & aliæ rationes Theologicæ. 224.
Quæſt. iv. De determinata vnitate Eccleſiæ illiuſque membris. 227.
Art. i. Vera, & viſibilis Chriſti Eccleſia, non eſt congregatio ex ſolis electis, ſed malis etiam permixta conſtat. 228

Art. ii.

Art. ii. Hæc viſibilis Eccleſia non eſt, nec fuit confuſa multitudo, ſed vnus ac determinatus fidelium cætus. pag. 230.

Art. iii. Eccleſiam non fuiſſe, nec eſſe confuſam, & incognitam electorum multitudinem; ſed determinatum, cætum malis etiam permixtum probant Patres. pag. 232.

Art. iv. Eandem Eccleſiæ vnitatem ex malis, & electis probant rationes Theologicæ. 233.

Quæſt. v. Soluuntur obiectiones. 236.

Art. i. Soluuntur obiectiones contra viſibilitatem Eccleſię. ibid.

Art. ii. Soluuntur obiectiones contra perpetuitatemEccleſiæ pag. 238.

Art. iii. Soluuntur obiectiones contra permixtionem reproborum cum electis in Eccleſia. 240.

De priuilegio non errandi, ſeu de infallibilitate Eccleſiæ in doctrina fidei, & morum. 242.
Quæſt. i. De natura, conceſſione: & perpetuitate huius priuilegij. 243.
Art. i. De natura priuilegij non errandi. ibid.
Art. ii. Chriſtus viſibili ſuæ Eccleſiæ cõceſſit infallibilitatis priuilegium in doctrina fidei, & morum. 246.
Art. iii. Priuilegium hoc in Eccleſia viſibili ſemper durauit durabitque vſque ad diem iudicij. 249.
Art. iv. Blaſphemat contra Deum, Chriſtum, Scripturam, qui dicit priuilegium non errandi in rebus fidei, & morum in vera & viſibili Chriſti-Eccleſia, aliquando defeciſſe, & in ea continuo non remanſiſſe. 251.
Art. v. Eandem Eccleſiæ infallibilitatem probant rationes Theologicæ. 255.
Art. vi. Argumentis ad hominem vlterius probatur Eccleſiæ infallibilitas. 258.
Quæſt. iv. Præcluduntur Sectariorum effugia contra infallibilitatem Eccleſiæ, & ſoluuntur obiectiones. 262.
Art. i. Primum effugium petitum ex ſacra ſcriptura dans infallibilitatem Eccleſiæ tantum, dum ex illa recitat præcluditur. ibid.
Art. ii. *Præcluditur* ſecundum effugium ex incognita electorum congregatione petitum 264.
Art. iii. *Præcluditur* tertium effugium petitum ex futili diſtinctione de articulis fundamentalibus, & non fundamentalibus. 266.

DISTINCTIO III.

De Concilijs œcumenicis. 270.
Quæſt. i. De Conciliorum generalium infallibilitate. ibid.
Art. i. Quid ſit, & in quo conſiſtat infallibilitas conciliorum. ibid.
Art. ii. De conditionibus, aliſque rebus, ad conciliorum generalium, tum celebrationem, tum notitiam ſpectantibus. 273.
Art. iii. Concilium generale legitime conuocatum, & approbatum in ſuis definitionibus eſt infallibile, pag. 286.
Art. iv. Conciliorum authoritatem probant Patres. 284.
Art. v. Eandem conciliorum infallibilitatem probant rationes Theologicæ. 285.
Quæſt. ii. De effugijs, & obiectionibus Sectariorum, pag. 287.
Art. i. Præcluduntur Sectariorum effugia. ibid.
Art. ii. Soluuntur obiectiones. 289.
Art. iii. Reſoluuntur dubia huc ſpectantia. 292.
Quæſt. iii. De conſectarijs, quæ ex vtraque hac diſtinctione inferuntur. 295.
Art. i. Infertur primum conſectarium, nempe ſicut Eccleſia ſemper habuit perpetuum infallibilitatis priuilegium, ita nullum vnquam erroris næuum in doctrina fidei & morum contraxiſſe. ibid.
Art. ii. Infertur ſecundum conſectarium, nempe quod infallibilitas Eccleſiæ ſtet, & ſtare poſſit cum corruptis moribus particularium membrorum Eccleſiæ. 296.
Art. iii. Qui ſub hoc pretextu, quod viſibilis Chriſti Eccleſia errauerit, nouam ſectam inſtituit aut inſtitutam amplectitur eſt Apoſtata, & Hæreticus. 298.
Art. iv. Ex ipſis Sectariorum principijs, Eccleſiæ infallibilitatem impugnantibus ſequitur, vti apud ipſos nulla eſt infallibilitas, vt fatentur, ita ſuæ ſalutis oblitum eſſe, qui eorum ſectam amplectitur. 299.

DE Regula credendi. 302.

Quæſt. i. Refertur, & refutatur Sectariorum credendi regula. 303.

Art. i. Status controuerſiæ aperitur, & aduerſariorum ſententiæ recenſentur. ibid

Art. ii. Statuere priuatum cuiuſque ſcrutinium, & iudicium pro regula credendi, eſt omnem orthodoxæ veritati inueniendæ, viam occludere. 306.

Art. iii. Si nuda, & ſola ſcriptura ſtatuatur pro regula credendi, nullus poteſt aſſequi ſalutem, nulla vnquam decidi controuerſia, nihil denique credendum erit. 313.

Art. iv. Spiritum priuatum non eſſe regulam credendi, probant impoſturæ, contradictiones, & arrogantia eiuſdem ſpiritus. 321.

Quæſt. ii. Quomodo ſe debeat habere regula credendi reſpectu generis humani. 326.

Art. i. Scriptura Sacra requirit tum diuinas traditiones pro diſcernendo authentico canone, tum infallibilem interpretem pro eruendo legitimo ſenſu. ibid.

Art. ii. Neceſſaria eſt in hoc orbe publica, ſenſibilis ac incorrupta authoritas, quæ inſtar infallibilis regulæ doctrinam reuelatam humano generi proponat. 330.

Art. iii. Vt doctrina reuelata tranſeat à generatione in generationem, requiritur infallibilitas in tranſmittentibus vſque in finem. 332.

Art. iv. Poſtulat *Diuinæ* prouidentię ratio, vt ſingulis credituris fiat ſenſibilis, & immediata doctrinæ reuelatæ propoſitio. 334.

Art. v. *De* remoto & proximo proponente ſacram doctrinam. 336.

Quæſt. iii. Quænam tandem eſt vltima, & adæquata, fidei regula. 338.

Art. i. Viſibilis Chriſti Eccleſiæ authoritas eſt adæquata, certa & infallibilis regula fidei authentice proponens doctrinam reuelatam neceſſario credendam. 339.

Art. ii. Hæc authoritas tanquam regula infallibiliter proponens doctrinam fidei eſt in Paſtoribus Eccleſiæ. 342.

Art. iii. Hanc authoritatem reſidere in Eccleſia probant Patres primorum ſæculorum. 344.

Quæſt. iv. *De* Iudice controuerſiarum. 346.

Art. i. Supremum viſibilis Eccleſiæ Tribunal eſt Iudex controuerſiarum. ibid.

Art. ii. Eccleſiam eſſe iudicem controuerſiarum probat continua praxis ipſius Eccleſiæ, tum in veteri, tum in

nuouo Teſtamento. 349.
Art. iii. Eccleſiam eſſe iudicem probant, tum Patres, tum rationes Theologicæ. 351.
Art. iv. Omnes Chriſtiani tenentur ſub damnationis æternæ pœna obedire definitionibus Eccleſiæ. 353.
Art. v. Soluuntur obiectiones contra prædicta. 355.
Quæſt. v. De conditionibus & reſolutione actus fidei, pag. 358.
Art. i. De duplici obiecto & motiuo fidei. ibid.
Art. ii. De conditionibus ad actum fidei requiſitis, eiuſque reſolutione. 360.

DISTINCTIO V.

DE notis ſeu ſignis veræ Eccleſiæ. 363.
Quæſt. i. De his notis in communi. ibid.
Art. i. Referuntur, & refelluntur notæ à ſectarijs aſſignatæ. ibidem.
Art. ii. Aſſignantur conditiones veræ notæ, & oſtenditur quibus ſignis melius dignoſcatur Eccleſia, 366.
Quæſt. ii. Vnitas eſt infallibile ſignum veræ Eccleſiæ. pag. 368
Art. i. Vnitas Eccleſiæ conſiſtit in vnione fidei, communione charitatis, & Sacramentorum, & obedientia membrorum ad Paſtores. ibid.
Art. ii. Vnam vnius Eccleſiæ fidem probant Patres. 371.
Art. iii. Sicut vnitas Religionis eſt infallibilis nota veræ Eccleſiæ, ita diſſenſio in rebus fidei eſt certiſſima nota ſynagogæ ſatanæ. 373.
Quæſt. iii. Sanctitas eſt infallibilis nota veræ Chriſti Eccleſiæ. 375.
Art. i. Sanctitas doctrinæ probat veram Eccleſiam. ibid.
Art. ii. Sanctitas miraculorum, & vitæ, plurium pie viuentium probat item veram Eccleſiam. 377.
Quæſt. iv. Vera Chriſti Eccleſia debet eſſe Catholica, & hæc etiam eſt infallibilis nota veræ Eccleſiæ. 379.
Art. i. Eccleſia vera eſt Catholica, ſeu vniuerſalis quoad tempus, & quoad locum. 380.
Quæſt. v. Eſſe Apoſtolicam eſt nota veræ Eccleſiæ. 379.
Art. Vnicus Eccleſia eſt Apoſtolica, quia à Chriſto, & ab Apoſtolis fundata. 383.

DE viſibili Eccleſiæ Magiſtratu, & illius authoritate, pag. 384.
Quæſt. i. De regimine in communi. ibid.
Art. i. De ſocietate humana, de natura ac diuerſitate regiminis ſeu Magiſtratus. ibid.
Art. ii. Chriſtus inſtituit in Eccleſia ſua viſibiles Magiſtratus. 386.
Art. iii. Monarchicum regimen vti eſt omnium optimum, ita illud Chriſtus in ſua Eccleſia inſtituit. 389.
Quæſt. ii. De primatu D. Petri. 391.
Art. i. Chriſtus ſtatuit & determinat D. Petrum fore ſupremum, & viſibile caput ſuæ Eccleſiæ. ibid.
Art. ii. Chriſtus ſupremam regendæ Eccleſiæ poteſtatem, antea promiſſam D. Petro confert. 394.
Art. iii. D. Petrus ſupremam Paſtoris iuriſdictionem à Chriſto ipſi collatam, in ſe agnouit, eamque exercuit. 396.
Art. iv. Supremam D. Petri authoritatem aſſerunt Patres, tam Greci, quam Latini.
Art. v. Primatum D. Petri probant rationes Theologicæ, pag. 402
Quæſt. iii. Soluuntur obiectiones. 405.
Art. i. Soluuntur obiectiones ex nouo Teſtamento petitæ. pag. 405.
Art. ii. Soluuntur obiectiones ex facto Regum veteris Teſtamenti 408.
Quæſt. iv. De perpetuitate huius authoritatis, & illius priuilegio. 410.
Art. i. Supremam D. Petri authoritatem voluit Deus in Eccleſia perpetuam eſſe. ibid.
Art. ii. Supremo, & viſibili Eccleſiæ capiti conceſſa eſt infallibilitas in doctrina fidei, & morum determinanda. pag. 413.
Art. iii. Supremum, & viſibile Caput Eccleſiæ, eſt vltimus controuerſiarum Iudex.

AN modernis Acatholicorum ſectis conueniant ſigna veræ, & viſibilis Chriſti Eccleſię, 420.
Quæſt. i. An apud modernos Sectarios ſit vnitas, vel ſanctitas. ibid.
Art. i. Apud modernos heterodoxos nulla eſt vnitas. 421.
Art. ii. Apud prętentos reformatos nulla ſanctitas. 423.
Quæſt. ii. Religio Sectariorum non eſt Catholica ſiue quo ad tempus, ſiue quo ad locum, adeoque non eſt antiqua, ſed noua, 425.
Art. i. Recenſentur Sectę omnes, quæ ſingulis ſæculis emerſerant, vt videatur, an ab eis ducant moderni Sectarij originem. 426.
Art. ii. Sectarij non poſſunt extendere antiquitatem ſuę Religionis ad nouatores primi: ſecundi, tertij, quarti. quinti, ſexti, & ſeptimi ſęculi. 428.
Art. iii. In octauo ſęculo, nullus Religionis reformatę ttuncus, vnde à Græcis ſeriem non ducit. 430.
Art. iv. Præcluditur Sectariorum effugium ad Petrum de Bruis, Berengarium, VValdenſes, VVicleſum, Huſſitas, adeo vt ab his originem ducere non poſſint. 432.
Art. v. Euaſio Sectariorum referentium ſe per ignotam ſeriem ad Chriſtum, Apoſtolos, & primitiuam Eccleſiam præcluditur. 436.
Art. vi. Si inanis illa euaſio ſectariorum prętendentium antiquitatem ipſis faueret fauet etiam omnibus prędamnatis Sectis, vnde concluditur eos vltra Lutherum, & Caluinum progredi non poſſe. 438.
Quæſt. iv. Religio quam hodie profitentur ſectarij, non eſt Apoſtolica, neque de ſcripturę aut Apoſtolicę doctrinæ fontibus deſumpta. 440.
Art. i. Sectarij ſucceſſionem ab Apoſtolis continuam demonſtrare non poſſunt. ibid.
Art. ii. Ex ipſis ſectariorum principijs oſtenditur eos non habere ſucceſſionem Apoſtolicam, adeòque nec veram Eccleſiam. 444.

D 1.

SOlam Romanam, eſſe vnam Sanctam Catholicam, & Apoſtolicam Eccleſiam, atque adeo illam, vel nullam in terris, eſſe veram Chriſti Eccleſiam. 448.

Quæſt. i. Sola Romana eſt vna.

Art. i. Ex principijs, & cauſis vnitatis probatur Romanam Eccleſiam eſſe vnam. ibid.

Art. ii. Vnitatem Romanæ Eccleſiæ, probat tum vnanimis membrorum ipſius in orthodoxæ fidei doctrina conſenſus, tum ex aduerſo irreconciliabilis Sectariorum diſſenſus. 451.

Quæſt. ii. Sola Romana Eccleſia eſt Sancta. 455.

Art. i. Romana Eccleſia eſt ſancta ſanctitate doctrinæ. pag. 556.

Art. ii. Sola item Romana eſt ſancta ſanctitate morum, & conuerſione infidelium. 458.

Art. iii. Sola Romana floret Sanctis, ſingulis ſucceſſiue ſæculis. 461.

Art. iv. Sola Romana reſplendet claritate miraculorum ſingulis item ſæculis. 465.

Art. v. Adduntur rationes Theologicæ ex præfatis miraculis pro Romanæ Eccleſię ſanctitate demonſtranda. 498.

Quæſt. iii. Sola Romana Eccleſia eſt Catholica. 471.

Art. i. Sola Romana Eccleſia eſt perpetua, & conſequenter Catholica, ſeu vniuerſalis quoad tempus. 472.

Art. ii. Ex indefectibilitate veræ Chriſti Eccleſiæ probatur nunquam intterrupta duratio Romanę Eccleſię. 475.

Art. iii. Ex infallibilitate verę, & viſibilis Chriſti Eccleſiæ oſtenditur perpetua infallibilitas Romanæ Eccleſię. pag. 478.

Art. iv. Si Romana erraſſet Eccleſia, non conſtaret dari vllam ſcripturam canonicam, aut vllum veræ Religionis fundamentum. 482.

Art. v. Qui dicit Romanam Eccleſiam erraſſe, dicit conſequenter Chriſtum reliquiſſe genus humanum ſine remedio ſalutis. 486.

Quæſt. iv. Romana Eccleſia eſt Apoſtolica, & conſequenter ex hoc capite vera Chriſti Eccleſia. 489.

Art. i. Romana Eccleſia fundationem, & doctrinam ab Apoſtolis acceptam, ſemper retinet. ibid.

Art ii. Continua Romanorum Pontificum ſucceſſio oſtendit Romanam Eccleſiam eſſe Apoſtolicam. 493.

Quæſt. v. De Romani Pontificis primatu. 495.

Art. i. Romanus Pontifex eſt Vicarius Chriſti, & D. Petri in regimine vniuerſalis Eccleſiæ, legitimus ſucceſſor. ibid.

Art. ii. Primatus Romani Pontificis probatur ex infallibilitate conciliorum. 498.
Art. iii. Præcluduntur effugia ſectariorum, & oſtenditur quomodo ſit de fide Romanam eſſe veram Chriſti Eccleſiam, & hunc primatum eſſe etiam de fide. 501.
Quæſt. vi. Perpetuam Romanę Eccleſiæ durationem, Romanique Pontificis authoritatem aſſerit omne genus teſtium. 503.
Art. i. Aſſerunt Patres Gręci. ibid.
Art. ii. Aſſerunt idem Patres Latini. 506.
Art. iii. Aſſerunt Reges, & Imperatores, fatentur Aduerſarij multi, teſtantur monumenta antiqua. 509.
Art. iv. Reflectio parentica ex D. Auguſtino an tot ſinceriſſimis teſtimonijs Romanæ Eccleſiæ ſuffragantibus credendum potius, quam fædifragis Nouatoribus. 512.
Quæſt. vii. Romanæ Eccleſię Romanique Pontificis recenſentur prærogatiuæ, & ſoluuntur obiectiones. 514.
Art. i. Referuntur priuilegia Romani Pontificis, & Eccleſię Romanæ. ibid.
Art. ii. Romanus Pontifex, vt poté D. Petri in regimine vniuerſalis Eccleſiæ legitimus ſucceſſor, eſt vltimus controuerſiarum Iudex. 518,
Art. iii. Soluuntur obiectiones contra primatum Romani Pontificis, 528.

De conformitate Romanæ Eccleſiæ in doctrina fidei, & morum, cum verbo Dei, & primitiua Eccleſia. 526.
Sectio i. De ſacramentis, & ſacrificio incruento. 527.
Quæſt. i. De Baptiſmo, confirmatione, ordine, matrimonio, & extrema vnctione 528.
Art. i. De conuenienti inſtitutione Sacramentorum, eorumque numero, & definitione. ibid.
Art. ii. De baptiſmo, & matrimonio. 530.
Art. iii. De confirmatione, extrema vnctione, & ordine, ac de his teſtimonia primitiuæ Eccleſiæ. 532.
Art. iv. De cælibatu Eccleſiaſtico. 535.
Quæſt. ii. De ſacramento pœnitentiæ. 538.
Art. i. De inſtitutione, neceſſitate, & virtute huius ſacramenti. ibid.
Art. ii. De materia, & forma, ſeu de partibus pœnitentiæ. pag. 541.
Art. iii. De ſatisfactione. 543.
Quæſt. iii. De venerabili Euchariſtiæ ſacramento, Theſis Catholica. 546.
Art. i: Adducuntur probationes ex capite ſexto Sancti Ioannis Euangeliſtæ. ibid.
Art. ii. Expenduntur verba inſtitutionis, & per illa probatur realis præſentia. 550.
Art. iii. Expenditur locus Apoſtoli Pauli, & inde probatur realis præſentia. 553.
Art. iv. De tranſubſtantiatione, & communione ſub vtraque ſpecie. 555.
Art. v. Ponuntur teſtimonia primitiuæ Eccleſiæ de reali præſentia. 558.
Art. vi. Soluuntur obiectiones. 561.
Art. vii. Eccleſia Romana in adoratione corporis, & ſanguinis Chriſti Domini, in venerabili Euchareſtiæ Sacramento, eſt pura ab omni prorſus artolatria. 566.
Quæſt. iv. De ſacrificio Miſſæ. 569.
Art. i. Eius inſtitutio probatur ex ſcriptura. ibid.
Art. ii. Probatur rationibus, & teſtimonijs primitiuæ Eccleſiæ. 573.
Soluuntur obiectiones. 575.
Sectio Altera. De iuſtificatione, Sanctis, imaginibus, reliquijs, purgatorio, indulgentijs. 577.
Quæſt. i. De iuſtificatione, & meritis bonorum operum. ibid.
Art. i. De iuſtificatione, & quomodo fiat. ibid.
Art. ii. De præceptis, & conſilijs euangelicis. 583.
Art. iii.

Art. iii. De meritis bonoram operum. 586.
Art. iv. Soluuntur obiectiones. 587.
Quæſt. ii. De Sanctis, imaginibus, ac reliquijs. 590.
Art. i. De canonizatione, ac cultu Sanctorum. ibid.
Art. ii. De inuocatione Sanctorum. 593.
Art. iii. Eccleſia Romana eſt pura ab omni prorſus hagiolatria in cultu, & inuocatione Sanctorum. 595.
Art. iv. De cultu reliquiarum, & Imaginum. 600.
Art. v. Soluuntur obiectiones. 604.
Quæſt. iii. De Purgatorio, & Indulgentijs. 606.
Art. i. De Purgatorio. ibid.
Art. ii. De Indulgentijs. 610.
Quæſt. iv. De motiuis credibilitatis, ſeu de rationibus ſuadentibus Religionem Catholicam, & Romanam, eſſe euidenter credibilem, & ſolam ex omnibus prudenter eligibilem, 614.
Art. i. De modo procedendi, & perueniendi ad eccleſiam per motiua credibilitatis. ibid.
Art. ii. In Paragraphos diuiſus de motiuis credibilitatis, pag. 616.
Art. vlt. In ſola Romana Eccleſia eſt vera ſalus. 630.

S E-

SECVRIS EVANGELICAE

PARS PRIMA.

Heterodoxa Religio proprijs conuicta principijs, ex omni vera Religione in Atheiſmum reſolui.

PRÆFATIO.

QVIA quæſtio eſt de æterna acquirenda ſalute, ad quam aſpiramus, & perenni vitanda morte, nec id præſtari poſſit ſine vera fide, ſine qua, teſte Apoſtolo, impoſſibile eſt placere Deo, quęque vna eſt, vt vnus eſt Deus, vnus Dominus, vnū Baptiſma, ac propterea ſtrictiſſimum humano generi ſit impoſitum præceptum, tum affirmatiuum de præſtando aſſenſu myſterijs reuelatis ſufficienter propoſitis, ſi velimus ſaluari; tum negatiuum de nunquam neganda vera religione, ſi nolimus damnari, iuxta illud Marci 16. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſaluus erit, qui verò non crediderit, condemnabitur.* Hinc merito indagare licet, vbi gentium ſit illa cælitus tradita, illa vera & Chriſtiana religio diuinitus reuelata, non humano excogitata ingenio, per quam, finē ſupernaturalem, ad quem mortales omnes cōditi ſumus, aſſequamur, in qua ſola eſt certa ſalus, extra quam eſt certiſſimus interitus; proinde ab Heterodoxis, qui com-

muniter Chriſtianos reformatos ſe nuncupant, incipio, eorum propria principia expenſurus, & ex eiſdem inquiſiturus, an hæc, quam mundo vendunt, ſit illa à Deo inſpirata religio, ducens ad vitam, an potius à patre mendacij, & ſpiritu erroris dictata ſeducens ad barathrum calamitatis æternæ.

PROLEGOMENA.

In hanc primam partem, ſiue hyppotheſes orthodoxæ.

HYPPOTHESIS I.

F*Idei diuinæ nequit ſubeſſe falſum.* Ratio eſt, quia innititur veracitati diuinæ reuelanti, hæc autem, falſum reuelare non poteſt, vt patet ex illo ad Heb.6. *Vt per duas res immobiles, quibus impoſſibile eſt mētiri Deum, firmiſſimum ſolatium habeamus.* Duæ illæ res ſunt iuramentum, & promiſſio, ſeu aſſertio Dei: ex quibus habetur fidei diuinæ firmitas, nam prima, ſeu diuina veritas eſt ſemper vera, & dictata ab illa non poſſunt eſſe niſi vera; ſed fides aſſentitur primæ veritati propter ſe, & reliquis quatenus à prima veritate dictantur; ergo fides diuina veritati dumtaxat aſſentiri poteſt; cum autem prima veritas reuelat aliquem articulum, hoc ipſo aſſerit eſſe verum, ergo ſicut aſſerendo verum, excludit à ſe omne mendacium, ita fides ei innitens, & aſſentiens excludit omne falſum.

HYPPOTHESIS II.

F*Ides diuina eſt infallibiliter certa,* patet ſecundæ ad Thim.1. *Scio cui credidi & certus ſum.* act.1. verſ.36. *Certiſſime ſciat omnis domus Iſrael, quia & Dominum eum, & Chriſtum fecit Deus.* 2. *Petri* 1. *habemus firmiorem propheticū ſermonem.* Per certitu-

di-

dinem autem intelligitur illa, quæ excludit omnem formidinem, ſeu dubitationem, aut periculum falſitatis; vnde hæc certitudo eſt firmitas aſſenſus omnino infallibilis, qua intellectus myſterio reuelato, v. g. *Deum eſſe Trinum, & Vnum*, firmiter & modo infallibili adhæret, vnde hæc certitudo coincidit cum infallibilitate: obiectum autem fidei, cum ſemper ſit à Deo reuelatum, eſt infallibile, atque adeo inducit infallibilem certitudinem, cum innitatur primæ veritati reuelanti tale obiectum, ſed primam veritatem fallere, aut falli; eſt impoſſibile; ergo impoſſibile eſt certitudinem ei innitentem falli, cum pendeat præterea ab infuſo, & diuino lumine fidei.

HYPPOTHESIS III.

F*Ides diuina eſt neceſſario obſcura.* patet ex illo ad Heb. 11. *Fides eſt ſperandarum ſubſtantia rerũ, argumentum non apparentium.* Inſuper ex illo 1. ad Corinth. 13. *Videmus nunc per ſpeculum in ęnimate, tunc autem facie ad faciem.* Id eſt, in hac vita obſcure, & quaſi in ænigmate cognoſcimus myſteria diuina, in altera vita clare, & intuitiue videbimus. Quare Apoſtolus hic opponit fidem viſioni beatæ, ſed viſio beata eſt eſſentialiter clara, & euidens: ergo fides ei ex diametro oppoſita, eſt eſſentialiter obſcura, & ineuidens; quando enim Deus reuelat nobis myſterium Trinitatis, verbi gratia non efficit per ſuam reuelationem, vt clare videamus hoc myſterium, ſed tantum vt obſcure credamus, hæc autem obſcuritas oritur tum ex parte obiecti formalis, quæ eſt veritas diuina reuelans, nobis vtique obſcura, & ineuidens, tum ex parte obiecti materialis, ſeu myſterij reuelati, quale eſt Trinitas, Incarnatio, reſurrectio &c. hæc enim nec per ſenſum, neq; ex terminis ſunt nobis euidé-

cia ſicut euidens ex terminis eſt, omne totum eſſe maius ſua parte, per ſenſum vero euidens eſt, dum dies eſt, ſolem lucere, ſi enim fides eſſet ſic euidens, non eſſet argumentum rerum non apparentium.

HYPPOTHESIS IV.

Illud omne, & ſolum eſt fide diuina credẽdum, quod eſt reuelatum in Verbo Dei, & omnibus ab Eccleſia ſufficiẽter propoſitum. Hęc eſt certa 1. ex illo ad Rom 10. *Fides ex auditu, auditus autem per Verbũ Chriſti, ſeu* Dei ſcilicet reuelantis 2. ex 1. ad Theſ. 2. *Quoniã cum accepiſſetis Verbũ auditus Dei, non accepiſtis illud, vt verbum hominum, ſed ſicut vere eſt, Verbũ Dei.* Quid enim eſt fides diuina, niſi credere própter authoritatem Dei reuelantis? patet ex 1. & 2. Hyppot. in quibus oſtendi fidem diuinam pendere neceſſario à prima veritate reuelante, de proponẽte autem ibidem ait Apoſtolus; *Quomodo audient ſine predicante? quomodo prædicabunt niſi mittantur?* Sed quinam ſunt iſti prædicatores? illi nimirum, quos idem Apoſtolus, 1. ad Corint. 12. & ad Epheſ. 4. numerat, *Paſtores, & doctores ad conſummationem ſanctorum, in ædificationẽ Corporis Chriſti, donec occurramus omnes in vnitatem fidei, vt non ſimus paruuli fluctuãtes, et circumferamur omni vento doctrinę.* Sed de hoc infra

HYPPOTHESIS V.

Nulla doctrina fundata in expoſitione ſcripturæ, diuerſimode facta à Doctoribus, eſt de fide Diuina. Ratio eſt, quia non conſtat tales expoſitiones eſſe reuelatas, ſed omnis actus fidei diuinæ, debet eſſe de obiecto reuelato, debet item eſſe firmiter verus, & infallibiliter certus ex dictis, qualis non eſt actus innixus talibus expoſitionibus, diuerſimode factis: deinde non proponitur talis ſcripturæ ex-

poſitio ab vniuerſali Eccleſia hoc ipſo, quod varie à varijs exponatur.

HYPPOTHESIS VI.

A*N conſequentia deducta ex vna præmiſſa reuelata, & altera naturali ſufficiat ad fundandam fidem diuinam, & inter ſcolaſticos eſt problematicũ, et nondum ab Eccleſia eſt definitum.* Quare talis doctrina non poteſt ſimpliciter, & abſolute dici de fide diuina, ſed ad ſummum concluſio Theologica, ratio eſt, quia talis conſequentia non eſt reuelata; obiectũ autem ſeu fundamẽtum fidei debet eſſe reuelatum, fides enim eſt per verbum Dei, cumq; conſequentia non niſi virtualiter contineatur in pręmiſſis, virtualiter ad ſummum erit de fide, non vero formaliter: ideſt, ſolum eius principium erit articulus fidei, ex quo humanus intellectus, doctrinam aliam conſequentem deducit, & format, ſed humanis multis concurrentibus, ſcilicet forma argumenti, propoſitione philoſophica; Vnde concluſio non infertur ex illis, niſi vt vnitis, nec illa, niſi vt vnita influunt, quarę aſſenſus præſtitus tali doctrinæ, erit potius humanus, quam diuinus, vtpote cauſis humanis, non autem veritati diuinæ reuelanti immediate innixus.

HYPPOTHESIS VII.

R*Eligio, cuius articuli non ſunt reuelati in verbo Dei, non eſt vera, nec ad æternam conducens ſalutem.* Patet ex quarta hyppotheſi, nam illa ſola eſt vera religio, cuius articuli ſunt fide diuina credendi, tanquam à Deo reuelati, & nobis ſufficienter propoſiti, omnis enim vera religio debet niti reuelatione diuina; ſed omnis reuelatio facta eſt nobis in verbo Dei; ergo omnis vera religio debet in hoc verbo eſſe reuelata; ſed quæ non eſt reuelata in hoc

verbo, non conducit ad æternam ſalutem; nam ſalus hominis conſiſtit in acquiſitione, & poſſeſſione finis ſuperna turalis, nempe beatitudinis æternæ, hic autem finis requirit notitiam, & media ſupernaturalia ſibi proportionata; atque adeo religio conducens ad hunc finem, debet includere notitiam & media ſupernaturalia nobis vtique reuelata.

HYPPOTHESIS VIII.

AD *æternam ſalutem ſimpliciter neceſſaria eſt infallibilis certitudo, tum de completa ſūma Euāgelij, tum de vero ſcripturæ ſenſu, in ijs, quæ ſunt neceſſario credenda*. Per prędictam ſummam intelligo, completam collectionem illorum omnium, quæ à cunctis fidelibus ſunt credenda, & obſeruanda de neceſſitate ſalutis; cum enim in Euangelio ſint conſilia, & præcepta, oportet ſcire quæ obligent, quæ non; cum præceptà aſtringant ſub pœna damnationis æternæ. Et hæc obligatio inſinuatur à Chriſto Math. 28. *Docentes eos obſeruare omnia, quæcumque mandaui vobis*, Si autem completa ſumma Euangelij ſit de neceſſitate ſalutis, illud vero, quod ignoratur, obſeruari non poſſit, neceſſe eſt, vt fideles de illa inſtruantur, atqui nemo illam obſeruare tenetur, niſi ſit ei certum de fide, quod illa ſumma ſit reuelata, ſi enim de hoc dubium eſſet, licet etiam dubitare, an fideles ad eam tenerenrur de iure diuino. De hac ſumma vide. 2. par. diſtin. 10. Quod par etiam debeat dari certitudo de vero ſcripturæ ſenſu in ijs, quæ ſunt neceſſario credenda, patet, nam fides dicit certiſſimam cognitionem, adeoque doctrina fidei eſt certiſſima; ſed fides, & doctrina fidei deriuantur à cognitione, & interpretatione verbi Dei, & conſequenter ſi fides eſt certa, verbi Dei cognitio certa erit. Præterea ſi intelligentia verbi Dei in ijs, quæ ſunt neceſſario credenda non eſt certa, neque etiam certa erit doctrina,

quæ

quæ ex illa deriuatur, & ita, nec fides, nec Euangelium certa forent, quod eſt impoſſibile; cum igitur fides, & doctrina ſancti Euangelij ſint certiſſima, neceſſe eſt, vt interpretatio Sacræ Scripturæ in ijs, quæ de neceſſitate ſalutis credere,& obſeruare tenemur, ſit certiſſima.

HYPPOTHESIS IX.

H*Aec ſumma ſimul cum vero, & certo ſcripturæ ſenſu, ex principijs catholicorum facile haberi poteſt;ex principijs vero hæreticorū,impoſſibile.* Oſtendo breuiter, catholici,qui tenent non dari nouos fidei articulos, vt ipſum ſcripturæ canonem recipiũt per traditionem diuinam, de manu in manum deductam, ita per eandem infallibilem traditionem, recipiunt verum ſcripturæ ſenſum. Vnde quando Eccleſia Catholica in ſuis concilijs definit aliquid de fide,non condit nouum articulum, ſed antiquum iam pridem reuelatum magis declarat, & explicat, recurrendo ad traditiones, eaſque diligentiſſime indagando, & ex ijs, tanquam ex canalibus, per quos fluxit, verum ſenſum eruendo; in qua indagine, explicatione, & definitione, Eccleſia ſub aſſiſtentia Chriſti,& Spiritus Sancti, nunquam poteſt errare, vt 2. p. probatur diſt.2.& 3. quod autem impoſſibile ſit hoc haberi ex principijs hæreticorum, oſtendo, cum enim nec traditiones, nec infallibilem Eccleſiæ authoritatem admittant, nec ſcriptura ex ſe ſit clara, & euidens, vt ex ipſorum rixis, & contentionibus liquet, adeoq; neque hic ſenſus in ea videatur, ſicut videtur albedo in pariete, impoſſibile eſt, quod habeant infallibilem certitudinem de vero ſcripturæ ſenſu in ijs,quæ ſunt controuerſa, ac de neceſſitate ſalutis credenda.

HYPPOTHESIS X.

O*Bieƈtum fidei debet neceſſario,& cum certitudine proponi credituro.* Vel enim id debet fieri reſpeƈtu ſingulorum fidelium,vel non? Si non,quomodo audient ſine prædicante? Quomodo exercebunt aƈtum fidei circa obieƈtum, quod ignorant? cum enim veritates diuinæ ſint ſupernaturales, impoſſibile eſt quod propria virtute, & à ſeipſis, illas cognoſcant. Si debeat proponi obieƈtum, quæro à quo, & quomodo? ſi dicatur proponi à Deo per ſcripturam, addant catholici, & per traditionem, benè, ſed numquid hæc ſcriptura propoſita fuit Ario, Sabeliio, Luthero, & alijs, qui in eadem ſcriptura varia, & contrdiƈtoria de Chriſto, de diƈtis, & faƈtis illius pronuntiarunt, & vario modo eam expoſuerunt? Quomodo fideles, pueri, ruſtici, mulieres ſcient ex diƈtis, quænam ſit vera interpretatio ſcripturæ? cuinam omnes iſti credent? cum ergo Chriſtus velit fideles ſuos eſſe certos de vera intelligentia credibilium, nec ſcriptura nude ſumpta det hanc certitudinem, oportet aſſignare aliquam cauſam, per quam obieƈtum fidei in tanta opinionum varietate certo proponatur, de qua re diffuſius in 2. par. diſt. 3. & 4.

Hinc triplex oritur quæſtio in hac parte agitanda.

Prima, an Heterodoxi,ſeu moderni Acatholici in ſuis principijs colant,vel an potius deſtruant, & tollant chriſtianam fidem. Secunda, num in Religione,quam profitentur, detur vera illa ſalus,quam Chriſtus pro Euangelij obſeruantia promiſit, an potius carentia omnis veræ ſalutis?

Tertia, num hæc eadem religio reƈte ſentiat de Deo & Chriſto,an potius Chriſto, & Deo prorſus renuntiauerit.

DISTINCTIO I.

Heterodoxi, ſeu moderni Acatholici ſi ſuis adhæreant principijs, ex illis ipſis conuincuntur omni Chriſtianæ ſidei renuntiaſſe.

EX dictis conſtat eam religionem, cuius articuli non ſunt in verbo Dei releuati, non eſſe Diuinam, aut veram religionem, qui talem vero profitentur, iam veræ, & Diuinæ Religioni valedixerunt. Sit igitur.

QVÆSTIO I.

Acatholici nudæ inſiſtentes ſcripturæ ſe ipſos iugulant, & ad impoſſibile deducunt.

ARTICVLVS I.

Recenſentur præcipua heterodoxę Religionis principia

PRimum, & maxime generale, omnibuſque modernis Acatholicis commune principium eſt illud, *Scriptura eſt regula totius veritatis continens quidquid eſt neceſſarium ad Dei cultum, & ſalutẽ animæ.* Ex hoc affirmatiuo principio illud aliud negatiuum deducunt. *Nullus articulus eſt neceſſario credẽdus, niſi claris, & expreſſis ſcripturis contineatur, adeo vt interpretatione, vel concertatione partium non egeat, ſed ſimplici terminorum notitia.*

Tertium Principium ex primo, & ſecundo deductum. *Per ſcripturam omnes controuerſiæ fidei, omnes difficultates, omnia deniq; quæ huc ſpectant, ſunt examinanda, regulanda, & reformanda, quia eadem ſcriptura eſt iudex, & teſtis deciſiuus omnium controuerſiarum.*

Quartum principium, *Viſibilis Chriſti eccleſia præſertim Romana defecit, & errauit in fide, errarunt, & errare poſſunt æcumenica concilia, errarunt antiqui patres; omnes denique omnino homines ſunt fallibiles.*

Quintum principium: *Omnes omnino traditiones ſunt inuentiones humanæ, proinde non neceſſario tenendæ. Hinc cum ſola ſcriptura ſufficiat, omnia alia ſuperfluunt.* Hæc eſt communis religionis prætenſæ reformatæ vox, hic conſenſus in libris, confeſſionibus, catechiſmis, ita confeſſio Anglica art. 10. 19. 20. 21. 34. confeſſio Scotica art. 18. Gallica art. 4. 5. & 27. Heluetica art. 1. Argentinenſis cap. 1. præfatio confeſſionis Auguſtanæ anno 1530. confeſſio Vitenbergica art. 30. Saxonica ad finem; confeſſio comitis Palatini anno 1576. Boemica art. 1. Sueuica art. 1. & ne plura repetam, ita omnes Acatholici, quibus ſimul, & antiquis hæreticis, præfata principia ſunt communia, teſte D. Auguſtino contra Maximinum. Baſilio magno lib. de Spiritu Sancto Concil. Calcedonenſ. act. 1.

Circa prædicta notandum ex enumeratis principijs ſequi, Acatholicos teneri, omnes religionis ſuæ articulos inuenire in ſcriptura, idque in terminis expreſſis ſine vlla gloſa, vel conſequentia, vel ſi id non poſſunt præſtare per claram, & expreſſam ſcripturam, ſaltem id præſtent per expoſitiones, vel conſequentias, quæ fundent fidem diuinam, ita vt tales articuli per huiuſmodi gloſſas, vel illationes, probati debeant credi ſub damnationis æternæ pœna. Quod ſi nec vno, nec altero modo nequeant id facere, tales articuli vtique non ſpectabunt ad fidem chriſtianam.

Ne igitur quis ſeducatur per profeſſionem heterodoxam, vtque ipſi heterodoxi videant tenebras ſuas, ſi quis veritatis inquirendæ gratia cum ipſis diſcurrat, aduertat, quod ipſi ſint actores, cum accuſent Eccleſiam Romanam, adeoque tenentur accuſationem ſuam probare, Inde Catholicus tutius

tenebit partes defendentis, quam actoris;quare aduertat 2. has regulas; primo producatur confeſſio aduerſæ partis heterodoxæ,2. producatur aliquis articulus in terminis expreſſis, non communis vtrique parti, qualis eſt Trinitas, incarnatio, &c. ſed controuerſus v.g.*Non dari realem præſentiam, non purgatorium*, petatur, vt monſtretur hic negatiuus articulus in ſcriptura expreſſe, ſine recurſu ad gloſſas, vel conſequentias; nec permittatur ſaltare ad alia puncta, vel mutare difficultatem, donec fateatur non poſſe probari per ſcripturam expreſſam 3. inde pergatur ad alium articulum pariter controuerſum, & vrgeatur, vt ſimiliter probetur per textum aliquem expreſſum, in nuda ſcriptura repertum, qui nullum alium textum habeat in biblijs contrarium, vel ſi velit aduerſarius, ſumat ex noſtra confeſſione aliquem articulum controuerſum, & rogetur, ſi poteſt eum per ſcripturam claram, & expreſſam condemnare, monſtrando aliquem textum, qui expreſse, & contradictorie, ſine recurſu ad gloſſas, & conſequentias, ſit eidem articulo oppoſitus; tandem ſi ex defectu textuum expreſſorum recurrat ad gloſſas,vel conſequentias petatur, an ſit infallibilis in ſua conſequentia, vel gloſſa afferenda? Si ſit quomodo negat Eccleſiam vniuerſalem eſſe infallibilem? Si non ſit, non erit articulus infallibiliter certus, qui fallibili tantum conſequentiæ, vel gloſſæ innititur, quæ vt melius præſtes, tota hæc diſtinctio arma tibi miniſtrabit. Vade ſit.

ARTICVLVS II.

An ſcriptura, quam hodie habent Acatholici, ſit à Deo reuelata, ſecundum eorum principia non eſt de fide diuina.

QVia totam fiduciam ſuam in nuda ſcriptura collocarunt aduerſarij, ab ipſa ſcriptura exor-

ordior; vbi ſuppono, vt aliquid ſit de fide diuina, ſicut debet eſſe infallibiliter certum, ita innitatur neceſſe eſt infallibili teſtimonio Dei reuelantis; vnde nemo tenetur certo credere veritatem reuelatam niſi certus ſit, quod talis veritas ſit reuelata; hinc quando fideles credunt. *Deum eſse Trinum, & Vnum.* Ideo id certo credunt, quia certi ſunt, quod Deus illud reuelauerit; ſic ſimiliter, quia *Scripturam Sacram eſse verbum Dei*. Tam eſt myſterium fidei, quam quod in diuinis detur Trinitas perſonarum, requiritur, vt fideles ſint pariter certi, quod Deus reuelauerit Scripturam Sacram continere ipſius verbum.

Quam difficultatem, priuſquam ad Acatholicos pergam, facile ex ſuis principijs expediret catholicus, cum enim ipſe teneat, quod Spiritus Sanctus doceat Eccleſiam omnem veritatem, eique det priuilegium non errandi; medium autem quo illam docet, quod hic textus biblicus contineat verbum Dei, eſt diuina traditio, opera eiuſdem Spiritus Sancti continuo in eccleſia ſeruata, vnde ſuppoſito quod eccleſia non poſſit in docendo errare, vt in 2.p. probabitur, ſequitur, quod dictum eccleſiæ in hac traditione fundatum, ſit verum, & reale certitudinis fundamentum; cum igitur in Eccleſia omnibus ſæculis continuata traditione, ab Apoſtolis, & primitiua eccleſia deriuata, ſemper tanquam certiſſimum de fide propoſitum ſit, quod textus biblicus præſertim editionis vulgatæ, vere, & realiter verbum Dei contineat, & in hac eadem traditione diuinitus reuelata, nec non in tam continuato infallibilis eccleſiæ teſtimonio, catholici ſuam certitudinem fundent, clare conſtat, quod quiſque catholicus ſuper ſolidum fundamentum, ſuam certitudinem firmet; adeoque ſit infallibiliter certus, quod Deus in verbo tradito reuelauerit, Scripturam Sacram eſſe à ſe dictatam, vnde facile ſe expediet ab omni quæſtione ſuper hac re propoſita.

Non

Non ſic autem heterodoxi; vt ſic oſtendo; vnde ſunt certi, quod tradita ſit ipſis vera illa ſcriptura, quæ à Deo eſt reuelata? quæro in quo fundent hanc certitudinem, an in ſcriptura? an in miraculis? an in euidentia ſenſus, & intellectus? an denique in traditione? non in ſcriptura, vt ſic premo, eſt ne ſcriptura Verbum Dei? omnino inquient aduerſarij. Vnde conſtat? ex eadem ſcriptura aiunt. ſed an ex eadem tota, an ex parte aliqua ipſius? ſi ex eadem tota, iam petitur principium, idem enim per idem probatur, & idem in ſeipſum reſoluitur. Si ex aliqua parte illius, quænam eſt illa pars, quæ dicit Scripturam eſſe Verbum Dei? hic hærent, deinde textus, qui non diceret ſe eſſe verbum Dei, ex hac reſponſione dubitari poſſet, an eſſet reuelatus, item vbi dicit geneſis, vbi Euangelium Mathæi dicit expreſſe, ſe eſſe verbum Dei, & ſi hoc ipſum diceret iterum quærerem, vnde conſtat hunc ipſum textum eſſe canonicum? quis teſtatur eum eſſe talem? ſed repeto eſt ne tota ſcriptura verbum Dei? omnino, vnde conſtat? an ex ſcriptura? iam hoc circulo concluſi ſunt.

An ex traditione? hoc papiſticum eſt, & negant. An ex miraculis? nulla talia à morte Apoſtolorum admittunt. Non ex euidentia ſenſus, certe ſi ſic eſſet euidens, vt euidens eſt, dum dies eſt, Solem lucere, omnes id perciperent, Hebræi, Turcæ, Pagani; non ex euidentia intellectus, ſeu terminorum, qualis eſt iſta, *Omne totum eſt maius ſua parte.* Quæ propoſitio omnem intellectum ad ſui aſſenſum trahit, non tamen ita trahit, vel cogit hæc propoſitio, *ſcriptura eſt Verbum Dei*, vt patet in Turcis, Paganis, ac Hebręis reſpuentibus nouum teſtamentum, vel ergo ad traditionem ſimul, & Eccleſiam veniendum eſt; ſed huc ſecundum ſua principia confugere nō poſſunt; ſi ad ſpiritum priuatum ruant, infra hoc poſticum occludam.

Forte iterum recurrent ad traditionem: ſed qui-

quinam ipſis immediate tradiderunt ſcripturam? An prophetæ, Apoſtoli, vel Angeli de Cælo? An Turcæ, Græci, vel Hebræi? non primi; his ſecundis in re tanti momenti non eſt fidendum: quinam ergo tradiderunt? confundant aduerſarij diabolum, & dicant veritatem: vtiq; à Romanis Catholicis habent ſua biblia, ſi quæ habent: ſed iam ſuo ſe iugulant gladio, nam de fide ipſorum eſt, Eccleſiam Romanam erraſſe, corrupiſſe puram doctrinam, introduxiſſe ſuperſtitiones; nunc admiſſa hac falſa ſuppoſitione, quis eorum audebit fidere huic libro cum certitudine infallibili de ipſius puritate, & integritate, cum catholici ſat ſuperque temporis habuerint eum corrumpendi, ſicut ſecundum aduerſarios corruperunt doctrinam? præterea quandoquidem teneant Romanam Eccleſiam erraſſe, hinc omnis eorum certitudo reſoluitur in dubium iudicium, forte habemus veram ſcripturam, forte non habemus, nam omnis eorum certitudo, an tradita ſit ipſis vera, vel pura ſcriptura, dependet ſecundum eorum principia, ab Eccleſia fallibili, quæ ſcripturam tradidit.

Nec eſt quod recurrant ad diuinam prouidentiam, quæ ſeruauit ſcripturam. Nam mira res eſt, quod illam ſeruauerit, & non potuerit ſeruare Eccleſiam, cui tot priuilegia promiſit, aut Eccleſiæ doctrinam; mira item compoſitio, vnire falſam Eccleſiam cum vera ſcriptura: nec item valet confugere ad vnanimem Chriſtianorum conſenſum, aſſerentem hanc ſcripturam eſſe à Deo reuelatam, idque eſſe argumentum moraliter certum, nam contra eſt 1. quod ſic cogantur fateri ſe non habere certitudinem fidei, ſed tantum moralem, quæ ſane non fundat fidem diuinam infallibiliter certam. Contra 2. ſi nulla infallibilis ſocietas fuit in orbe terrarum, ſecundum aduerſarios, quæ cuſtodiuit, aut tradidit hunc librum, vel aſſeruit eum eſſe à Deo reuelatum, antiqui Catholici, quan-

tum

tum ſcire poſſunt heterodoxi, poterant eum corrumpere, vel ex malitia, vel ex inaduertentia, ſicut ſecundum eos corrumperunt ſenſum huius textus, *Hoc eſt corpus meum.* Cum ergo à primo ad vltimum, prætenſi reformati nec diuinas, vel Apoſtolicas traditiones, nec infallibilem Eccleſiæ, authoritatem, admittant: neque aliunde habeant, quod ipſorum biblia ſint potius à Deo reuelata, quam Euangelium Pauli, Epiſtolà Barnabæ, quam ex dicto Eccleſiæ Romanæ, quod ſecundum ipſos eſt falſum, & fallibile, iam ſiſtendo in ſuis principijs, debent fateri, ſe non habere infallibilem certitudinem quod ipſorum biblia contineant verbum Dei, cum ex eiſdem principijs reijciant omne infallibile fundamentum talis certitudinis; vnde concluditur manifeſte fatendum ipſis eſſe, an ſcriptura ſit verbum Dei iuxta eorum principia, non eſſe de fide diuina, & ſic ex eiſdẽ ſeqnitur, eos poſſe dubitare, an quidquam in illa contentum ſit verum, ſcilicet an detur Deus? an verbum fuerit incarnatum? an detur æterna ſalus. O infæliciſſima Religio! en quomodo ruis in Atheiſmum, en ad quod præcipitium, tua reduxere falſiſſima principia.

ARTICVLVS III.

An prætenſi reformati habeant integrum ſcripturę canonem, vel an illa ſit regula totius veritatis, ex eiſdem principijs non eſt etiã de fide diuina.

NIhil eſſe de fide diuina, niſi quod habetur expreſſe in ſcriptura, eſt primum principium religionis reformatæ, tot vero, eſſe libros Canonicos, nec plures, nec paucio tes, eſſe articulum fidei non negant aduerſarij, omnium autem reuelatarum veritatum regulam, eſſe ipſam ſcripturam, eſt communis eorum profeſſio, & proteſtatio; igitur hi duo articuli. *Tot ſunt libri Canonici, nec plures, nec pauciores. ſcriptura eſt regula totius veritatis.* Si bene

di-

diſcurrant prætenſi reformati ex ſuis principijs, debent reperiri in ſcriptura èxpreſſe ; demus autem illos accepiſſe ab Eccleſia Romana veram ſcripturam, certe antequam illam in medium producant, bonam illius partem decoxerunt, ad hæc nonnulla clepunt, mutant, mutilant; expungunt ergo ex canone ſcripturæ libros ſapientiæ, Eccleſiaſtici, Tobiæ, Iudith Eſdræ, primum, & ſecundum Baruch, libros Machabæorum, alij Iob, alij Epiſtolam Iacobi, Apocalypſim alij reijciunt; inter hæc verba, & textus corrumpunt, imo doctor Braugthon proteſtans Anglus notauit in translatione Anglicana, ex ſolo veteri teſtamento octingenta, quadraginta octo loca corrupta eſſe; interim aduerſarij tenent de fide ſua, prædictos libros eſſe apocryphos.

Nunc ſic, vnde conſtat reformatis, prædictos libros eſſe apocryphos, alios vero non? vtique non ex Eccleſiæ teſtimonio, vel traditione, ex qua oppoſitum patet, quam ſi admitterent ipſi, totum ſcripturæ canonem deberent admittere: ſed proprius ad eorum principia, hos libros eſſe apocryphos, alios vero non, debet eſſe articulus fidei, vt ſupra dixi, adeoque niti principio reuelato, quod ſecundum ipſos, eſt ſola ſcriptura, nunc peto, vt producant, vel vnum ſcripturæ textum, qui dicat clare, & expreſſe, vt ad labium ipſorum loquar, libros Tobiæ, Iudith, Machabæorum; &c. eſſe apocryphos, dicant vbi? quo libro, capite, verſu? nullibi certe, cum euidens ſit in tota ſcriptura nullum talem textum inueniri: igitur cum iuxta eorum principia, nullus articulus ſit de fide, niſi qui continetur in ſcriptura expreſſe, & ex alia parte memoratus articulus v. g. *Præfati libri ſunt apocryphi, alij vero ſunt Canonici*. Non inueniatur in ſcriptura, nec per ſcripturam probetur, vt requirit confeſſio Anglica, infero manifeſte, ergo, *Prædictos libros eſſe apocryphos, alios vero Canonicos*, Secundum aduerſa-

uerſarios, non erit fide diuina credendum.

Dicent, hos non contineri in catalogo ab ipſis facto: ſed contra peto, cur liber Geneſis, Regum, Paralipomenon, aliæue partes, reponantur in illo catalogo; libri vero Tobiæ, Iudith, Machabæorum minime? quo hic recurrent? non ad traditiones, quas reſpuunt, non ad Eccleſiam, cuius authoritatem, vt fallacem, & fallibilem deſpiciunt, non ad patres, qui apud eos nullius ſunt momenti: quo ergo recurrent? alij reſpondent, quoad numerum librorum canonicorum non eſſe proprie articulum fidei, ac perinde eſſe credere, vel non credere, quot, & qui ſint libri canonici, qui non; ſed contra, vel eſt certa, & infallibilis veritas, hos, quos admittunt, eſſe canonicos, vel non? Si primum; aſſignent fundamentum huius certitudinis: ſi ſecundum; ergo non eſt infallibiliter certum, eſſe de fide quidquid in illis continetur: & ſic reformati iterum repetunt Atheiſmum; ſi hoc audire horrent. vel deſerant ſua principia negantia traditiones, & infallibilem Eccleſiæ authoritatem, vel aſſignent fundamentum, & motiuum infallibile, quo ducantur certo credere, libros Geneſis, & Exodi; &c. eſſe canonicos; alios vero, ſcilicet, Tobiæ, Iudith, &c. non eſſe.

Denique pergo ad baſim, in qua fundatur ſtructura totius prætenſæ reformationis, nempe, quod *Scriptura ſit regula totius veritatis, continēs, quidquid eſt neceſſarium ad Dei cultū, & ſalutem animæ.* Hic articulus in primis debet eſſe de fide reformatorum, imo ab ipſis credendus, vt reliqui Chriſtianæ religionis articuli, ſub damnationis æternæ pœna, principium autem, in quo reuelatur ſecundum eos, debet eſſe ipſa ſcriptura, iam peto, vt ſupra, in quo ſacræ paginæ loco habeatur fundamentalis hic articulus? percurrant libros, textus, capita, & oſtendant ſine gloſſa vel conſequentia, vbi dicatur, *quod ipſa ſcriptura ſit regula totius veritatis, con-*

tinens, quidquid eſt neceſſarium ad Dei cultum, & ſalutem animæ? Dicent forte, eſſe principium ſe ipſo notum. Sed contra primò, ergo non habetur in ſcriptura expreſſe, atque adeo, hic erit articulus credendus quidem, nullibi tamen in biblijs inuentus, & ſic ſcriptura non eſt regula totius veritatis, cum hanc ipſam veritatem non contineat. Contra ſecundò, peto, quomodo eſt notum? an per ſenſum? hoc non, nam id non vident euidenter cœteri mortales. An ex terminis? & hoc non, nam non eſt euidens intellectui, ipſam ſcripturam eſſe reuelatam à Deo, ergo non eſt euidens, eam eſſe regulam totius veritatis.

Concludo igitur ad hominem, contra prætenſos reformatos, quandoquidem ex eorum principijs nihil ſit credendum, niſi quod continetur expreſſe in ſcriptura, *& tot eſſe libros canonicos, alios vero enumeratos eſse apocryphos; ſcripturam eſse regulam totius veritatis*, nullibi in ſcriptura inueniatur; hos ipſos articulos, iuxta eadem principia, non eſſe de fide; & ſic ruunt, & corruunt primę baſes religionis reformatæ; en lapſum irreparabilem,

ARTICVLVS IV.

Prætenſi reformati recurrentes ad ſuum ſpiritum, vt præfatos articulos perſuadeant, & ſeipſos circulo implicant, & ad impoſſibile deducunt.

VT aduerſarij pro enumeratis articulis, nullam habent ex ſcriptura certitudinem, ita nec eam vlli mortalium præſtare poſſunt; quod vt clarius pateat ſuppono, & ſupponere mecum etiam debent aduerſarij, quod per nudam oſtenſionem, vel etiam lectionem euangelij, aut alterius partis ſcripturæ, non conuertantur Turcæ, Pagani, & alij ſimiles infideles ad Chriſtianam religionem, ſed prius neceſſe eſt, talia illis inſinuare motiua, quæ

eos

eos prudenter inducant, illam religionem eſſe credibilem, & ad æternam ſalutem conducentem: Suppono item fidem diuinam talibus credibilitatis motiuis primario, & per ſe, non niti, ſed potius veracitate diuina reuelante; vnde vt aliquis credat fide diuina aliquod myſterium, eius fides non debet niti ijs præciſe motiuis, quibus inductus fuit amplecti chriſtianam religionem, ſed potiſſimum niti debet reuelatione diuina, alias eius fides non diuina, ſed humana eſſet, vtpote humanis innixa rationibus.

Nunc ſi quis proſelytus cuperet à reformatis in chriſtiana religione inſtrui, eumque vellent per ſcripturam erudire, ipſe interim rogaret, vt probent eam eſſe dictatam ab iſto Deo, quem ipſi prædicant, & continere ipſius verbum; non vero prophanas hiſtorias, vel moralitates tantum naturales; quam certitudinem iam dabunt iſti cathecumeno? hanc non facit ſecundum eorum principia, traditio, non Eccleſia, non concilia œcumenica, non conſenſio populorum, non miracula; his enim omnibus renuntiarunt, fruſtra item recurrerent ad euidentiam ſenſus, vel intellectus, hic enim rideret merito cathecumenus: quomodo ergo reddent hunc infallibiliter certum, ſcripturam eſſe diuinam, eſſe regulam totius veritatis, tot eſſe libros canonicos, tot alios eſſe apocryphos: en iam ſic premuntur aduerſarii, vt ne latum vnguem diſtent ab Atheiſmo, & cum cathecumenos ſuos facere deberent chriſtianos, faciunt Atheiſtas, nam nec ipſi ſunt magis certi, nec alios certiores poſſunt facere de Trinitate, incarnatione, paradiſo, inferno: quam an ſcriptura ſit à Deo dictata, ſit regula totius veritatis; neque ijſdem cathecumenis perſuadere certo, & infallibiliter poſſunt præfata myſteria, niſi quatenus probant hanc ſcripturam eſſe diuinam, ipſi autem ſtatuunt eàm eſſe regulam totius veritatis; quomodo ergo probant eam eſſe di-

diuinam? nullo modo ex ſuis principijs: quare nulli prorſus dare poſſunt certitudinem, de prædictis myſterijs; atque adeo, genus humanum non habet vllum motiuum, cur potius eorum religionem amplecti deberet, quam Turcicam, Hebraicam, Paganicam, & ſic infælix iſta religio à culmine chriſtianæ fidei corruit, in abyſſum excæcatæ infidelitatis.

Sed Papę: inuenerunt prætenſi reformati aſylum, quo pro certitudine confugiant, ſcilicet, ſpiritum priuatum, ſed certe, vt iam oſtendam, hic ſpiritus ponit circulum in naribus eorum, vt in circulo, ſine ſpe exeundi gyrare debeant, vel renuntiare huic ſpiritui: vbi nota, circulum tunc committi, quando hoc per illud, & illud viciſſim per hoc probatur apud eum, qui neutrum concedit, & æque de vtroque dubitat: ſic circulus foret ſi chriſtianus apud Turcam, qui nec Eccleſiam, nec ſcripturam admittat, probare vellet, ſcripturam eſſe infallibilem, quia Eccleſia dicit, & Eccleſiam eſſe infallibilem, quia ſcriptura dicit, nam vtrumque ſupponitur illi æque ignotum, & incertum; non erit autem circulus ſi vnum per alterum probes, apud eum, qui alterum admittit, alterum negat; aduerſarij admittunt ſcripturam, negant Eccleſiæ infallibilitatem, ſic autem cum eis poſſemus procedere: ſcriptura quam vos admittitis, dicit Eccleſiam eſſe infallibilem; ergo infallibilis eſt, hinc cum probamus apud Heterodoxos, quod libri Machabeorum v. g. ſint diuini, id probamus ex traditione, & authoritate Eccleſiæ, traditionem ex D. Paulo, authoritatem verò Eccleſiæ ex euangelio; aduerſarij autem admittunt euangelium, & epiſtolas D. Pauli, vnde nullus hic interuenit circulus; prætenſi vero reformati non ita, quia ſcripturam tantum ſtatuunt regulam totius veritatis, & iudicem omnium controuerſiarum, ac extra illam omnia alia reijciunt, ſi petatur ab eis, vnde ſciunt hanc ſcripturam eſſe

di-

diuinam? non poſſunt reſpondere per traditiones, aut authoritatem Eccleſiæ, quare recurrendum erit ipſis, ad ſuum ſpiritum priuatum, quem vocant internam teſtificationem Spiritus Sancti, quam quiſque prædeſtinatus in ſe perſentiſcit; iuxta illud Io: 10. *oues meæ vocem meam audiunt*; alij eum vocant vnctionem; iuxta etiam illud primæ Ioan. 2. *vnctio eius docet vos de omnibus*. Hic ſpiritus, inquiunt, peculiaris eſt ſolis electis.

De iſto ergo occulto & latente ſpiritu, peteret cathecumenus, certior fieri, & an ſit ab illo Deo, quem prædicant ſectarij, ſane tota huiuſmodi certitudo petita ab illo cathecumeno, fundatur in ipſius catechiſtæ relatione iurantis ſe illo inflari, addendo in hoc, ſe nolle mentiri; ſed inſtaret cathecumenus, qui accuſat Eccleſiam, patres, concilia, erroris, numquid ipſemet erit obnoxius errori? Deinde ponamus eum nolle mentiri, (ſane hoc ipſum credere, eſſet mera vrbanitas in pagano, ſeu illo cathecumeno) ponamus tamen ſic eſse, & aſſerere ſe ſentire internum illum ſuſurrum, quomodo perſuadebit eum eſſe à Spiritu Sancto, ac non illuſionem diabolicam? quam certitudinem dabit ſuo cathecumeno, de hoc ſuo ſpiritu? an forte ex ſcriptura, ſic probat ſcripturam per ſuum ſpiritum, & ſpiritum per ſcripturam, atque ſic manifeſtus committitur circulus, & prius quam id oſtendo.

Refutatur iſte ſpiritus.

Vel Apoſtoli erant inſtructi hoc ſpiritu, vel non? Si non, ſpiritus reformatorum, non eſt Apoſtolicus, ſed potius diabolicus: Si erant, quare conuenerunt Apoſtoli, & Seniores Ieroſolymis? quare magna conquiſitio fiebat, act. 15. quid opus fuit concilio, ſi quilibet habebat vnctionem internam? item, ſi ſpiritus iſte pertinet ad ſolos electos, peto an fuerint electi de quibus dicitur. Lucæ 22.

& tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos? Si electi habebant eundem ſpiritum, quem Petrus, cur ergo iubetur eos confirmare? Si reprobi, quomodo fratres, Sed ad hominem peto, quos miniſtri, & prædicantes docent, dum interpretantur ſcripturas, ſunt ne electi, an reprobi? ſi ſunt electi, fruſtra docentur, nam habent eundem ſpiritum, quem miniſtri, ſi reprobi, certe etiam fruſtra, quia cum careant hoc ſpiritu, non habent vnctionem internā, ſolis electis propriam, vt quid ergo laterem lauant? proſcribendi ſunt ergo omnes miniſtri, & prædicātes; rurſus, vel ille ſpiritus ſemper eſt infallibilis, vel aliquando fallit? ſi ſecundum, à diabolo eſt: ſi primum cur Lutherani, & Caluiniſtæ diſſident in controuerſia, de reali pręſentia? cur diris ſe deuouent mutuo, cum vtrique prætendant ſe electos, & habere vnctionem internam? nunc.

Oſtenditur circulus.

Vnde conſtat prætenſis reformatis, ſcripturam eſſe diuinam? ex vnctione (inquiunt) interna ſpiritus docentis illos de huius ſcripturæ veritate, & certitudine: ſed vnde conſtat vnctionem illam, ſeu internum illum ſuſurrum, eſſe à Spiritu Sancto? ex ſcriptura (inquiunt) ſuperius citata. *Vnctio eius docet vos; & oues meæ vocem meam audiunt.* Et hæc ipſa ſcriptura vnde conſtat, quod ſit diuina? ex interna vnctione ſeu teſtificatione: & hæc teſtificatio, vnde conſtat, quod ſit diuina: ex prædicta ſcriptura; prædicta eſt ne diuina? omnino aiunt, & vnde conſtat? en iterum ad internum ſuſurrum, & inde ad ſcripturam, & hinc denuo ad ſuſurrum, vt perfectus committatur circulus, qui eſt eiuſdem ab eodem in idem reuerſio.

Reſpondebunt forte, ſe non committere circulum, probant enim ſcripturam per vnctionem internam, & hanc per ſcripturam, non apud eos, qui vtramque negent, ſed apud eos, qui alteram admittant, ſcilicet ſcripturam, alteram vero ſcilicet

vn-

vnctionem negent. Sed contra, nam neque ſic euadent, vel enim hæc interna vnctio eſt communis, tam electis, quam reprobis, vel ſolis electis propria? ſi primum, quam partem habent in ea prætenſi reformati, pluſquam Hebræi, Turcæ, Pagani? ſed his non teſtificatur hæc vnctio, ſcripturam eſſe diuinam, oſtendant, imo legant euangelium Hebræis, hi negabunt ſuum ſuſurrum dictare ipſis illud eſſe diuinū; dicant catholicis hunc textum, *hoc eſt corpus meum* intelligi in ſenſu figuratiuo, negabunt hi ſuum internum ſpiritum eis dictare, talem eſſe illius ſenſum, & ſic de alijs.

Si autem vnctio, ſeu teſtificatio iſta ſit propria ſolis electis, iam iterum agitantur in circulo, nam eatenus eis dictabit ſcripturam eſſe diuinam, quatenus conſtat eos eſſe electos, ſed quid ſi aliquis hoc neget, quid ſi dicat eos eſse reprobos? vnde ergo probabunt ſcripturam eſſe canonicam? non aliter, quam ſic forte, electi habent vnctionem internam de veritate ſcripturæ; proteſtantes, Puritani, Caluiniſtæ, ſunt electi; ergo habent vnctionem iſtam internam, docentem eos. De maiori nihil dico modo, ſed peto, vnde probetur minor, vnde conſtat reformatos eſſe electos? en nouum circulum, nam probant ſe habere vnctionem internam quia ſunt electi, & probant ſe electos quia habent vnctionem internam, ſic ni fallor, vnde conſtat vobis reformatis vos habere vnctionem internam? quia, inquiunt, ſumus electi: & vnde conſtat quod ſitis electi? quia habemus vnctionem internam, ſeu ſpiritum priuatum, qui nos docet: & hanc vnctionem vnde probatis? quia ſumus electi. Sic in ſuo circulo rotantur quaquauerſum, ſine exitu, vt recte D. Auguſt. in pſal. 139. in illa verba. *Caput circuitus eorum, quid eſt circuitus eorum? vt circumeant, et non ſtent, in gyrum eant erroris, vbi iter eſt ſine fine, ipſe eſt labor impiorum.* Hinc concludo, quando aduerſarij probant canonem ſcripturæ per ſuum ſpi-

ritum, cum non ſit de fide diuina, talem afflatum eſse à Deo, ita iuxta hoc idem principium, non erit apud eos de fide, ſcripturam eſſe diuinam, vel ergo debent redire ad traditiones infallibiles Romanæ Eccleſiæ, vel negare eſſe de fide, quod eorum biblia ſint diuina, mira conditio iſtius reformationis, cuius primæ baſes ex proprijs principijs corruerunt.

QVÆSTIO II.

Omnibus articulis controuerſis religionis reformatæ, deeſt patrocinium verbi Dei; proinde non ſpectant ad chriſtianam fidem.

NOtanter dixi, articulos controuerſos, de ſequentibus enim cum illis non litigamus, nempe de myſterio Trinitatis, incarnationis, paſſionis, extremi iudicij, &c. quamquam nec de his ipſis, aduerſarij poſſint habere maiorem certitudinem, quam de ſcriptura, in qua reuelantur; de hac autem vt vidimus, ex ſuis principijs, non habent infallibilem certitudinem; ergo nec de illis; de alijs igitur, ex quibus ſuæ reformationis ſtructuram fabricarũt, agendum; oſtendendo eos non pertinere ad chriſtianam fidem, adeoque nec reformationem ex eis conſtructam.

ARTICVLVS I.

Recenſentur communiora Religionis rformatæ dogmata.

QVia aduerſarij in multa fruſta ſecti ſunt, inſtar vulpium Samſonis, non eodem ſenſu omnes de Religione opinantur, vel argutantur, quidam hæc, alij illa, illi diuerſa ruminantes, recenſebo communiores articulos, idque per paragraphos.

§. I.

§. I.

Numerantur articuli communes Catholicis, & Acatholicis, qui in ſcriptura expreſſe non leguntur.

TEnent ergo aduerſarij ſcripturam eſſe verbum Dei. Epiſtolam ad Romanos, ſimul cum alijs eiuſdem Apoſtoli Epiſtolis eſſe canonicam, ad Laodicenſes vero, apochrypham.

Tenent abrogationem Sabbati, & ſubſtitutionem diei Dominicæ, obſeruantiam feſtiuitatum, Natiuitatis, Paſchatis, Aſcenſionis, Pentecoſtes.

Amplectuntur diſpenſationem illius præcepti act. 15. de abſtinentia à ſanguine, & ſuffocato, edunt enim libenter farcimina, lepores, perdices, & alia huiuſmodi ſuffocata animalia.

Tenent cum Concilio Nicæno filium eſſe conſubſtantialem Patri, admittunt tria ſymbola, ſcilicet, Apoſtolorum, Concilij Conſtantinop. Athanaſij.

*B*aptizant paruulos, & *B*aptizatos ab Hæreticis, tenent non eſſe rebaptizandos: tenent Baptiſmum, & cænam eſſe Sacramenta; admittunt nomina Trinitatis, & Incarnationis; nullus tamen ex his articulis inuenitur expreſse in ſcriptura.

§. II.

Articuli communes proteſtantibus, & Caluiniſtis

V*Iſibilis Chriſti Eccleſia, præſertim Romana, errauit etiam in fide, & defecit.* Ita confeſſio Gallica, art. 31. Catechiſmus Geneuenſis in præfatione ad Lectorem. Confeſſio Anglica, art. 19.

Libri Tobiæ, Iudith, Sapientiæ, Eccleſiaſtici, Baruc, Machabæorum, ſunt apocryphi. Confeſſio Gallica, art. 3. Confeſſio Anglica, art. 6. Alia artic. 7.

Biblia

Biblia Lutherana,poſt vetus teſtamentum,& ibidem Hæſitanter recipiunt Epiſtolam Iacobi, tertiam Ioannis, Epiſtolam Iudæ, Apocalypſim.

Purgatorium, Indulgentiæ, inuocatio Sanctorũ, cultus imaginum, & reliquiarum, ſacrificium miſſæ, ſunt illuſiones.&c.Confeſſio Gallica ſparſim,& præſertim, art.24.Confeſſio Anglica, artic. 22. & 31. Confeſſio Auguſtana, art.11.

Duo tantum ſunt Sacramenta; ſcilicet Baptiſmus, & cœna. Confeſſio Gallica artic.35. Confeſſio Anglica, art.25.Catechiſmus Geneuenſis Dominica 48. Et eſt commnnis ſenſus Lutheranorum, & Caluiniſtarum.

Concilia generalia errarunt, & errare poſſunt. Confeſſio Anglica art.21.

Peccatum originale, etiam poſt Baptiſmum, eſt peccatum. Confeſſio Gallica art.11. Confeſſio Anglica art. 9.

Iuſtificatio fit per ſolam fidem. Confeſſio Gallica art. 22.Confeſſio Anglica art. 11.ConfeſſioAuguſtana, art.20.

Omnes Paſtores Eccleſiæ, æqualem habet authoritatem, & poteſtatem. Confeſſio Gallica art.30.

Modus recipiendi Eucbariſtiam,eſt per fidem tantum. Confeſſio Gallica art.36. Confeſſio Anglica art.28.Catechiſmus Geneuenſis Dominica 5.

Bona opera non conducunt ad iuſtificationem. Confeſſio Anglica,art.11.forma iurandi ex præſcripto parlamenti Anglicani. Alios ad diſt. ſecundam remitto.

Hi ſunt articuli, hæ baſes & fundamenra prætenſæ reformationis, hæc dogmata fidei reformatę, horum probatio iure merito exigitur, idque per Sacræ Scripturæ textus expreſſos, & claros, vt reformati aiunt, ſine mutatione, additione, diminutione, ſine recurſu ad gloſſas, vel conſequentias.

AR-

ARTICVLVS II.

Examinantur recenſita illa dogmata ad regulam prætenſæ reformationis, & ex eadem oſtenditur, ea non pertinere ad fidem Chriſtianam.

COmmune reformatorum principium eſt, *Quod ſcriptura ſit regula totius veritatis, continens quidquid eſt neceſſarium ad Dei cultum, & ſalutem animæ.* Proinde ſecundum, hoc ipſum principium, nihil eſt credendum niſi quod in eadem habetur expreſſe. Hanc ergo regulam ſic vrgeo: vel recenſita illa dogmata, ſunt neceſſaria ad Dei cultum, & ſalutem animæ, vel non? Si ſunt, iure merito petimus, vt expreſse, & manifeſte legantur in nuda ſcriptura, quæ, aduerſarijs vltro fatentibus, continet quidquid eſt neceſſarium ad Dei cultum, & ſalutem animæ; peto igitur, vbi habetur expreſſe in eadem ſcriptura Eccleſiam Romanam erraſſe, *Solam fidem iuſtificare, non dari purgatorium, ſacrificium miſſæ &c.*? Vbi inquam, hæc, & alia ſuperius numerata leguntur? Quo libro, capite, verſu? proferant vnum textum, qui vel vnum ex his afferat expreſſe, ſine gloſſa, mutatione, additione, diminutione: nunquam oſtendent. Si autem prædicta dogmata non ſunt neceſſaria ad Dei cultum, & ſalutem animæ, ergo non ſpectant ad Chriſtianam Fidem. Cur igitur in eis tanquam primarijs baſibus machinam ſuæ reformationis fundant? cur cum Dathan, & Abyron, ſacrilegum ſchiſma fouent? cur in contradictione Core pereunt, ruuntque in abyſſum infælicitatis æternæ?

Vrgeo ſecundo: articuli enumerati, vel ſunt in verbo Dei ſcripto, eo modo, quo exprimuntur in confeſſionibus reformatorum, vel non ſunt? Si ſunt, proferatur ſcriptura, euoluantur libri, capita, verſicula, & in ijs oſtendantur, nam prouocatunt

runt olim Catholicos, ad nudam, & apertam ſcripturam, nos cum D. Auguſt. lib. de vnitate Eccleſiæ ab eis ad hominem, aliquid apertum, aliquid manifeſtum, aliquid, quod interprete non indigeat, flagitamus, cui nihil addatur, nihil dematur, dum autem petimus textus expreſſos, poſcimus tales, qui vel articulum expreſſe contineat, vel ortam de puncto aliquo Controuerſiam manifeſte decidat, idque præſertim iuxta reformatorum principia, quæ ſolam ſcripturam ſtatuunt regulam, & iudicem; legant ergo in eadem, præfata omnia nude, & expreſſe, ſicut in illa legimus, in diuinis dari Patrem, Filium, Spiritum Sanctum, Matth. 28. Verbum eſſe Incarnatum. Ioan. 1. Si vero prædicti articuli non ſunt in Verbo Dei, cur ergo per impoſturas ſeducunt miniſtri? cur tot miſerrimis, & infæliciſſimis animabus fucum faciunt, & fallaciſſime imponunt, cur eas in re grauiſſimi momenti decipiunt?

Igitur non pertinent memorati articuli ad fidem Chriſtianam, ſiue diuinam, vt ſic probo, illud omne, & ſolum, eſt credendum fide diuina ſecundum aduerſarios, quod continetur expreſse in ſcriptura; ſed nullus articulus ex prædictis, continetur in ſcriptura expreſſe, ergo nullus ex prædictis articulis, eſt credendum fide diuina, adeoque ad Chriſtianam religionem non pertinent. Maior eſt vnanimis vox reformatorum. Minor ipſo ſenſu patet, ſi enim eſſent in ſcriptura expreſſe, poſſent ibi videri, & legi, quòd ſi ſint, eos quæſo oſtendant aduerſarij, vel fateantur, ſi id nequeant, præfatos articulos, ſiſtendo in proprijs ſuis principijs, non ſpectare ad Chriſtianam fidem; vt iterum premo, hoc diſcurſu, illi articuli non ſunt de fide diuina, ſeu Chriſtiana, qui carent vera reuelatione, omnis autem vera reuelatio, ſecundum reformatos, fit in ſolo verbo Dei ſcripto; ſubſumo, ſed prædicti articuli non reuelantur in verbo Dei ſcripto; ergo præmemorati articuli, non ſunt de fide diuina,

ſeu

ſeu Chriſtiana, igitur debent reformati illis renunciare.

Vnde ſic denique vrgeo; omnes illi articuli ſunt proſcribendi ex catalogo myſteriorum fidei, ſecundum aduerſarios præſertim, qui nuſquam in ſcriptura inueniuntur reuelati; ſed nullus ex omnibus articulis Controuerſis ſuperius allatis, inuenitur reuelatus in ſcriptura, vt vidimus; ergo nullus ex præfatis articulis reponendus eſt in catalogo myſteriorum fidei; ſubſumo, ſed omnibus talibus debent Chriſtiani, ſecundum reformatos, renuntiare, tanquam non reuelatis à Deo: ergo prætenſi reformati iam ex proprijs principijs, debent omnibus, & ſingulis ſuis articulis controuerſis renuntiare, tanquam non reuelatis à Deo, & tandem redire ad gremium Eccleſiæ; alioquin erunt inexcuſabiles Schiſmatici: vt ſic probo, quicumque ſe ſepararunt à vera, & viſibili Eccleſia, ob dogmata non reuelata in verbo Dei, ſunt veri & inexcuſabiles Schiſmatici; ſed omnes prætenſi reformati ſeipſos ſepararunt à vera, & viſibili Eccleſia, ob dogmata non reuelata in verbo Dei, vt conſtat ex dictis, ergo omnes prætenſi reformati ſunt veri, & inexcuſabiles Schiſmatici. Igitur vel debent renuntiare ſuis principijs, vel ſi nolint, debent agnoſcere ex eiſdem, præfatos articulos non ſpectare ad Fidem Chriſtianam, & ob tales, ſe ruere in præcipitium damnationis æternæ.

ARTICVLVS III.

Deteguntur heterodoxorum fraudes, in reducendis ſuis articulis ad negationes, vt ſic difficultatem euadant.

HAbet vt fateor Chriſtiana Religio articulos nō ſolum affirmatiuos, ſed etiam negatiuos, tam hi, quam illi ideo præciſe ſunt credendi, quia ſunt re-

reuelati in verbo Dei, & ſufficienter propoſiti:affirmatiui ſunt, v.g. omnes articuli ſymboli Apoſtolici, *Credo in Deum, Patrem omnipotentem,* &c.negatiui ſunt, *circumciſionem amplius non valere*, ad Gal.5. *Deum non poſſe mentiri* ad Heb.6. *fornicatores, auaros, immundos,*&c. *non eſſe hæredes regni Dei.* Ad Epheſ.5. & alij huiuſmodi, ſparſim in ſcriptura reperti; ſimiliter, dantur in decalogo, & alibi in biblijs præcepta tam affirmatiua, quam negatiua.

Hinc coaceruauerunt fidei reformatæ primi fabri plures negatiuos articulos, ad quorum probationem nullo modo, ſe obligari aſſerunt, quia inquiunt, *affirmanti,non autem neganti incũbit probatio.* Ex quo quidem axiomate, plura ſequuntur abſurda, ſic enim liceret cuiuis calumniari pro libitu, & quemuis innocentem condemnare, imo ſi ſubſiſteret, poſſent excuſari Hebræi, negantes Meſſiam veniſſe, Ariani, negando eum eſſe Deum; nec ipſi aduerſarij, iuxta hoc principium,deberent excandeſcere, ſi quis eis diceret, nego, ô miniſtri! veſtras vxores eſſe legitimas coniuges, probate non eſſe meretrices,ſagas, maleficas, nego vos ipſos eſſe chriſtianos, aut legitimos paſtores: dari equidem articulos negatiuos, eoſque poſſe probari, patet ex ſupra dictis, ſicut qui negaret Titium eſſe Dominũ huius domus, id probare teneretur per inſtrumenta oppoſita, vel per pacificam, & diuturnam poſſeſſionem alterius, quare licet ſubinde negatio non probetur à reo quidem, tamen ſecundum iuriſtas, negatio oppoſitâ affirmatiuæ adminiculatæ, vel innixæ præſumptioni probatur, & probari debet. Et in logica, & phyſica probantur negationes, vt patet *in Celarent, ferio* &c. quinimo aliqui ex aduerſarijs, notant ſyllogiſmos ductos ex teſtimonio, alios eſſe affirmantes, alios negantes? ac perinde probari aliquid eſſe, quia Deus, & ſapientes dicunt eſſe, ac non eſſe, quia dicunt non eſſe, hoc obſeruato, ne teſtimonium, quod affertur, vt medium, conci-

pia-

piatur negatiue v. g. quod Deus non dixit eſſe, id non eſt, ſic pleraque abſurda ſequerentur v.g. quod Deus non dixit, id non eſt, Deus non dixit bis tria eſſe ſex, ergo, bis tria non ſunt ſex, quod conſtat eſſe falſum. Quare nunquam recte negatur aliquid ſine aliquo motiuo, idque debet eſſe, vel iuſtum, vel temerarium, iuſtum negandi motiuum erit, dum quis eſt plene informatus, ac certus de veritate oppoſiti, ſic quia certiſſimi ſumus vnum tantum eſſe Deum, iuſtiſſime negamus plures eſſe Deos, hinc omnis propoſitio negatiua hæretica, habet ſemper veritatem poſitiuam oppoſitam, & reuelatam v. g. iſta, Chriſtus non eſt Deus verus, habet oppoſitam reuelatam Matth. 16. *Tu es Chriſtus filius Dei viui.* Et Ioan. 1. *Deus erat verbum*. Motiuum vero temerarium eſt, ſi quis negaret aliquid, dum tamen non eſt ſufficienter informatus, nec plane certus de veritate oppoſiti, vt ſi quis negaret Angelis commiſſam eſſe cuſtodiam hominum, temerarie negaret, dum non eſt certus de veritate oppoſiti.

Aliam fraudem addunt reformati, vt enim euadant onus probandi, ſolent hoc modo negatiue procedere, *nihil eſt credendum niſi ſit in ſcripturis; tranſubſtantiatio non eſt in ſcripturis, ergo tranſubſtātiatio non eſt credenda.* Vbi multæ interueniunt fallaciæ, prima eſt, quod cum ſint accuſatores, reijciant à ſe onus probandi, ſecunda, quod non procedant iuxta ſua principia, iuxta quæ deberent omnia probare ex ſcriptura, atqui neque maior, neque minor prædicti diſcurſus legitur in ſcriptura; tertia ſe ſuo iugulant gladio, cum volunt catholicos reducere ad hoc eorum principium, ſcilicet, nihil eſſe credendum, niſi quod eſt in ſcripturis, cum tamen ipſi credant ſcripturam eſſe regulam totius veritatis, eſſe verbum Dei, paruulos eſſe baptizandos, & ſimilia, quæ non leguntur in ſcripturis; item illæ negatiuæ ſecundum eos deberent eſſe de fide, & qua tales niti authoritate diuina reuelante,

ſicut

ſicut aliæ negatiuæ, de quibus ſupra, nituntur, v. g. *Deum non poſſe mentiri*; quare, vt magis detegantur huiuſmodi fraudes, ſerio aduertendvm, articulos, quos prætenſi reformati vocant negatiuos, reuera tamen non eſſe, ſed potius affirmatiuos, & poſitiuos, non enim dicunt non dari purgatorium, ſacrificium miſſæ, &c. ſed difertis verbis aiunt *Doctrina de purgatorio, miſſa, ultu ſanctorum* &c. *eſt futilis inuentio, blaſphema, fabula, duo tantum ſunt Sacramenta, ſola fides iuſtificat*, quare non negantes, ſed affirmantes ſunt habendi atque adeo onus probandi illis incumbit, vnde ſit.

ARTICVLVS IV.

Siuè dogmata prætenſæ reformationis ſumantur negatiuè, ſiue affirmatiue, aduerſarÿ, ſecundum ſua principia, tenentur, ea monſtrare in verbo Dei vel eiſdem, aut dictis principÿs renuntiare.

QVia aduerſarij totam prætenſæ reformationis machinam in nudis & expreſſis Biblijs velut cardinibus ſe voluere, & reuoluere gloriantur, vrgendo hos ipſos cardines, merito quærimus, an omnia dogmata tam affirmatiua, quam negatiua, iſtius religionis, ijs nitantur, & ſint de illorum numero; quæ genus humanum ſub damnationis æternæ pœna credere tenetur? quare ſic inſto: articuli illi, quos aduerſarij vocant negatiuos, vel ſunt articuli fidei, vel non ſunt? ſi non, de illis non eſt, cur amplius contendamus, cum noſtra lis ſolum ſit de rebus fidei, & hęc ſola ſit cauſa ſciſſuræ, ac diuiſionis: ſi ſunt articuli fidei, illos probent per purum expreſſumq; Dei verbum, iuxta ſua principia, alias non habent profeſſionem fidei certæ, ac firmæ, ſed potius incertitudinis, dubij, & ignorantiæ; ſic erunt ex ijs, de quibus ait D. Auguſt. *Nos*

inuitant certa cognoſcere, & poſtea imperant, vt incerta credamus. Si itaque iſta negatiua dogmata ſunt certa, pro illis certa proferant ſcripturæ teſtimonia, vt ſic vrgeo, vel aduerſarij ſunt tam certi, *Non dari purgatorium, realem præſentiam*, &c. quam certum eſt *Deum non poſſe mentiri, circumciſionem amplius non valere*, Vel non ſunt? ſi non, cur tam confidenter ea reponunt in ſymbolo ſuæ fidei? quid ea tam impudenter, credenda obtrudunt? Si autem ſunt certi, producant ſcripturam pro eis, ſicut profertur pro alijs negatiuis articulis, de quibus ideo ſumus certi, quia reuelantur in verbo Dei.

Et ad hanc probationem, eos teneri, ſic oſtendo, habent prætenſi reformati religionem diſtinctã à cæteris mortalibus, à Romanis Catholicis à Gręcis, Schiſmaticis, Turcis, Hebræis, iſta Religio, vt ſic diſtincta, habere debet ſuos proprios articulos, non enim dicent ſe à nobis differre in ijs, in quibus conueniunt v. g. in myſterijs Trinitatis, incarnationis, reſurrectionis &c. Eos ergo articulos, quos nobis contrarios profitentur, & ex quibus eorum Religio conſtruitur, vel tenentur probare, vel fateri tales non eſſe de fide ipſorum, vt probo, eſto non inuenirentur in ſcriptura ſacrificium miſſæ v. g. purgatorium, realis præſentia, &c. (inueniri tamen oſtendam in 2. parte diſt. Vltima) dato inquam, & non conceſſo, quod non reperirentur ibi, adhuc tamen reformati non poſſunt dicere per actũ poſitiuum fidei diuinæ, non dari realem pręſentiam, purgatorium, &c. nam nihil debet credi fide diuina, niſi quod Deus poſitiue reuelauit, ſed nullibi Deus poſitiue reuelauit, has negatiuas, ſcilicet, *Non dari Purgatorium, realem præſentiam, &c.* Ergo hæ propoſitiones non debent, nec poſſunt fide diuina credi. Maior admittitur ab aduerſarijs; minor eſt nota, ſi enim Deus reuelauit has negatiuas, ſunt credendæ fide diuina v. g. *Circumciſionem non valere, Deum non poſſe mentiri*, &c. quia reuelan-

tur in verbo Dei: ergo ſimiliter, ſi illæ aliæ negatiuæ, ſunt credendæ fide diuina debent eſse reuelatæ in Dei verbo , præſertim ſcripto ſecundum reformatos.

Nec valet dicere, quod ſufficiat ad credendum fide diuina, *Non dari realem præſentiam, Purgatorium,* &c. quia non leguntur talia in ſcriptura (ab alijs tamen ibi leguntur) non valet, quia dato, & non conceſſo , quod id eſſet verum, eſt tantum mera negatio , quæ ad ſummum oſtendit quod Deus omiſerit loqui de iſtis , quale ſilentium non poteſt fundare actũ fidei diuinæ, niſi hæc conſequentia valeat, quia infinita veracitas Dei , neque affirmat, neque negat tertium locum ; ergo , ego credam fide diuina , non dari purgatorium , ſic ſimiliter , potero dicere , quia Deus neque affirmat , neque negat Annibalem fuiſſe Hiſpanum ; ergo credo fide diuina , eum non fuiſſe Hiſpanum. Aliud ergo eſt, *Non credere aliquid* , Vt *non credere Purgatorium eſſe*, Aliud eſt *Credere illud non eſse*, Vt *Credere Purgatorium non exiſtere* , In primo caſu nullus eſt aſſenſus , ac proinde nullum requiritur fundamentum, quia eſt ſuſpenſio aſſenſus , cui ſufficit carentia fundamenti , quæ carentia eſt ratio ſuſpendendi aſsenſum .

Igitur *Non dictio Dei* Non probat *Purgatorium non exiſtere*, Sicut nec probat, *Aſtra non eſse paria*, Si enim probaret; ſic eſset arguendum, *Quod Deus non dixit, illud non datur; Deus non dixit purgatoriũ exiſtere; ergo illud non datur.* Maior eſt falſa probaret enim *Bis tria, non eſse ſex*, Triangulum non contineri in quadrangulo, quia hæc Deus non dixit. In ſecundo vero caſu, quo dicitur, *Credo purgatorium non exiſtere* , eſt aſſenſus , & enunciatio poſitiue credens non dari, vnde vt eliciatur talis aſsenſus fidei, neceſse eſt non ſolum dicere *Deus de hac re nihil dicit in ſcriptura* ; Sed vlterius requiritur probari, quod ipſius veracitas reuelans, poſitiue dixerit non

dari

dari Purgatorium, ſicut poſitiue reuelat *Se non poſſe mentiri*. Quare vt ego per actum fidei poſitiue negem aliquid v.g. dicendo circumciſionem non valere, debeo oſtendere eiuſmodi, poſitiue negari ab infinita veracitate diuina. Vt enim Catholicus poſitiue credat dari Purgatorium, debet oſtendere id eſſe reuelatum, vt fiet in 2. par. diſtin. vltim. ergo vt aduerſarij poſitiue per actum fidei negent illud exiſtere, debent oſtendere, Deum poſitiue negaſſe dari.

Quare vltimo tandem inſto; vel prædicta dogmata reducuntur ad terminos poſitiuos, & affirmantes, v.g. ſacrificium miſsæ eſt blaſphema fabula, & ſic de alijs; vel ad terminos negatiuos, non datur Purgatorium, realis præſentia, &c.? ſi primum, aduerſarij iuxta ſua principia, debent ea oſtendere in puro puto Dei verbo, cum ſit regula totius veritatis: ſi reducantur ad terminos negantes, vel ea agnoſcunt prætenſi reformati inter articulos ſuæ religionis, vel non? ſi non, ergo debet illa ex ſuis Confeſſionibus delere, eiſque renuntiare, cum ad eorum religionem non pertineant. Si vero illa agnoſcant inter ſuos articulos, vel illa probant, & oſtendunt in verbo Dei ſcripto vel non? ſi primum, proferant textus expreſſos, in quibus legantur; ſi autem ea non poſſunt probare per verbum ſcriptum, vel ergo prædictis omnibus debent renuntiare, vel ſi nolint, debent renuntiare ſuis principijs, & abſolute negare, hoc eorum commune dogma, eſſe verum, *Scriptura eſt regula totius veritatis continens, quid quid eſt neceſſarium ad Dei cultum, & ſalutem Animæ*, Cum præfatos articulos non contineat.

ARTICVLVS V.

Religio prætenſe reformata fundata ſuper prædictos negatiuos articulos, velut ſuper negatiua quædam nihila, in nihilum reſoluitur.

QVæſtio ſemper procedit de articulis fide diuina credendis, à Deo in verbo ſuo reuelatis; memorata dogmata in ſuis confeſſionibus, & Catechiſmis numerant, & credenda ſerio proponunt aduerſarij, nunc ſic, vel huiuſmodi negatiui articuli, ſunt de ratione formali conſtitutiua religionis reformatæ, vel non ſunt? ſi non, non datur in orbe terrarum reformata religio ſectariorum, tota enim qua talis, innititur fere ſolis negatiuis articulis, *Non ſacrificio miſſæ, non Purgatorio, non Eccleſiæ infallibili, non ſeptem Sacramentis*. &c. auferantur autem hæ negatiuæ baſes ab iſta religione, iam irreparabiliter corruit: ſi autem præfati articuli ſunt de ratione formali conſtitutiua dictæ religionis, atque adeo debeant in opinione aduerſariorum credi fide diuina, certe tenentur oſtendere, quod Deus illos reuelauerit, ſicut alios Chriſtianæ religionis articulos tam negatiuos, quam affimatiuos reuelauit, quod ſectarijs eſt impoſſibile, vt hactenus vidimus, nec in æternum oſtendent eos in verbo Dei.

Si dicant ſe eſſe certos non dari Purgatorium, realem pręſentiā, &c. quia non legunt illa in ſcriptura, dico hanc certitudinem fundari in ſtulta imaginatione, ſic enim deberent eſſe certi, quod omnes prætenſi reformati non ſunt animalia rationalia, nam ſane hoc nō legimus in ſcriptura; deinde etiam ſi falſo ſupponendo diceremus, Deus nec affirmauit, nec negauit dari *realem præſentiam, Purgatorium*, hæc ſane negatiua propoſitio, *Deus nihil dixit de tali re in ſuo verbo*, Sicut nō poteſt fundare fidem diuinam de reali præſentia, ita nec fundare poteſt

fidem

fidem diuinam de oppoſito; ſcilicet *Non reali præſentia*. Sic quia Deus nihil dixit in verbo ſuo de Pompeio, Annibale, Platone, an extiterint, fuerint reprobi, vel prædeſtinati, licet á parte rei alterutrum extremum ſit verum, tamen hoc ſilentium Dei, ſeu *Non dictio*. Non fundat in me actum fidei diuinæ, qui vel poſitiue affirmet, vel poſitiue neget tales extitiſſe, vel reprobos, vel prædeſtinatos fuiſſe.

Si enim deberemus certa ac diuina fide credere ea omnia non eſſe, quæ non legimus in ſcriptura, infinita obligaremur credere, vt non exſtare Pariſios, heterodoxos non eſſe mentis compotes, & ſexcenta alia. Dicere ergo, *Deus non fecit mentionem de reali præſentia, Purgatorio* &c. in ſcriptura (quod tamen eſt falſum) & inde inferre credendum eſſe fide diuina, hæc non dari, idem eſt ac dicere, poſſum actualiter fide diuina credere illud, quod Deus nunquam reuelauit; & ſic ex eo quod Deus non reuelauerit in ſcriptura Platonem, vel Ciceronem extitiſſe, inferre ſimiliter licebit, ergo fide diuina credendum eſt nec Platonem, nec Ciceronem vnquam extitiſſe: ſummum ergo quod ex falſa illa negatiua deducere poſſent aduerſarij eſt, quod dato, quod eſſet vera, nemo ſciat vel ſcire poſſit per reuelationem, vtrum ſit talis locus, qui dicitur Purgatorium, ſed hinc deducere abſolutam fidem diuinam de non Purgatorio, & iurare quod non detur, idque ſtatuere inter articulos Religionis, eſt mera phreneſis & dementia. Multa vtique ſcit Deus, quæ non reuelauit, inde ne ergo poſſum ego, ex eo quod non ſint reuelata, ſtatim applicare meam fidem, & illa omnia fide diuina credere, quæ Deus non reuelauit?

Sic procedit prætenſa reformatio, habet multas negatiuas propoſitiones nullibi reuelatas, & tamen eas fide ſua credũt reformati preciſe ideo, quia Deus illas non dictauit, atque ita ſtruunt nouam fidem,

cuius obiectum nullibi eſt reuelatum. Si dixerint has eſſe veritates inferioris ordinis. Cõtra ergo ſaltem prætenſa iſta reformatio,qua talis, & vt diſtincta ab alijs religionibus & ſectis, nullam veritatem reuelatam continet, atq; adeo eſt Religio in Irreligionem reſoluta. Et ſic prætenſa iſta Religio fũdata ſuper memoratas negationes,velut ſuper quędam nihila in nihilum tandem,reſoluitur: vt iam oſtendo retorquendo hanc negatiuam regulam, qua putant euadere in ipſos aduerſarios; & primo de affirmatiuis ſic diſcurro, *Quod Deus non dixit in ſcriptura, non eſt credendum;ſed ſcripturam eſſe regulam totius veritatis,libros Tobiæ,Iudith,Machabęorum eſſe apocryphos,viſibilem Eccleſiam,ac præſertim,Romanã erraſſe in fide,duo tantum eſſe Sacramenta* &c.*Deus nõ dixit in ſcriptura:ergo prædicta omnia eſſe vera, non eſt credendum*. Itẽ de negatiuis ſic vrgeo, *Quod Deus non dixit in ſcriptura,non eſt verũ;ſed Deus in ſcriptura non dixit,non datur Purgatorium,realis præſentia, ſacrificium miſſæ,* &c. ergo quod prædicta non dentur, non eſt verum. Item quod Deus non dixit in ſcriptura, ſecundum aduerſarios,non eſt credendum: ſed non dari Purgatorium,realem pręſentiam &c. Deus non dixit in ſcriptura; ergo hæc non dari, non eſt credendum. Maior vtriuſque ſyllogiſmi eſt ipſiſſima reformatorum regula. Minor patet ipſo ſenſu, ſi enim vllibi Deus has negatiuas protulit in verbo ſuo ſcripto, oſtendi vtique poterunt, eas ergo oſtendant aduerſarij, quo loco, vel capite proferantur; in æternum non oſtendent: ergo prætenſa reformatio his negatiuis innixa, tandem in purum negatiuum nihilum reſoluitur: patet, illa enim religio in nihilum reſoluitur, quæ nititur negatiuis articulis, nullibi à Deo reuelatis; ſed Religio prætẽſa reformata nititur talibus articulis nullibi reuelatis; ergo Religio prætenſa reformata in nihilum reſoluitur; ergo eadem Religio in prædictis articulis fundata, non eſt Chriſtiana Religio:

illa enim ſola,eſt vera & Chriſtiana Religio,quę innititur veracitati Diuinæ reuelanti; ſed nec Religio reformata, nec eius negatiui articuli, innituntur veracitati Diuinæ reuelanti; ergo iſta Religio non eſt Chriſtiana ; & ſic ab omni ſpecie religionis, abit in irreligionem, & inde per nihili calles,& Atheiſmi abyſſum. Hic caſus, hic exitus infæliciſſimæ iſtius reformationis.

ARTICVLVS VI.

Heterodoxorum euaſio aſſerentium ſe mere ſuſpenſiue habere ad articulos controuerſos, conuincit eos ſuæ reformationi renuntiare.

NOnnulli ex aduerſarijs duro neceſſitatis telo coacti, ad hoc effugium recurrunt,quod ſcilicet, Articuli Controuerſi ad eos non pertineant, quandoquidem ſe reſtringant ad nudam, & ſolam ſcripturam ; atque adeo, quod mere ſuſpenſiue ſe habeant ad præfatos articulos, nec approbando, nec reprobando, quodque tandem in hoc potiſſimum differant ab Eccleſia Romana, quod ipſi tales non recipiant, quos Catholici pro articulis fidei obtrudunt.

Ex hoc effugio colligo, aduerſarios tandem velle receptui canere, & cauſæ ſuæ ita diffidere, vt caſtra reformationis videantur deſerere. Per partes reſpondeo, & in primis ; quod ſe reſtringant ad nudam ſcripturam,bene,ſed nondum probarunt ipſam ſcripturam ſolam, eſſe regulam totius veritatis,nam ſi ſic, ipſi ſuo ſe iugulant gladio, *Scripturam enim, eſse ſic regulam, eſse iudicem Controuerſiarum, eſse verbum Dei, eſse incorruptam, tot eſse libros Canonicos, nec plures,nec pauciores,ſolam fidem iuſtificare, opera bona nullo modo eſse neceſsaria ad ſalutem.* Nullibi in ſcriptura inuenitur ; & tamen prædictæ propoſitiones ſunt baſes Religionis reformatæ ; ſi

ergo reformati ſe reſtringant ad nudam ſcripturam, præfatis omnibus renuntiare debent, ſi enim de fide ſua tenent, *Scripturam eſse Regulam totius veritatis, continere quidquid eſt neceſsarium ad Dei cultum, & ſalutem animæ, eſse verbum Dei, tot eſse libros apocryphos;* Non reſtringunt ſe ad nudam ſcripturam, quod ſi reſtringant, debent fateri, prædictas propoſitiones non eſſe veritates ſuæ fidei, quandoquidem ſcriptura ad quam ſolam ſe reſtringunt, eas nullibi dictet.

Ad illud, quod dicunt, ſe mere ſuſpenſiue habere ad articulos controuerſos, ſiue poſitiue, ſiue negatiue ſumptos; Reſpondeo hanc eſſe potiſſimam partem noſtræ victoriæ: ergo iam delendæ ſunt omnes aduerſariorum Confeſſiones; ſcilicet Gallica, Anglica, Auguſtana, Scotica. &c. expungendi ex illis, omnes, & ſinguli articuli contrarij Romanæ Eccleſiæ, nam tales ad aduerſarios nullo modo pertinent, vt iam fatentur, cum ſe præſcindant ab omni aſſenſu, & diſſenſu, circa præfatos articulos. Deleantur igitur ex eis, *Sacrificium miſſæ eſſe fabulam, Purgatorium, Indulgentias, cultum Sanctorum, vota Monaſtica, Peregrinationes, prodijſse ex officina Satanæ. Tranſubſtantiationem repugnare verbo Dei; deleantur tandem ex eiſdem, omnes articuli.* Art. 1. Recenſiti. renuntient Angli primatui Regis, deleant formam iuramenti, quam ſuis, & Apoſtatis Catholicis ſuſcipiendam proponunt.

Vnde ſic vrgeo, vel opinione aduerſariorũ errat in fide Romana Eccleſia, aſſerendo *Purgatorium, realem præſentiam, ſacrificium miſsæ.* &c. vel non errat? eligant, quod voluerint: ſi non errat in prædictis, cur ergo aduerſarij dicunt vnanimi voce erraſſe, & errare? cur ſe ab illa ſeparant? ergo ſunt maligni calumniatores, & inexcuſabiles ſchiſmatici: ſi autem iudicio ipſorum errat in fide, aſſerendo præfatos articulos, vtiq; omnis talis error committitur, contra aliquam veritatem reuelatam, idque

que vel negando pertinaciter myſterium aliquod; vel poſitiue affirmando aliquid expreſſe contrarium veritati reuelatæ; omnis autèm reuelatio fit ſecundum aduerſarios in ſolo verbo ſcripto, atque adeo omnis error fidei, debet oſtendi per viam veræ oppoſitionis cum dicto verbo, probent igitur præfatos articulos, eſſe oppoſitos huic verbo, antequam dicant Romanam Eccleſiam erraſſe in fide, condemnent eam ſi poſſunt, prout olim iactabant, per puram ſcripturam, oſtendant vbi nam errauit in fide? quænam dogmata profiteatur expreſſe contraria verbo Dei? id nequeunt in Dies æternitatis præſtare; quare conuincuntur eſſe perfidi impoſtores; nugæ autem ipſorum de ſuis negatiuis articulis, de ſilentio ſcripturæ ſufficienter ſunt refutatæ art. 3. 4. 5.

Denique ad illud, quod aiunt ſe potiſſimum differre à Romana Eccleſia in hoc, quod nõ recipiant articulos, quos ipſa credendos proponit: dico in hoc effugio, iterum aduerſarios velle foro cedere. Cur enim multiplicant in ſuis profeſſionibus tot articulos? Gallica enim numerata quadraginta, Anglica triginta nouem, Auguſtana circiter totidẽ, ſtante enim hoc effugio rurſus deberent omnes iſtas confeſſiones proſcribere, imo & comburere, atque adeo ſubſtituenda tantum eſſet hæc formula, *Nos reformati nihil credimus eorum, quæ credit Romana Eccleſia, ſed nudæ ſcripturæ inſiſtimus.* Proinde omnes ſuos articulos, dogmata, principia, liturgias, formulas iurandi, tamquam ſuperflua reſcindere deberent. Item ſi nudæ ſcripturæ inſiſtant, vel volunt omnia in illa contenta explicite credere, & obſeruare vel non, ſed tantum certam illius ſummam? Si primum, multa explicite, & credere, & obſeruare deberent aduerſarij, quæ horrẽt vel audire, vel facere. Vt *Baiulare crucem, abnegare ſeipſos, ire nudis pedibus, relinquere domos, agros, vxores, exhibere ſe cum Apoſtolo ſicut Dei miniſtros in*

ne-

neceſſitatibus, in laboribus, in vigilijs, in ieiunijs, in caſtitate. Hæc enim omnia habentur in ſcriptura, & quidem expreſſe. Si autem certa ſumma tantum eſt ſic credenda, & obſeruanda, quæſo, quis eam ordinabit inter reformatos, cum omnes in rebus fidei, ſint æqualis autoritatis? an Caluiniſtæ? an Lutherani? an Fanatici? & inter hos omnes, qui? an miniſtri, an ſutores, laniones, mulierculæ? tam hi, quam illi, in principijs eorum, adeoque tot deberent eſſe ſummæ, quot capita?

Sed propius inſpiciamus ſubtilem hanc euaſionem, & argutandi rationem, ſi aduerſarij dogmata illa Controuerſa, in eorum confeſſionibus inſerta erubeſcant iam agneſcere, ergo iterum habemus intentum, ſcilicet reformatam religionem abijſſe in nihili ſcrobes, adeoque nec dari talem in mundo, nullos enim habet ſpeciales articulos; quare, quod plenis buccis olim, æque ſtolide, ac ſtulte clamabant reformati, de viſibili Chriſti Eccleſia, defeciſſe nempe, fugiſſe de orbe terrarum, in chimærias tenebras, & errores abijſſe, nunc veriſſimo oraculo verum eſt de Eccleſia Reformata, apoſtataſſe ſcilicet, à prima ſua inſtitutione, abiuraſſe ſuos articulos, dogmatibus ſuis dirum damnationis theta pronunciaſſe, & abijſſe tandem in obliuionis æternæ caliginem, quod plenis votis optamus, doctrina enim communis ipſis, & Catholicis, non ſpecificat articulos reformatorum, vt faciunt religionem reformatam, ſicut nec doctrina communis Hebræis & Chriſtianis ſpecificat Chriſtianos; quod ergo hic vltimo vrgemus eſt, vt renuntient ſuis confeſſionibus, & principijs particularibus, nec ea credenda aut iuranda proponant, vt tandem appareat, ſicut vere eſt iſta Religio, velut Idæa Platonica, ex calumnijs, impoſturis, & falſis ſuppoſitionibus compacta. Fiat. Fiat.

QVÆ-

QVÆSTIO III.

Prætenſi reformati iuxta ſua principia nullum veritatis colorem pro ſuis articulis poſſunt ſperare, ex gloſſis, vel conſequentijs ſcripturæ.

ILluſerunt, & crudeliſſime impoſuerunt miſeris, & deductis animabus aduerſarij, promittentes ſe reformaturos Eccleſiam per nudum, & expreſſum Dei verbum, in iſto iactabant ſua dogmata oſtendere, per hoc, tanquam per totius veritatis regulam, ſpondebant omnia diſcutere, & iudicare, nunc miris anguſtijs preſſi recurrunt, non ad nudum verbum, ſed ad verbum fallibiliter expoſitum, ad conſequentias ex illo, fallibiliter etiam iuxta ſua principia, deductas.

ARTICVLVS I.

Nulla expoſitio à prætenſis reformatis in articulis controuerſis allata, iuxta eorum principia, poteſt fundare fidem Diuinam.

QVæſtio eſt, non de expoſitione probabili, vel humana tantum, nulla enim talis poteſt fundare fidem diuinam, quæ verſatur circa illa tantum obiecta, quæ à veracitate diuina ſunt reuelata: atque adeo quæſtio procedit de expoſitione infallibiliter certa, ſicut enim fides eſt infallibilis, ita infallibili fundamento niti petit. Hic vero iterum repetenda ſunt aduerſariorum principia, ſcilicet, *Nihil eſse credendum fide diuina, niſi quod habetur expreſſe in ſcriptura, nullum in rebus fide admittendum iudicem, præter nudam ſcripturam.* Hinc valedixerunt traditionibus, concilijs, Eccleſiæ authoritati. inueniez quidem expoſitiones ſcripturæ infallibiles, vbi textus reperiuntur expoſiti per alios textus, in

eadem

eadem ſcriptura. Vt act. 2. vbi D. Petrus adducens textum Ioelis Prophetæ, ex cap. 2. Eum explicat de Spiritu Sancto, quem tunc acceperant diſcipuli inquiens, *Hoc eſt, quod dictum eſt per Prophetam Ioel*. &c. ſic ibidem verſiculum decimum Pſalmi 15. explicat de Chriſto. Sic Chriſtus ipſe Matth. 21. Verſum 21. Pſalmi 117. *Lapidem quem reprobauerunt ædificantes*. Explicat de ſe ipſo. Et tales vtique expoſitiones ſunt de fide diuina, quia & à Deo reuelatæ, & ab authoribus canonicis relatæ, & ſcriptæ.

Hinc ſiſtendo in principijs aduerſariorum oſtendo, nullam gloſſam ab ipſis allatam, poſſe fundare fidem diuinam, ex eo quod pleraque in eis vitia reperiantur quæ obſtant, ne ſint de fide, & hæc vitia repeto, ex dogmatibus ipſius religionis reformatæ. Sit igitur.

Prima Ratio, contra gloſsas aduerſariorum.

Illud omne, & ſolum poteſt fundare fidem diuinam, ſecundum prætenſos reformatos, quod eſt reuelatum in verbo Dei ſcripto. Sed nulla expoſitio facta ad aduerſarijs in punctis controuerſis, eſt reuelata in verbo Dei ſcripto: ergo nulla expoſitio ab aduerſarijs facta in punctis Controuerſis, poteſt fundare fidem diuinam: maior eſt ipſorummet principium. Minor conſtat experientia præſertim in illo textu; *Hoc eſt corpus meum*. Quem ipſi exponunt per ea, quæ ſequuntur, ſcilicet, *Hoc facite in meam commemorationem*, Vbi inquiunt, ſecundus locus, dicit priorem intelligi in ſenſu figuratiuo, vnde addunt ſuam expoſitionem ſic, hæc eſt figura corporis mei: aliam gloſſam addunt, ex Io. 6. *Verba, quæ ego loquor, ſpiritus, et vita ſunt*, ideſt inquiũt *Modus recipiendi Eucharistiam eſt per fidem tantum*. Sed hæ expoſitiones non ſunt nobis expreſſe reuelatæ in verbo Dei ſcripto, ſicut ſunt expo-

poſitiones D. Petri, act. 2. vel Chriſti, Matth. 21. ergo ſiſtendo in principijs eorum, tales expoſitiones non poſſunt fundare fidem diuinam, niſi forte contra eadem principia, velint credere illa, quæ non ſunt reuelata. Et de alijs eorum expoſitionibus, idem eſto iudicium.

Secunda Ratio.

NVlla expoſitio partialiter innixa rationi, vel authoritati humanæ, aut ſophiſmati, poteſt fundare fidem diuinam; ſed omnes aduerſariorum expoſitiones in locis controuerſis innituntur partialiter rationi, vel authoritati humanæ, ac ſubinde etiam ſophiſmati: ergo nullæ aduerſariorum expoſitiones factæ in locis Controuerſis, poſſunt fundare fidem diuinam. Maior eſt principium reformatorum ſtatuentium, quod *Sola ſcriptura contineat omnem veritatem, ita vt nihil extra eam credendum ſit.* Minor patet diſcurrenti per omnes expoſitiones ab ipſis factas in locis controuerſis, nullam enim faciunt, cui non admiſcent aliquam rationem, ſophiſma, vel authoritatem humanam, vt v. g. *Hoc eſt corpus meum.* id eſt inquiunt, panis, quem frango, & vobis do, eſt commemoratio mei corporis, vbi vides propoſitionem non ſumi integre ex ſcriptura; dum itaque volunt ſcripturam eſſe regulam totius veritatis, & ex altera parte, faciunt expoſitionem, quam tamen totaliter non ſumunt ex iſta regula, iam contra propria principia ſtatuunt quandam veritatem, cuius totalis regula non eſt ſcriptura, & ſic iam contra ipſos, non erit regula totius veritatis, & eodem modo contingit in reliquis eorum interpretationibus.

Ter-

Tertia Ratio contra eaſdem gloſſas.

OMnis, & ſola illa interpretatio, debet eſſe de fide diuina, (ſecundum aduerſariorum principia) cuius vltimus, & adæquatus iudex, eſt ſola, & nuda ſcriptura; ſed nullius interpretationis factæ ab aduerſarijs in locis Controuerſis, ſola, ac nuda ſcriptura, eſt vltimus, & adequatus iudex: ergo nulla interpretatio facta ab aduerſarijs in locis Controuerſis, eſt de fide diuina. Maior eſt confeſſio ipſorum, vt ex dictis quæſt. prima, artic primo conſtat. Minor autem per manifeſtam experientiam patet in hoc textu Sæpius citato, *Hoc eſt corpus meum.* De quo, teſte Iacobo Gordono, Societatis Ieſu, viro erudito, tomo primo, controuerſia prima de verbo Dei, ſunt ducentę expoſitiones diuerſæ, apud reformatos inuentæ, vtique ex proprio cuiuslibet exponentis ingenio, & nuſquam in ſcriptura pro bonis, vel malis iudicatæ. Vt ergo, euadant ſenſum literalem præfati textus, recurrunt ad ſequentem verſum. *Hoc facite in meam commemorationem*, memoria autem inquiunt, Secundum Ariſtotelem, eſt rerum abſentium: vbi vides, quod ad ſtabiliendum punctum principale ſuæ religionis ſtatuant pro iudice, Philoſophum Paganum: ergo ſi ſcriptura eſt totalis, & adæquatus iudex omnium controuerſiarum, cum prædictam expoſitionem totaliter, & adæquate non decidat, ſed ſimul cum illa pro tribunali ſedeat etiam Ariſtoteles, iam ſiſtendo in aduerſariorum principijs, præfata interpretatio non erit de fide diuina, quæ obliget ad aſſenſum genus humanum, nec etiam vlla alia expoſitio ab ipſis ſimiliter facta.

Vrgeo vlterius præfatum diſcurſum; vel expoſitiones aduerſariorum ſufficiunt ad fundandam fidem diuinam, ipſorum iudicio, vel non? Si non ergo

ergo habemus intentum, & ſic omnes tales erunt reijciendæ: ſi primum, peto, quis iudicabit eas ſufficere ad fundandum articulum, credendum de neceſſitate ſalutis? Si ſcriptura iudicat, neceſſe eſt, vt dicat iſtam interpretationem eſſe veram, quod tamen non dicit: Si illa tacet, ergo vel aduerſarius vel alius quiuis erit vltimus iudex, non vero ſcriptura, & ſic illa iam contra ſuam reformationem reiecta, ſe ipſos ſtatuunt iudices noſtri reformati, nam cum apud ipſos ſutor v. g. nolit admittere pro iudice huius interpretationis Eccleſiam, vel concilia, nec ſcriptura dicat eam eſſe bonam, vel malam, eam tamen bonam putat noſter ſutor, quæro ad cuius iudicium ſe tunc referet: non ad Biblia, quæ nihil dicunt: an ad miniſtrum? Sed hoc eſt, ad alterius ſe referre arbitrium, qui iam Eccleſiæ renuntiauit authoritati: an ad proprium iudicium, ſed hoc eſt deſerere ſcripturam, quæ cum non iudicet iſtam gloſſam, hæc ſecundum aduerſariorum principia, non debet eſſe de fide.

Quarta Tandem Ratio.

NVlla expoſitio, quæ tantum eſt mera opinio poteſt fundare fidem diuinam; ſed omnes aduerſariorum expoſitiones in locis controuerſis ſunt meræ opiniones; ergo nullæ aduerſariorum expoſitiones in locis controuerſis, poſſunt fundare fidem diuinam. vbi claritatis gratia, breuiter inſinuo, opinionem eſſe aſſenſum vnius partis contradictionis cum formidine de oppoſito, tunc autem contingit, quando propoſitio, cui præſtatur aſſenſus, habet contra ſe rationes, ſi non minoris, ſaltem paris authoritatis cum ijs, quæ militant in eius fauorem. Si v. g. Hieronymus, & Auguſtinus, ambo eundem ſcripturæ textum exponunt, Hieronymus vno modo, Auguſtinus vero diuerſo, certe talis expoſitio, neque euidens erit, neque de fide, ſed

mera opinio, cum rationes vnius, & alterius partis ſint paris authoritatis. nunc ad rem, maiorem ſyllogiſmi propoſitionem, veram eſſe fatebuntur aduerſarij, cum idcirco omnia credibilia referant ad ſolam ſcripturam, tanquam ad infallibilem regulam totius veritatis, & alia omnia extra illam reijciant velut inuentiones humanas.

Minor autem probatur; nam omnes expoſitiones factæ ab aduerſarijs in locis controuerſis, ſunt contradictorie oppoſitæ expoſitionibus patrum primitiuæ Eccleſiæ; ſed illi patres, ſi non ſunt maioris, certe adminus erunt in exponenda ſcriptura, paris cum aduerſarijs, authoritatis, quod nobis ſaltem dignabuntur domini reformati concedre; ergo ad ſummum expoſitiones aduerſariorvm, ſic patrum expoſitionibus oppoſitæ, erunt meræ opiniones? quanti vero ponderis ſint patrum interpretationes, modo non diſputo, ſufficiat, quod multum auferant de certitudine, & probabilitate expoſitionum, quas faciunt pretenſi reformati. maiorem fuſe oſtendo, per totam ſecundam partem, in omnibus locis controuerſis. minor etiam tenet, donec aduerſarij oſtendant ſe maiori authoritate, in hoc genere pollere, quam concilia, patres, totam denique primitiuam Eccleſiam: vnde tandem infero, ex principijs religionis reformatæ, iuxta quæ, cum ſcriptura ſit regula totius veritatis, continens, quidquid eſt neceſſarium ad Dei cultum, & ſalutem animæ; ſitque iudex omnium controuerſiarum, & aduerſariorum expoſitiones non contineat, nec eas iudicet eſſe veras, vel bonas, illas conſequenter non poſſe fundare fidem diuinam, vel ſi fundent, aduerſarios debere negare ſcripturam eſſe regulam totius veritatis, & omnium controuerſiarum iudicem.

AR-

ARTICVLVS II.

Siſtendo ſimiliter in prædictis aduerſariorum principijs, nulla conſequentia ab ipſis deducta in articulis controuerſis, eſt de fide diuina.

A Nudâ ſcriptura, ad quam toties pruocarunt aduerſarij, ſaltarunt ad interpretationes; ab his reſiliunt ad conſequentias, accurrimus, & illas oſtendimus eorum cauſæ minime patrocinari, niſi ſua velint principia deſerere, vbi nota, ſcripturam nonnullas continere argumentationes veras, & reuelatas, vt iſtam ad Gal.3. verſ. 29. *Si autem vos Chriſti, ergo ſemen Abrahæ eſtis, ſecundum promiſſionem hæredes.* 2. ad Corinth. 5. verſ. 14. *Si vnus pro omnibus mortuus eſt; ergo omnes mortui ſunt.* Tales argumentationes, & conſequentias eſſe de fide, admittimus, quia ſunt reuelatæ, & ab authoribus canonicis traditæ; argumentationes autem reformatorum, non ſic ſunt, aut traditæ, aut reuelatæ, & proinde non eſſe de fide, ſequentibus rationibus, ex eorum principijs oſtendo.

Prima ratio contra aduerſariorum conſequentias.

OMnis conſequentia, fundans fidem diuinam debet eſſe reuelata in verbo Dei, etiam expreſſe, vt cum aduerſarijs loquar; ſed nulla conſequentia à prætenſis reformatis in punctis controuerſis deducta, eſt expreſſe reuelata in verbo Dei. ergo nulla conſequentia a prætenſis reformatis deducta in prędictis punctis, poteſt fundare fidem diuinam. Maior eſt principium aduerſariorum, non admittentium aliam authoritatem infallibilem, quam ipſius Dei per ſcripturam loquentis, cum autē Deus non loquatur nobis per ſcripturā de iſtis conſequentijs, non debent fide diuina credi, quæ ſolum fertur in obiecta, quatenus à Deo reuelata

Fides enim ex auditu, auditus autem per verbum Chriſti. Ad Rom. 10. catenus enim aſſentimur alicui concluſioni, ſeu conſequentiæ, quatenus ſcimus eam bene ſequi; ſed ſi Deus non teſtificet nobis per ſuam reuelationem, talem conſequentiam eſſe bonam, aut bene ſequi, non poſſumus fide diuina ei aſſentiri: quod ſi aduerſarij vellent aliqua, extra ſcripturam credenda proponere, deberent hoc ipſo negare, *Eam eſſe regulam totius veritatis, aut omnem veritatem continere*. Minor autem patet experientia, ſcilicet, conſequentias aduerſariorum nullibi eſſe reuelatas, vt conſtat in hoc diſcurſu ab ipſis communiter facto, contra realem præſentiam ex illo act. 3. *quem oportet cœlum ſuſcipere vſque ad tempora reſtitutionis omnium.* Sic *quod eſt in cœlo, non eſt in terra; Chriſtus eſt in cœlo: ergo non eſt in terra, adeoque, nec in Euchariſtia*; Vbi quæſo, eſt reuelata iſta conſequentia? oſtendant eam in verbo Dei ſcripto, ſicut in illo oſtenditur iſta Apoſtoli. *Si vnus pro omnibus mortuus eſt, ergo omnes mortui ſunt:* & donec id fecerint, non vendant ſuas conſequentias pro veritatibus reuelatis, cum ſint tantum inuentiones fallaciſſimi cerebri.

Secunda Ratio.

VT conſequentia aliqua poſſit dici de fide diuina, debet totaliter, & adæquate pendere ex præmiſſis reuelatis; ſed nulla conſequentia, ab aduerſarijs deducta in punctis controuerſis, pendet totaliter, & adæquatè à præmiſſis reuelatis: ergo nulla conſequentia deducta ab aduerſarijs in prædictis punctis poteſt dici eſſe de fide diuina. maior tenet, iuxta principia etiam aduerſariorum, reſtringentium omnia myſteria credibilia reuelata, ad nudam ſcripturam, quæ ſecundum eos continet omne dogma neceſſarium ad Dei cultum, & ſalutem animæ, atque adeo, nihil eſt credendum, niſi

quod

quod in illa continetur expreſse, vt ad labium ipſorum loquar: minor autem patet diſcurrenti, per eorum argumenta, nam ad inferendas ſuas conſequentias, ſemper aſſumunt aliquam propoſitionem aliunde quam ex ſcriptura petitam, vt patet in ſyllogiſmo ſuperius facto, ſcilicet, *Quod eſt in cælo, non eſt in terra; Chriſtus eſt in cælo; ergo non eſt in terra.* Vbi vides conſequentiam non pendere totaliter, & adæquate à præmiſſis reuelatis, ſed partialiter a principio naturali, quod an ſit verum, Deus non teſtatur, nec ſciunt ſectarij certo, & infallibiliter, an etiam de potentia abſoluta id ſit impoſſibile. Imo prædicta ratiocinatio eſt ſimilis huic, *Quod eſt in pede, non eſt in capite; anima rationalis eſt in pede, ergo anima rationalis non eſt in capite;* Qui diſcurſus, ſi eſſet verus, ſequeretur capita omnium prætenſorum reformatorum eſſe velut ſurdos truncos, & ſtipites ſine mente, & ratione, ſane tamen tam bene concludit hic ſyllogiſmus in caſu noſtro, ac ratiocinatio præfata; denique cum conſequentia pendeat à principio naturali, certe non pendebit totaliter, & adæquate à præmiſſis reuelatis, atque adeo non poteſt dici veritas diuina de neceſſitate ſalutis credenda; præſertim in principijs aduerſariorum reſtringentium ſe ad nudum verbum ſcriptum.

Tertia Ratio.

OMnis propoſitio fundans fidem diuinam, in principijs aduerſariorum, debet per infallibile ſcripturæ teſtimonium pro tali declarari, & haberi; ſed nulla propoſitio ab aduerſarijs per conſequentiam in punctis controuerſis deducta, declaratur à ſcriptura, tanquam ſufficiens ad fundandam fidem diuinam; ergo non poteſt fides diuina in vlla tali propoſitione fundari. Maior deprompta eſt ex confeſſionibus reformatorum. Minor etiam

conſtare poteſt experientia, nullibi enim ſcriptura de eiuſmodi conſequentijs, de earum valore, aut neceſſitate quidquam pronuntiat; vel dicant aduerſarij vbi, quo libro, vel capite, ſcriptura clare, & expreſſe, ferat ſententiam pro eorum illationibus, in punctis controuerſis? quis ergo nunc iudicabit? non concilia, non Eccleſia, non patres priorum ſæculorum? nam nihil definiunt de talibus conſequentijs, vt in ſecunda parte videbimus, & his ipſi valedixerunt, quis ergo iudicabit? an ratio humana, ſed cuius, vel quorum hominum fallibilis defectibiliſque ratio? an gentilium philoſophorum? ſed quis ſe referat ad horum arbitrium in rebus ſpectantibus ad æternam ſalutem? ſcripturam promittebant aduerſarij iudicē, nunc ab iſta ad ſuas fallaces imaginationes accurrūt vt tandem iudex vltimus controuerſiarum in rebus pertinentibus ad æternam ſalutem, ſit ſutorum, & muliercularum iudicium.

Quarta ratio.

NVlla conſequentia, contradictorie oppoſita ſenſui patrum primitiuæ Eccleſiæ poteſt generare certitudinem fidei diuinæ, atqui omnes conſequentiæ aduerſariorum in articulis controuerſis ſunt contradictorie oppoſitæ ſenſui patrum primitiuæ Eccleſiæ, ergo nullæ tales poſſunt generare certitudinem fidei diuinæ: ſed ad ſummum habebunt tantum ſpeciem probabilitatis, loquor iuxta idioma, & principia aduerſariorum, nam eccleſiam nunquam defeciſſe, oſtendam in 2. parte; atque adeo eius concilia fuiſſe ſemper, & eſſe infallibilia ibidem probabo. Maior eſt dogma reformatorum, aſſerentium articulos fidei debere ſic contineri, in ſcriptura clara, & expreſſa, vt concertatione partium non indigeant, ſed hoc ipſo, quo authoritas primitiuæ Eccleſiæ, opponitur conſequentijs aduerſariorum, iam præfatæ conſequentiæ ſubſunt

con-

concertationi partium. adeoque non continentur in ſcriptura clare, & exqreſſe, vt requirit prætenſa reformatio, quod autem omnes illationes aduerſariorum in punctis controuerſis, ſint contradictoriæ oppoſitæ illationibus primitiuæ Eccleſiæ, in eiſdem punctis patet in 2. parte per totam; cum igitur, illa ſi non maioris, certe non minoris fuerit authoritatis cum ſectarijs, in deducendis conſequentijs, auferet vtique ab illationibus aduerſariorum omnem certitudinem fidei, vel ipſi debent oſtendere ſe maiori pollere, in hoc genere, authoritate quam patres, concilia, totam denique primitiuam Eccleſiam.

Patet vlterius ex principijs aduerſariorum, cum enim negent omnem authoritatem infallibilem extra ſcripturam, non poſſunt ipſi, ſi conſequenter loqui velint, aliam authoritatem prætendere vel in exponenda ſcriptura, vel in deducendis conſequentijs, quam humanam, & fallibilem; nec poſſunt negare etiam, quin quoad hoc patres ipſis fuerint pares ſaltem, vel tenentur probare oppoſitum quod ipſi maiore polleant authoritate: quod clarius, & perfectius videant quam patres, quod optima inſtantia, refutat D. Auguſt. lib 2. Contra Iulianum Pelagianum, *vſque adeo permiſcuit imis ſumma Dies, vſque adeo tenebræ lux, & lux tenebræ eſſe dicuntur, vt videat Palagius, Celeſtius, Iulianus* (addantur Luterus, Caluinus, Beza) *Et Cæci ſint Hilarius, Gregorius, Ambroſius?* Quare illationes aduerſariorum, vt pote ſic inter partes ventilatæ, & per contradictiones, hinc inde agitatę, ac tantæ authoritati oppoſitæ, de errore, & impoſtura ſuſpectæ ſint, neceſſe eſt.

ARTICVLVS III.

Si aduerſarij reflectant ſerio ſupra ſua principia, omnibus articulis ſuis, qui non aliter quam per gloſſas, & conſequentias ab ipſis probantur, renuntiare debent.

ADuerſarij volunt primo fidem non eſſe hauriendam ab Eccleſia, neque ab authoritate humana, nec ab authoritate traditionis, ſed á ſola ſcriptura; ſecundo, hanc eſſe claram, & euidentem, in articulis fundamentalibus, & neceſſarijs ad ſalutem. tertio eam clare, & expreſſe continere omne dogma ſalutis. Quarto, nihil eſſe credendum extra illam; ſed ſcripturam non eſſe claram, conſtat manifeſte ex tot ſectarum diuiſionibus, omnibus pro ſe, ſcripturam allegantibus: alij negarunt liberum arbitrium, alij ſic illud extulerunt, vt gratia non indigeret, alij dicunt actiones iuſtorum eſſe peccata, alij iuſtum, nunquam ex gratia excidere, alij negant neceſſitatem abſolutam Baptiſmi in paruulis fidelium, alij aſſerunt, alij Epiſcopatum inuenerunt in ſcriptura, alij ſolum regimen quoddam Anarchicum, & æquale in omnibus Senioribus, hæ, & infinitæ aliæ conteſtationes oſtendunt ſcripturam non eſſe claram, & authores harum diſſenſionum diſputant, non ſolum de veritate prædictorum articulorum, ſed etiam de neceſſitate.

Quod ſi ſcriptura ſit clara, vt volunt aduerſarij, in articulis fundamentalibus, & neceſſarijs ad ſalutem, & hos clare, & expreſſe contineat, ſic inſto, vel articuli illi, quos prætenſi reformati non aliter probant, quam per gloſſas, & conſeqnentias, ſunt clare, & expreſſe in ſcriptura, vel non? ſi non, ergo nullus articulus probatus tantum per gloſſas, & conſequentias, erit fundamentalis, aut ne-

neceſſarius ad ſalutem: ſi ſunt expreſſe in ſcriptura, cur ergo ab illa, contra propria principia, currunt ad gloſſas, & conſequentias? cur non ſiſtunt in ſola, & nuda ſcriptura? cur in illa non oſtendunt prædictos articulos. item vel illi omnes, & ſoli articuli ſunt credendi de neceſſitate ſalutis, qui formaliter, & expreſſe reuelantur in ſolo verbo Dei ſcripto, vel non illi, ſed alij etiam articuli, ſunt ſic credendi? ſi ſecundum, cur pro primo principio ſtatuunt, nihil eſſe credendum, niſi quod habetur expreſſe, in ſolo verbo Dei ſcripto? ſi primum, cur confugiunt ad gloſſas, & conſequentias, quæ expreſſe in iſto verbo non leguntur.

Item vel extra ſcripturam, eſt admittenda aliqua authoritas, cui in exponenda eadem ſcriptura, vel in deducendis ex illa conſequentijs, poteſt quis certo, & infallibiliter ac ſine periculo erroris credere, vel non? ſi primum, cur ergo in ſuis confeſſionibus negant authoritatem Eccleſiæ, conciliorum, patrum? cur dicunt nullam extra ſcripturam valere, in definitionibus fidei? cur dicunt tales deciſiones eſſe obnoxias errori? ſi autem nulli authoritati extra ſcripturam, debet quis certo credere, cur ergo, contra ſuam religionem, currunt ad authoritatem ſuorum miniſtrorum exponentium ſcripturas, vel deducentium ex illis, neſcio quas illationes? cur in talibus gloſſis, & conſequentijs, fundant ſuam fidē? cur eiuſmodi imaginationibus committunt negotium æternæ ſalutis? cur alteri, extra ſcripturam authoritati adhærent,

Denique vel aduerſarij tenent pro articulis fundamentalibus, ac neceſſarijs ad ſalutem, omnes illos, quos non aliter, quam per gloſsas, & conſequentias, probare poſsunt, vel non? ſi non, his ergo omnibus renuntiare debent, & eos ex confeſſionibus ſuis expungere, tanquam non fundamentales nec neceſſarios ad ſalutem, & ſic delendi erunt ex illo albo hi articuli, ſcilicet, *Non Purgatorium, non*

ſacrificium miſſæ, bona opera non eſſe neceſſaria ad ſalutem, viſibilem Eccleſiam, ac concilia poſſe errare, & erraſſe in fide. Etc. quia hi articuli non aliter probantur, quam per gloſſas, & conſequentias. ſi autem prædicti ſic tantum probati, ſint fundamentales, & neceſſarij, falſum eſt ergo, commune illud ipſorum principium, *Nihil eſſe credendum, niſi quod habetur expreſſe in ſcriptura*: Falſum item, quod *Contineat omne dogma ſalutis.* Cum prædicti articuli ibi non legantur expreſſe. Si ergo huiuſmodi articulos profiteri, ac tenere volunt, debent præfato principio, tanquam falſo renuntiare, vel ſi id nolint, debent ſaltem renuntiare omnibus, & ſingulis articulis, qui non aliter quam per gloſsas, & conſequentias probari poſſunt. Sed inquit confeſſio Anglica, vt aliquid ſit de fide, ſufficit quod probetur per ſcripturam. Contra, vel illę probationes erunt per textus expreſſos, & hoc modo, (vt vidimus) nequeunt ſua principia probare, vel erunt per gloſſas, & conſequentias; & contra ſit.

QVÆSTIO IV.

Secundum aduerſariorum principia, omnibus eorum articulis, per gloſſas, & conſequentias tantum probatis, deeſt infallibilis certitudo.

VEritates fidei debere eſſe infallibiliter certas, patet ex prolegomenis per primam, & ſecundam hyppotheſim, certitudo enim fidei, cum pendere debeat ex fundamento infallibili, infallibilis ſit, neceſſe eſt. Vnde effectus certitudinis eſt firmitas, & conſtantia cognitionis.

ARTICVLVS I.

Cum aduerſarij ex ſuis principijs fateantur ſe eſſe fallibiles, non poſſunt eſſe infallibiliter certi de ſuis gloſſis, vel conſequentijs.

HIc repetenda ſunt communiſſima aduerſariorum principia, nempe traditiones omnes eſſe incertas, Eccleſiam, concilia, patres omnes errare poſſe, ac erraſſe, omnes homines eſſe fallibiles iuxta illud ab eis communiter inculcatum, *Omnis homo mendax*, vbi nota cum fundamentum certitudinis fidei ſit dictum illius, qui in dicendo non poteſt errare, ſi non ſit certum, eum non poſſe errare, eius dictum non poteſt eſſe verum certitudinis fundamentum; vel enim poteſt quis in dicendo aliquid mentiri, vel non? ſi poteſt, ergo res aliter poteſt ſe habere, quam ab ipſo dictum eſt, ergo non eſt certus, quod res aliter eſſe non poſſit, quam ab ipſo dictum fuit, ideo impoſſibile eſt, quod certa fides habeatur illi, qui in dicendo poteſt errare. Quod ſi in dicendo non poſſit errare; ergo infallibiliter verum dicit, atque adeo eius dictum, & veritas, certo connexa ſunt.

Vnde ſic inſto, vel aduerſarij in afferendis ſuis gloſſis, aut deducendis conſequentijs, per quas probant ſuos articulos controuerſos, poſſunt falli, vel non? ſi in prædictis non poſſunt falli, oſtendant priuilegium ſuæ infallibilitatis in ſcriptura, quodque hoc conceſſum ſit ipſis, potius quam patribus, concilijs Oecumenicis, toti denique Eccleſiæ Dei, quam tamen tenent erraſſe, & errare poſſe. cur quæſo ſibi attribuunt, quod omnibus omnino hominibus negant? cur ſub prætextu, quod errauerit tota viſibilis Eccleſia, ſe ab Eccleſia ſepararunt? cur ex eodem capite reijciunt traditiones, & Conciliorum definitiones? cur propria ſua principia deſe-

runt

runt, quibus omnem infallibilitatem reijciunt in nudam ſcripturam. Si autem in prædictis poſſunt falli, vt neceſſario fateri debent; quomodo erunt certi, quod illæ gloſſæ, vel conſequentiæ ſint bonæ, vel veræ? ſi autem non ſunt infallibiliter certi de eiuſmodi gloſſis, & conſequentijs, neque poſſunt eſſe certi, quod articuli talibus innixi, ſint veritates infallibiles fidei, neque enim poſſunt eſſe certiores de articulo, quam de gloſſis vel illationibus, in quibus fundatur; ergo ſi non habent infallibilem certitudinem, vel de propoſitione expoſita, ſiue illata, vel de articulo in ea fundato, iudicium internum, quo dicunt illum articulum eſſe verum, non erit actus fidei, nam omnis talis debet eſſe infallibilis.

Vt ſic oſtendo, fides dicit certiſſimam cognitionem; ergo doctrina fidei eſt certiſſima; alioquin neque ipſa fides certa erit; ſed fides, & doctrina fidei deriuantur à cognitione, & interpretatione verbi Dei; ergo ſi fides debeat eſſe certa, vt omnes fateri debent, cognitio, & interpretatio verbi Dei factæ per gloſſas, & conſequentias, debent eſſe certæ, alias neque articuli in illis fundati, erunt certi, neque fides de talibus articulis, erit etiam certa. Vnde iterum ſic vrgeo, vel aduerſarij habent infallibilem certitudinem de ſuis articulis controuerſis probatis per gloſſas, & conſequentias, vel non? ſi primum, vel ſunt infallibiliter certi, ſe bene exponere ſcripturam, & ex ea bene deducere ſuas illationes, vel non? ſi primum, cur omnem infallibilem interpretandi authoritatem Eccleſiæ negant, & ſeipſos ex ſuis principijs in ſerie fallibilium collocatos, iam ſpiritu vertiginis, & contradictionis infallibiles interpretes conſtituunt? ſi autem non ſunt infallibiliter certi ſe bene interpretari ſcripturam, aut ſuas illationes ex ea bene deducere: ergo neque erunt infallibiliter certi de articulis per has illationes probatis, atque adeo, non poſſunt

cre-

credi fide diuina, & conſequenter, vera eſt ſecunda pars prioris Dilematis.

Tandem idem iterum ſic probo; nullus articulus fundatus in gloſſis, vel conſequentijs, in quibus poſſunt prætenſi reformati falli, debet teneri, tanquam veritas fidei; ſed omnes articuli Controuerſi, quos profitentur aduerſarij, fundantur in gloſſis, & conſequentijs, in quibus fatentur ſe poſſe falli; ergo nullus talis articulus debet credi tanquam veritas fidei. Maior admittitur ab vtraque parte, & conſtat ex dictis, cum fides debeat inniti fundamento infallibili. Minor eſt principium aduerſariorum, cum, & ſe, & omnes alios homines fateantur fallibiles, ſtatuantque omnem infallibilitatem in ſolo Dei verbo ſcripto: ergo omnes aduerſariorum articuli controuerſi per gloſsas, & conſequentias probati, ſunt incerti, & opinatiui, fallibilibus fundamentis innixi, adeoque ex eorum confeſſionibus delendi. Sed vt res exemplo clarius pateat; ſit.

ARTICVLVS II.

Stantibus prætenſæ reformationis principijs, nullus Chriſtianus ſuæ ſalutis ſtudioſus, debet fidem adhibere vlli articulo, à ſectarijs per gloſſas tantum, vel conſequentias probato.

CLaritatis gratia, ponamus hinc ſtare modernos reformatos; inde Arianos, & Neſtorianos, in medio ſtare Biblia, & tacere; tam hi, quam illi, vt ſuppono, admittunt ſcripturam, de ſenſu litigant v. g. in his textibus *Pater maior me eſt; ego & pater vnum ſumus*: Negant Ariani, & Neſtoriani authoritatem infallibilem Eccleſiæ, & conciliorum; negant pariter prætenſi reformati, nullum infallibilem interpretem admittunt, nullum iudicem præter nudum ſcripturæ corticem; in præfatis interim

terim textibus ſunt duæ apparentes antilogiæ; nunc quæſo vter, alteri hic cedet, an prætenſi reformati Arianis, an Ariani reformatis, cum vltro citroque tam hi, quam illi ſint fallibiles? nullibi vero in ſcriptura dicitur, quod filius ſecundum humanitatem ſit minor patre, & ſecundum diuinitatem ſit ei conſubſtantialis, nec habetur euidenter hæc veritas in iſtis, *Non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem* Deo. Si enim eſſet clara, & euidens, deberet apparere Arianis, qui inſiſtunt mordicus huic textui, *Pater maior me eſt*.

Recurrent forte reformati ad collationem textuum, recurrent ſimiliter Ariani, & illum locum, *Ego & pater vnum ſumus*, explicant per collationem iſtius alterius textus, *Multitudinis credentium erat cor vnum, & anima vna.* Ruent reformati ad interpretationem, ruent pariter Ariani, ambo interim fatentur ſe fallibiles, quomodo ergo fallibiles homines dabunt infallibilem certitudinem de interpretatione fallibiliter facta? ergo ſtante reformatorum principio, non poſſunt infallibiliter conuincere Arianos, Neſtorianos, Manichæos de ſuis erroribus, cum non poſſint eis dare certitudinem, quod bene exponant ſcripturam in locis controuerſis. Sed propius ad rem: quam certitudinem dabunt aduerſarij, quod hic textus, *Hoc eſt corpus meum*, Hodie maxime controuerſus, intelligatur in ſenſu figuratiuo, non in litterali; ſi recurrant ad gloſſas, & conſequentias, petam ſemper ſunt ne infallibiles in iſtis gloſſis, vel conſequentijs, nec ne? primum ex ſuis principijs dicere non poſſunt. Si ſecundum, iterum inſtabo, ergo articuli per tales tantum conſequentias probati, non erunt credendi tanquam veritates fidei.

Si dicent aduerſarij, ſufficientes dari veritates in ſcriptura ſine recurſu ad gloſſas, & conſequentias: contra, ergo liberum erit credere, vel non credere quod ab aduerſarijs aliter non probatur, quam per

gloſſas, & conſequentias: Si id non ſit liberum, peto iterum an gloſsæ,& conſequentiæ iſtę ſint certæ, & infallibiles? reſpondent aliqui ſe poſſe falli in conſequentijs longe petitis, non autem in conſequentijs, immediate ex ſcriptura deductis. contra primo,ergo ſaltem omnes conſequentiæ mediantibus propoſitionibus naturalibus, vt pote longius petitæ ſunt fallibiles, & tales vtique ſunt omnes aduerſariorum conſequentiæ in punctis controuerſis. contra 2. vt ipſi putant ſe immediate deducere hanc conſequentiam ex act.3. corpus Chriſti eſt in cęlo: ergo nō eſt in terra;ſic catholici ex iſto textu,*Hoc eſt corpus meum*, & ex Ioan. 6. *panis quem ego dabo, caro mea eſt*. Immediate deducunt hanc, ergo corpus Chriſti eſt realiter in Euchariſtia, vter ergo,alteri iam cedet? vtra eſt melior? ſi aduerſarij contra hanc conſequentiam currunt ad expoſitiones textuum, vnde deducitur, currunt catholici è contra, ad exponendum illorum textum; quis erit iudex? quis infallibilis interpres?

Contra 3. prætendunt aduerſarij, patres, concilia, Eccleſiam errare, & falli poſſe in quibuſuis gloſſis, & conſequentijs etiam immediate deductis & præſertim ſic de facto erraſse, in probando dari realem præſentiam, purgatorium; vel ergo aduerſarij habent in hoc ſpeciale priuilegium infallibilitatis præ cæteris,vel ſi non habent, non poſsunt aliud prætendere, quam fallibilem quandam opinionem.

Hinc ſequitur, nullum chriſtianum debere iurare in eiuſmodi articulos, qui enim amplectitur fallibilem religionem, vtique nec ſuam poteſt rationabiliter defendere, nec aduerſam oppugnare, nec ſuccenſere vlli, qui aduerſam profitetur, nam defenſio fallibilis religionis, & alterius oppoſitio ſimiliter fallibilis, altius non aſcendunt quam aſcendit fundamentum, quo nititur, vel defenſio, vnius, vel impugnatio alterius; vnde ſi religio ſit fal-

fallibilis, & conſequenter incerta, baſis vltima, qua nititur tota machina defenſionis, vel oppoſitionis, erit tantum opinatiua coniectura inepta & ad ſe defendendam, & ad oppugnandam oppoſitam: ſic orta altercatione inter prætenſos reformatos, ac Arianos, & quæſtio ſit, vtra ex duabus religionibus, ſuppoſita vtriuſque fallibilitate, ſit melior? quæſo, quo fundamento fallibilis reformatus aggredietur fallibilem Arianum, cum nec vno quidem paſſu, poſſit progredi, quam paſſibus fallibilitatis.

Si interpretatur ſcripturam, ex ſuis principijs debet fateri hanc interpretationem eſse fallibilem; ſi deducit ex ea conſequentiam, illa ex eodem capite erit fallibilis, ſi citat patres, & illi, & ipſe, ſunt fallibiles, ſi citat definitiones conciliorum, hæ ſecundum ipſum, ſunt fallibiles, ſi clamet ſuam religionem vincere ſaltem quoad probabilitatem; peto vbi habet iſta motiua probabilitatis? hic non ſunt miracula, non ſanctitas vitæ, non bona opera, his enim omnibus renuntiarunt adueſarij, non conſenſio populorum, non veritas doctrinæ; ſolus ergo proijcit calculum in vrnam, qui ſi examinetur, quãti valet, huc tandem reſoluitur ſic mihi videtur, ſic dictat meus fallibilis cõceptus, vnde ſequitur, quod ſicut non poteſt probare ſuam religionem contra aduerſarium, ita nec debere ægrè ferre quod in eius verba non iuret, adeoq; nullus niſi ſuæ ſalutis oblitus, poteſt fidem adhibere talibus doctrinis.

ARTICVLVS III.

Aduerſarij recurrentes ad moralem tantum certitudinem pro ſuis articulis controuerſis, fateri hoc ipſo debent, eos non eſſe de fide diuina.

QVia aſsenſus fidei diuinæ non ſolum debet eſse infallibilis, ſed etiam verus, cum aſsenſu falſo

ſo non poſſit quis aliquid certo cognoſcere ; ad huius aſſenſus infallibilitatem requiritur , primo , vt modus cognoſcendi ipſum obiectum , ſit infallibilis . Secundo , vt medium , quo vtor , habeat neceſſariam connexionem cum obiecto ; tertio , vt modus vtendi ipſo medio , ſit infallibilis v. g. catholici credunt dari realem præſentiam corporis Chriſti in Euchariſtia , tanquam obiectum , idque credunt ob reuelationem diuinam tanquam medium connexum cum dicto obiecto, & ob propoſitionem Eccleſiæ , tanquam per modum infallibilem vtendi præfato medio . Ad hæc ſi probatio fiat per ſcripturam , debet certo conſtare , quod hic locus , ex quo depromitur veritas,vere contineat verbum Dei, deinde quod dicti loci hæc præciſa intelligentia , & interpretatio vera , ac certa ſit .

Prætenſi reformati videntes cauſam ſuam eſſe deſperatam , cum nullam infallibilem certitudinem pro ſuis articulis controuerſis ſperare poſſent ; hinc miſero effugio recurrunt tandem ad moralem certitudinem : vbi nota , hanc fundari tantum in medio probabili, ſeu topico, ſicut autem firmæ certitudinis tria ſunt fundamenta, nempe dictum illius qui in dicendo non poteſt errare , euidentia ſenſus , & euidentia terminorum ; ita moralis , ſeu probabilis certitudinis tria ſimiliter ſunt fundamenta , primum eſt dictum alicuius fide quidem digni , licet in dicto poſſit falli , & errare , quod dictum quamuis generet cognitionem , non liberat tamen à dubitatione ; ſecundum fundamentum eſt , non clara cognitio ſenſus , vt ſi quis à longe videns Platonem , non clare , ſed per coniecturas iudicat eſſe Platonem ; tertium fundamentum eſt , ineuideutia terminorum .

Illa ergo erit moralis certitudo , vt diſtinguitur à certitudine fidei diuinæ , vel ſcientiæ , quæ probabili tantum medio nititur , in hac autem certitudine datur latitudo quoad gradus , nam alius

ex-

excludit rationabile dubium de oppoſito, vt dum dicimus extare *Bruxellas*, alius tam alte non aſcendit, vt contingit in opinionibus ſcholaſticis diuerſimode de condenſatione, rarefactione, compoſitione continui, &c. ſentientibus, ad hanc igitur certitudinem recurrentes aduerſarij, fatentur obiectum vltimum motiuum in quod reſoluitur fides, eſſe quidem veracitatem diuinam, & difficultatem nunc eſſe, quomodo innoteſcat illud myſterium reuelatum &ſubiungunt,moralem·hanc rectitudinē, eſſe ſufficiens fundamentum aſſenſus fidei,ſi res credenda ſit infallibilis verias doctrinæ nixæ aliqua euidentia, de qua licet non habeatur,'inquiunt, niſi moralis certitudo, adhuc tamen aſſenſus tali doctrinæ præſtitus poteſt eſſe infallibilis.

Sed contra hoc miſerum effugium ſic inſto,morali certitudini poteſt ſubeſse falſum, quantumuis alte in ſuo genere aſcendat, fidei autem diuinæ nequit ſubeſſe falſum. ergo moralis certitudo habetur, vel ex ineuidentia ſenſus, vel ex ineuidentia intellectus, vt ſupra, vel ex authoritate alicuius, qui tamen in dicendo poteſt errare,quare erit aſſenſus probabiliter tantum certus, ſeu mera opinio quæ eſt aſsenſus vnius partis contradictionis cum formidine de oppoſito, & talem non poſse applicari fidei diuinæ; oſtendo 1. vel enim iudico articulum mihi propoſitum,eſſe certum à parte rei v. g. hanc eſſe veram interpretationem propoſiti textus & tunc non erit opinio, quæ ſtat ſemper cum aliqua dubitatione, & formidine, ſed aſsenſus firmus; aut iudico articulum propoſitum,eſse probabilem, ſpectatis omnibus, & conſequenter non eſse indubie, & omnino verum,ſed forte non verum, & hoc repugnat fidei; vt 2. oſtendo, nam idem non poteſt eſse creditum,& opinatum, quia fides excludit omnem dubitationem, & formidinem, ſed hæc ordinarie ſunt connexa cum opinione, ergo aſsenſus requiſitus ad myſterium fidei credendum, non po-

te-

teſt eſſe tantum probabilis, vel opinatiuus; fides enim plene inclinat ad conſenſum vnius partis nempe veræ, ita vt oppoſitum tanquam falſum omnino abhorreat.

Itē vel intellectus adhęret obiecto, aſſenſu omnino certo, & ſic non erit moraliter tantum certus ſeu opinatiuus; vel adhæret aſſenſu incerto, & tunc cum hæc incertitudo non proueniat ex obiecto, quod omnino certum eſt, & infallibile, debet prouenire ex parte intellectus, & hoc eſt iudicare obiectum, non eſſe omnino certum; nam ſicut adhærere certo aſſenſu obiecto, eſt iudicare illud eſſe certum; ita adhærere aſſenſu incerto; eſt iudicare obiectū eſſe incertum; atqui hoc repugnat fidei diuinæ; hæc enim non ſolum affirmat, quę Deus reuelauit, ſed illa affirmat ſine formidine, quia obiectum formale, cui fides innititur eſt diuina veritas reuelans: ſi ergo fides eſt diuina, nulli alteri obiecto innitirur, vnde ipſa veracitas diuina infundit in actum fidei maiorem certitudinem, quam ſit moralis, deriuata ab inferioribus motiuis, & capax falſitatis, ac deceptionis; fides vero minime, ſi innititur veracitati diuinæ, ſi non innititur, non eſt fides; quare impoſſibile eſt quod ſi ego Deo mihi loquenti credam, quod ille actus ſit falſus, aut fallibilis.

Quod ſi aduerſarij per moralem certitudinem intelligant illam, cui innititur fides illa acquiſita, ſeu iudicium pręuium ad fidem diuinam, quod hauritur ex notitia ſenſus, non eſt ad rem; nam licet illud iudicium generari ſolitum ex motiuo credibilitatis, quando ſigna, vel miracula v. g. illuminatio cæci, reſuſcitatio mortui, &c. ſunt ita connexa cum reuelatione diuina, vt vbi ſunt, Deus teſtetur ibi eſſe veram fidem, tale inquam iudicium eſt omnino certum, excludens dubium, & formidinem de oppoſito, & excedens omnem gradum meræ probabilitatis, tale tamen eſt tantum iudicium humanum, & per illud non credimus fide

actuali diuina, & infallibili, cuius baſis eſt veracitas diuina, quæ vti ſuperat omnem certitudinem creatam, ita fides illi innixa excedit omnem certitudinem naturalem: quare ſi hæc fides inniteretur tantum motiuis credibilitatis, nunc non eſſet fides diuina.

Vt ſic probo, fides tantum moralitrr certa non eſt vera, & chriſtiana fides, nam illud omne, cui innititur moralis certitudo poteſt eſſe falſum, illud autem, cui innititur vera fides, non poteſt eſſe falſum; ergo quidquid ſuſtentat moralem certitudinem, non ſufficit ad ſuſtentandam veram fidem. licet enim moraliter certum ſit dari Memphim, vel Hiſpalim, omnes homines in tali oppido non dormire medio die, Deus tamen poteſt facere oppoſitum; ſed ſuam veracitatem, cui fides innititur, non poteſt vnquam falſificare; vnde obiecta fidei debent eſſe tam certa, vt v. g. extitiſſe Moyſem, veniſſe diluuium, quam certum eſt, Deum eſſe in Cœlo; ergo ſequitur manifeſte articulos fundatos in morali tantum certitudine, non eſſe de fide, nam articuli fallibiliter traditi, non poſſunt reſolui in veracitatem diuinam; ergo cum articuli moraliter tantum certi; fallibiliter tradantur, non poſſunt reſolui in veracitatem diuinam, adeoque religio reformata moraliter tantum certa, eſt mera, & fallibilis opinio.

ARTICVLVS IV.

Religio reformata caret etiam morali certitudine, vnde non eſt Chriſtiana, ſed futilis, ac proinde omnibus Chriſtianis fugienda.

ID ſic probo, religio propoſita ſine rationabilibus motiuis, & cuius profeſſores omnes ſunt fallibiles, quæque cum incepit, fuit velut quoddam paradoxum compactum ex principijs, chriſtianæ pietati contrarijs, non eſt moraliter certa: ſed talis

lis eſt religio pretenſa reformata : ergo non eſt moraliter certa : nam in primis inuenta eſt ab hominibus errori obnoxijs, vt ipſi fatentur, qui in ea ordinanda poterant falli, cum non fuerint infallibiles, nullis nititur motiuis, quæ tantam certitudinem moralem generent, vt excludat rationabile dubium de oppoſito, vt ſic oſtendo; non enim poſſunt prætenſi reformati probare ſuam religionem eſſe magis prudenter credibilem, quam ſit quæuis hæreſis : deſunt ipſis ea fundamenta, quibus probationes moraliter certæ innitantur. non habent antiquitatem, non vniuerſitatem, non ſucceſſionem Epiſcoporum, non legitimam miſſionem, non miracula, non bona opera, non ſanctitatem vitæ, hæc enim omnia impugnant.

Imo nulla eſt differentia inter eos, & Hebræos vel quoſuis hæreticos quoad licentiam viuendi, quare deſunt ipſis motiua ad moralem certitudinem neceſſaria; vlterius hoc patet; illa enim religio non eſt moraliter certa, cuius ſpeciales articuli, ſunt contradictorie oppoſiti authoritati patrum, & conciliorum primitiuæ Eccleſiæ; ſed ſic ſe habent ſpeciales articuli religionis reformatæ, ergo iſta religio non eſt moraliter certa. Vel maiorem admittent aduerſarij, vel non? Si primum, habeo intentum. Si ſecundum, nemo vtique ſanæ mentis dicet, eum articulum eſſe moraliter certum, quem videbit tantæ authoritati contrarium. Minor probatur in ſecunda parte diſt.9.& 10. item illa religio non eſt moraliter certa, quæ fundatur in dicto eorum, qui nulla erant authoritate præditi, nulla prærogatiua prædicationis euangelicæ dotati, ſed religio reformata fundatur in dicto talium hominum, qui nullam habuerunt authoritatem, nullam legitimam miſſionem ordinariam, aut etiam extraordinariam probatam ſignis, aut prodigijs, quæ eam oſtenderent eſſe à Deo; ergo iſta religio nullo modo eſt moraliter certa : quod ſi dicant, ha-

beri apud eos moralem certitudinem, quod biblia ſint verbum Dei. Dico Arianos, Manichæos, Hæbræos talem habere de ſcripturis ab eis admiſſis; habent ne ergo moralem certitudinem de ſuis erroribus?

Hi ſunt articuli reformatæ religionis nullibi à Deo reuelati; ergo hæc religio non eſt chriſtiana, nam eſto habeat ſcripturam, non tamen habet ſenſum ſcripturæ, quia non eſt infallibiliter certa, an eam bene intelligat; non habet certam fidem de textu, quia certam eccleſiæ propoſitionem, vel traditionem, non admittit: vnde doctrina huius religionis ex proprijs eius principijs non eſt doctrina Chriſti, nam tota huius reformationis doctrina fundata in gloſſis, & conſequentijs, eſt fallibilis, & cui poſſit ſubeſſe falſum, ex dictis; ſed Chriſti doctrina non eſt fallibilis, nec falſitati obnoxia, ergo cum doctrina religionis reformatæ ſit fallibiliter tradita, & propoſita, non erit doctrina Chriſti; & conſequenter qui talem abiurat, poteſt id facere ſine nota hæreſis, patet, qui enim ſolum abiurat doctrinam fallibilem, & errori obnoxiam, non abiurat, nec negat doctrinam Chriſti, cui nequit vllo modo ſubeſſe falſum? Sed omnis doctrina prætenſæ reformationis fundata in articulis controuerſis, eſt obnoxia errori: ergo qui talem negat, non negat doctrinam Chriſti.

Patet vlterius, qui negat dogma fallibile, & obnoxium errori, non negat vllam veritatem fidei diuinæ, cui prorſus nequit ſubeſse falſum; ſed omne dogma traditum ab aduerſarijs in pūctis controuerſis, ex eorum principijs eſt fallibile; ergo qui tale negat, non negat vllam veritatem fidei. nec valet dicere, quod qui negaret veritates obiectiuas reuelatas in verbo Dei v. g. Chriſtum eſſe conſubſtantialem patri, foret hæreticus: non valet, nam adhuc ſtante reformatorum principio, neſcitur an proponens, vel interpretans talem veritatem, eam pro-

proponat, vel interpretetur infallibiliter, & conſequenter, cum ſecundum aduerſarios, omnes Doctores ſint fallibiles, & etiam ipſi, nemo poteſt ab eis habere infallibilem certitudinem, vel de textu, vel de vera eius intelligentia, aut ſenſu, adeoque neque de doctrina ex tali textu, vel ſenſu deprompta; & ſic poteſt quis audacter negare eàm eſſe Chriſti doctrinam.

Si dicant miniſtros poſſe prædicare doctrinam infallibilem Chriſti, licet ipſi in propoendo ſint fallibiles, ſic enim curati, & cathechiſtæ catholici per nos, eſto tradant doctrinam infallibilem Chriſti non eam tradunt infallibiliter, ergo eodem modo dicendum erit de miniſtris. ad hoc reſpondeo in 2. parte diſt. 4. nunc ex illo loco dico, miniſtrum non habere infallibilem Eccleſiam, ad quam recurrat, caſu quo erret, nam tota communitas religionis reformatæ ex proprijs principijs eſt fallibilis: prædicator autem Catholicus habet quo recurrat, caſu quo erret, nempe Eccleſiam infallibilem, quod quidem eſt maximum auxilium in præſenti quæſtione; & maxima diſparitas. Si dicant aduerſarij ſe inniti ſcripturæ infallibili, vt nos Eccleſiæ. contra primo, hactenus oſtendi nullum articulum controuerſum religionis reformatæ inniti ſcripturæ, contra 2. ſic etiam dicet Arianus, habetne ergo doctrinam infallibilem? tandem ſequitur præfatam religionem eſſe ab omnibus reſpuendam, cum enim doctrina, cui poteſt ſubeſſe falſum, non ſit chriſtiana, & doctrinæ aduerſariorum poſſit ſubeſſe falſum, adeoque non ſit chriſtiana, eſt merito fugienda.

ARTICVLVS V.

Ex principijs aduerſariorum ſequitur labyrinthus inextricabilis, quo vel coguntur dictis principijs renuntiare, vel manifeſta contradictoria credere.

QVod renuntiare debeant ſuis principijs patet, ex communi eorum credendi regula, qua ſtatuunt nihil credendum, niſi quod inuenitur in biblijs expreſſe ſcriptum: ſed nullus articulus controuerſus ex recenſitis hactenus habetur in ſcriptura expreſſe, vt diſcurrenti per ſingulos patet; ergo ſi nihil omnino credendum eſt, niſi quod habetur expreſſe in biblijs, debent prædictis articulis renuntiare, vel ſi nolint, ſaltem debent renuntiare huic ipſi principio, ſcilicet. *Nihil eſſe credendum, niſi quod habetur in ſcriptura expreſſe*; Et ſic ſeipſos inextricabili inuoluunt labyrintho, quem ex eorum procedendi modo ſic formo.

Vel volunt aduerſarij hoc ſuum principium ſcilicet, *nihil eſſe credendum niſi quod habetur expreſſe in ſcriptura.* Firmiter tenere, & ſimul omnes præfatos articulos credere, vel non? Si non, ergo tam dicto principio, quam memoratis omnibus articulis renuntiant. ſi autem tam illud principium, quam prædictos articulos, volunt ſimul credere: ergo tenent pro principio *nihilominus credendum eſſe, niſi quod habetur expreſſe in ſcriptura*, Et ſimul profitentur memoratos articulos, qui tamen non habentur expreſſe in ſcriptura, ſed nihil credere niſi quod habetur expreſſe in ſcriptura, & aliqua credere, quæ non habentur expreſse in ſcriptura, eſt credere manifeſta contradictoria: ſubſumo, atqui aduerſarij habent pro principio, nihil omnino credendum, niſi quod habetur expreſſe in ſcriptura, & tamẽ præfatos articulos in ſuis confeſſionibus inſerunt, quorum nullus expreſſe continetur in dicta ſcriptura,

tura, ergo manifeſta contradictoria profitentur; cum ex vna parte ſtatuant nihil credendum, niſi quod eſt expreſse in biblijs; & ex alia parte, multa credant, quæ nullo modo ſunt in biblijs. Ne ergo implicent ſe hoc inexplicabili labyrintho, vel debent renuntiare prædicto principio, ſi velint credere præfatos articulos; vel, ſi nolint, debent renuntiare omnibus & ſingulis illis articulis, ne ſcilicet credant ea, quæ non habentur expreſſe in nudo & puro Dei verbo, vel certe interim conuincuntur aperta contradictoria credere.

Viderint aduerſarij, quomodo ſe expediant ab hoc labyrintho, quem ſibi ex ſuis principijs fabricarunt; deſinant inſultare catholicis, monſtrate nobis miſſam in ſcriptura, monſtrate Purgatorium, tranſubſtantiationem, orationem pro defunctis: certe huiuſmodi interrogatiunculæ in ipſoſmet retorqueri poſſunt, monſtrent enim ipſi in ſcriptura expreſse, *Nihil credendum, niſi quod ſcriptum, ipſam ſcripturam eſſe regulam totius veritatis, vota monaſtica eſſe illuſiones Satanæ*, hæc & ſimilia ſymboli ſui dogmata quæſt. 2. recenſita, nobis in expreſſa ſcriptura monſtrent, & donec id fecerint, deſinant catholicos ad ſuos articulos, ex ſola ſcriptura probandos prouocare.

Sed dicent aduerſarij, ſua dogmata haberi, vel in terminis æquiualentibus, vel in gloſſis ſcripturæ, vel probari per conſequentias euidenter, & neceſſario ex ſcriptura deductas, contra 1. ergo, ſaltem non habentur in ſcriptura clara, & expreſſa. contra 2. Si ſint in terminis æquiualentibus, producantur potius ipſi termini ſcripturæ, quam æquiualentes, deinde termini negatiui, non poſsunt æquiualere terminis affirmatiuis. Dent quæſo terminos æquiualentes negatiuos, his eorum negatiuis, *Non datur purgatoriũ, non realis præſentia.* Cõtra 3. ſi recurrant ad gloſsas, ergo iterum deſerunt ſcripturam claram, & expreſsam, & idem faciunt, dum recur-

runt ad conſequentias, in quibus multa inueniuntur vitia; nam in primis, non ſunt verbum Dei, cum in ſcriptura, quæ ſecundum aduerſarios ſola continet omne dogma fidei, non inueniantur expreſſe: deinde non ſunt certæ, cum eadem ſcriptura, quę ſecundum eoſdem eſt iudex omnium controuerſiarum fidei, de earum bonitate & valore nos non certificet; tertio non ſunt infallibiles, quia deducuntur á fallibili aduerſariorum ingenio, qui dicunt omnes homines eſse ſubiectos errori, de quorum etiam numero ipſi ſunt.

Vnde licet ambæ præmiſsæ, ex quibus prætenſi reformati vellent deducere ſuam conſequentiam de fide, eſſent in ſcriptura, ſaltem forma argumenti non inuenitur in ea, forma autem ipſa eſt obnoxia multis vitijs, patet in his. *Qui odit animam ſuam in hoc mundo, in vitam æternam cuſtodit eam, qui diligit inquitatem, odit animam ſuam: ergo qui diligit iniquitatem, in vitam æternam cuſtodit animam ſuam.* Maior exprimitur Ioan. 12. minor Pſalm. 10. conſequentia tamen eſt impia. *Item mortui nihil nouerũt amplius; Chriſtus eſt mortuus, ergo Chriſtus nihil nouit amplius.* Maior hebetur Eccleſiaſtę 9. Minor primæ Petri 3. & ad Rom. 5. & tamen concluſio eſt impia. vbi vides, quod non oportet multum fidere cõſequentijs, multo minus in eis fundare articulos, à quibus pendet æterna ſalus; præſertim cum fateãtur aduerſarij, ſe poſse in illis falli: quamobrem, vt vidimus, articuli fundati in huiuſmodi conſequentijs, non erunt de fide diuina, cum tales conſequentiæ nullibi inueniantur reuelatæ, vnde aduerſarij talibus fidentes, credunt hoc ipſo aliqua nuſquam reuelata, & ſic eorum principia eos conducunt in præcipitia omnis irreligionis, & inde in Atheiſmũ.

ARTICVLVS VI.

Soluuntur obiectiones contra hactenus dicta.

OBijcies 1. ineptum eſt quærere, an ſcriptura doceat quod id quod ſequitur ex ipſa vi conſequentiæ, ſit articulus fidei, ſic enim liceret etiam quærere, an ſcriptura dicat, quidquid continetur in illa, eſse articulum fidei necne? Reſp. licet non habeamus ex ipſa ſcriptura quod hic numero textus, liber, vel caput, ſit verbum Dei, cum id ſolũ habeamus ex traditione diuina, & authoritate Eccleſiæ, eidem traditioni innitente, dicit tamen, quidquid eſt ſcriptura canonica, eſse verbum Dei ex Epiſt. 2. d. Petri cap. 1. *Spiritu Sancto inſpirati, locuti ſunt Sãcti Dei homines.* Sed nullibi ſcriptura dicit, id quod ſequitur tantum vi conſequentiæ ex ipſa, eſse verbum Dei, aut articulum tali tantum conſequentiæ, vel gloſsæ innixum eſse de fide. & miror aduerſarios non aduertere ad ſua principia, cur enim exigunt à catholicis vt probent ſuos articulos per ſcripturam, vel vt eos in illa monſtrent? cur ſimiliter mirantur quod alij id ipſum ab eis exigant? tandem eſto gratis admitteremus propoſitionem aliquam controuerſam poſse demonſtrari, & formam argumenti eſse euidentem, adhuc tamen ſimplices v. g. ſutores, latomi, iſta non penetrant, ſed tantum poſsunt iudicare ita eſse, quia miniſter dicit, & eorum aſsenſus tali authoritate, vt pote humana, & fallibili nixus, eſt dubius, & incertus, cui tamen ipſi poſtponunt totius Eccleſiæ, & conciliorum authoritatem.

Obiect. 2. quod continetur in ſcriptura, eſt ſufficiens fundamentum fidei, ſed conſequentia continetur in ſcriptura; ergo eſt ſufficiens fundamentum fidei. probatur minor, quod ſequitur ex ſcriptura, continetur in ſcriptura; concluſio ſequitur

ex

ex ſcriptura, ergo continetur in ſcriptura. Reſ. 1. nihil ex toto argumento haberi in ſcriptura expreſſe, quam toties pro defenſione ſuæ religionis iactabant aduerſarij. Reſ. 2. diſtinguendo maiorem, quod continetur in ſcriptura expreſſe, & explicite & proponitur à legitima authoritate Eccleſiæ, ſufficit ad fundandam fidem, concedo: quod continetur in ſcriptura implicite tantum, & non niſi deducendum per conſequentiam, ac nullo modo à legitima authoritate propoſitum, ſufficit ad fundandam fidem nego. imo etiam nego conſequentias aduerſariorum vel etiam implicite in ſcriptura contineri. eodem modo diſtinguitur minor, concluſio continetur in ſctiptura explicite, nego; implicite tranſeat, ad probationem dico committi fallaciam ignorationis Elenchi, non enim quæritur, an aliquo modo contineatur in ſcriptura, ſed an ſufficiat ad fundandam fidem, quæ ſecundum Apoſtolum 1. ad corinth. 2. non eſt *in ſapientia hominum, ſed in virtute Dei*. vnde id, quod implicite tantum in biblijs continetur, non poteſt dici verbum Dei, ſicut nec ſpica poteſt dici granum illud, ex quo gignitur, nec pullus, ouum, quamuis & ſpica in grano, & pullus in ouo implicite contineantnr, ſic illatio, quæ implicite dumtaxat continetur in verbo Dei non eſt verbum Dei, ſed potius verbum hominum, præſertim cum additur præmiſſa naturalis, quæ etiam influit in concluſionem, quæ iuxta logicam. ſequitur debiliorem partem.

Obiect. 3. Chriſtus, & Apoſtoli ſæpius in ſcriptura faciunt diſcurſus, & deducunt conſequentias, vt Matth. 22. act. 10. & alibi paſſim; ergo non ſolum id, quod habetur expreſſe in ſcriptura, ſed etiam id, quod ex ea per neceſſariam, & euidentem conſequentiam infertur, eſt paris neceſſitatis, & authoritatis cum ipſa ſcriptura. Reſ. 1. impiam eſſe arrogantiam aduerſariorum, ſi pretendant, ſuas conſequentias eſſe paris authoritatis, aut certitudi-

nis

nis cum conſequentijs Chriſti, & Apoſtolorum; cum iſti fuerint organa Spiritus Sancti, & verba Chriſti, ſint verba Dei, ac verba etiam Apoſtolorum ſint immediate à Deo reuelata Reſ. 2. retorquendo argumentum; ideo conſequentiæ Chriſti, & Apoſtolorum, ſunt de fide, quia expreſſe, & formaliter reuelantur in verbo Dei, ſed conſequentiæ aduerſariorum, non ſic reuelantur, atque adeo non ſunt de fide.

Dices quod manifeſte, & neceſſario ſequitur ex reuelatione formali æquiualet reuelationi formali, concluſio ſic ſequitur; ergo æquiualet reuelationi formali. Reſ. aduerſarios iam deſerere ſcripturam nudam, & expreſſam, contra ſua principia, quare argumentum in multis peccat, primo, non profertur ex verbo Dei. Secundo idem verbum non iudicat, an hæc illatio bene ſequatur. Tertio aduerſarij ſunt fallibiles, nec conſtat quin hic fallantur, & fallant. Quarto diſtinguo, quod manifeſte ſequitur ex reuelatione formali, nulla addita præmiſſa naturali, æquiualet reuelationi formali, tranſeat; quod ſequitur ex reuelatione formali addendo præmiſſam naturalem, ſic æquiualet, nego. Dato enim quod quidquid clare ſequitur ex reuelatione diuina, ſit infallibilis veritas, non tamen erit veritas fidei, cum deſit explicita reuelatio, & Eccleſiæ propoſitio, ad obligationem credendi neceſſario requiſita, ſicut ad hoc vt lex obliget requirit promulgationem.

Obiect. 4. concilia, patres, & doctores ſæpe vſi ſunt conſequentijs deductis ex vna reuelata, & altera naturali, ad ſtatuendum articulum fidei: cur ergo id non liceat alijs? Reſ. primo retorquendo argumentum hoc dilemate, vel ideo aduerſarij credunt articulum deductum per conſequentiam, eſſe de fide quia patres, & concilia, eodem modò procedunt, vel non? ſi primum, ergo illorum aſſertio ſcilicet, ſuas conſequentias eſſe de fide, fundatur

in

in dicto patrum, & conciliorum, quibus toties renuntiarunt: ſi ſecundum, cur ergo pro ſe citant exemplum conciliorum, & patrum, cum oppoſito modo, ſecundum ſua principia, deberent procedere?

Reſp. 2. patres & concilia vſurpaſſe ſubinde exempla, conſequentias, & authoritates plurium doctorum, qui concilia præceſſerunt, huiuſmodi tamen diſcurſus, argumenta, & conſequentiæ fuere tantum præambula quædam definitionum, ac deciſionum, ad declarandam veritatem; vnicum vero fundamentum articuli fidei ſemper eſt, & fuit ſolum Dei Verbum, & infallibilis aſſiſtentia Spiritus Sancti, promiſſa Eccleſię, vt non erret in proponendo vero ſcripturæ ſenſu; vnde nullum habemus articulum præciſe fundatum in ſola conſequentia, humano tantum ingenio deducta, maxime cum an tales conſequentiæ ſufficiant ad ſtatuendum articulum fidei nondum ſit ab Eccleſia definitum. Denique nunquam concilia, & patres dixere ſolam ſcripturam eſſe regulam totius veritatis, cum ſæpius etiam recurrerint ad traditiones, per quas conciliũ Nicænum definiuit, *Conſubſtantialitatem filij*, Epheſinum. *Beatam Virginem fuiſſe Deiparam*, Et ſic in alijs concilijs, vt patet ex prolixa recitatione fidei traditæ, & creditæ a patribus, qui iſta concilia præceſſerunt, & fuere fideles cuſtodes traditionum.

DISTINCTIO II.

Prætenſi reformati ſuis inſiſtentes principijs, conuincuntur æternæ ſaluti renuntiaſſe.

VIderetur hæc diſtinctio ſuperflua, cum qui vera caret fide, hoc ipſo vera careat ſalute, neceſſe ſit; tota autem diſtinctione præcedenti, vt vidimus, aduerſariorum principia ſerio expenſa, genuine conuincunt reformatos omni veræ fidei valedixiſſe, & quamis nullus orthodoxus dubitare debeat, quin præfati reformati extra Chriſti ouile palantes, in æternæ perditionis interitum ruant, id tamen ex proprio illorum ore conuincere expedit; negare enim non poterunt, quin qui perſiſtunt in religione, cuius principia euertunt totam euangelij doctrinam, quæ ad mores attinet, propriæ renuntiauerint ſaluti, id ipſum facere prætenſam reformationem, hac diſtinctione oſtendam, ex ipſiuſmet dogmatibus communiter in ea receptis, & relatis, ac doctiſſime refutatis à Controuerſiſtis Catholicis, nempe Antonio Arnaldo, Becano, Ioanne Maldero, & alijs.

QVÆSTIO I.

Religionis reformatæ principia omnia ſalutis media proſcribunt.

ARTICVLVS I.

Recenſentur principia aduerſariorum quoad prætenſam eorum iuſtificationem.

HÆc citabo ex eorum Confeſſionibus Cathechiſmis, Synodis, & celebrioribus Theologis huiuſce prætenſæ reformationis.

Quomodo fiat, & in quo conſiſtat iuſtificatio ſecundum reformatos?

GAllica ergo Confeſſio. Art. 18. *Sic Credimus quod omnis noſtra iuſtitia, fundata ſit ſuper remiſſionem peccatorum, quam ob cauſam reſpuimus omnia alia, quibus poſſemus iuſtificari coram Deo* (nota verba) art. 20. *Credimus ſola fide, Nos participes fieri huius iuſtitiæ.* Art. 22. *Credimus quod hac fide regeneramur in vitæ nouitate, cum natura ſimus ſerui peccati: præterea licet Deus nos regeneret, Confitemur tamen bona quę duce ſpiritu eius facimus, non eſſe ventura in rationem iuſtificationis noſtræ, nec mereri, vt Deus nos pro filijs habeat.*

Confeſſio Anglica art. 11. *Tantum propter meritum Chriſti, per fidem non propter opera, & merita noſtra, iuſti coram Deo reputamur, quare ſola fide nos iuſtificari, doctrina eſt ſaluberrima, ac conſolationis pleniſſima.* Art. 11. *Bona opera quæ ſunt fructus fidei quamquam peccata noſtra expiare, & diuini iudicij ſeueritatem ferre non poſſint, Deo tamen grata ſunt*, &c. art. 14. *Voluntaria opera, quæ dicuntur opera ſupererogationis, doceri non poſſunt ſine arrogantia, & impietate.*

Confeſſio Auguſtana art. 20. *Sentiendum eſt donari nobis remiſſionem peccatorum, & fieri nos ex iniuſtis iuſtos gratis propter Chriſtum, nō propter dignitatem contritionis, aut aliorum operum præcedētium,*

aut

aut ſequentium;ſed fide hoc beneficiũ accipiendum eſt. Et infra, *ſed cum dicimus fide iuſtificamur, non hoc intelligimus, quod iuſti ſimus propter ipſius virtutis dignitatem, ſed hæc eſt conſequentia conſequi nos remiſſionem peccatorum, & imputationem iuſtitiæ per miſericordiam propter Chriſtum, verum hæc miſericordia non poteſt accipi niſi fide.*

Cathechiſmus Palatinatus approbatus inSynodo Dordracenſi in Hollandia, cui interfuere deputati Theologi Caluiniſtarum Galliæ, Proteſtantiũ Angliæ, & Lutheranorum Germaniæ, præfatus ergo Cathechiſmus qu.60. *Quomodo iuſtus es coram Deo? ſola fide in IeſumChriſtum,adeo vt licet me mea conſcientia accuſet,quod aduerſus omnia mãdataDei,* (nota bene)*grauiter peccauerim, nec vllum eorum ſeruauerim,ad hæc etiam, ad omnem malum propẽſus ſim* (nota etiam bene) *Nihilominus tamen modo hæc beneficia vera animi fiducia amplectar, ſine vllo meo merito, ex mera Dei miſericordia,mihi ſatisfactio,iuſtitia, & ſanctitas Chriſti imputatur, &c.*

Sanctitas reformatorum per nullum peccatum, quantumuis graue amittitur.

FIdem iuſtificantem in qua ſola conſiſtit ſanctitas prætenſorum reformatorum per nullum peccatum eſſe amiſſibilem, tenent contra Remonſtrantes in collatione Hagienſi anno 1611.pag.341. Synodus Dordracenſis, & conſequenter omnes,qui eam acceptarunt, ſcilicet proteſtantes, Caluiniſtæ, Lutherani,quorum deputati ei interfuerunt. Chamierus lib.13.Dauid Paræus aduerſus Bellar.lib.3. Beza in collatione Montiſpelgart. Beenfeeld profeſſor Oxonienſis in Anglia lib. de perſeuerantia pag. 124. Feſtus Homius in ſua Theologia fol.21. Rippertus Sixti in reſponſo ſuo neceſſario pag.452. Theologi Palatinatus in actibus Synodi Dodracenſis part.2. pag. 271.

Legem diuinam eſſe impoſſibilem, adeoque omnia iuſtorum opera eſſe peccata.

ASſerit Confeſſio Auguſtana, art. 4. & 6. Vbi ait neminem legi Dei poſſe ſatisfacere. Confeſſio Anglica art. 9. Dicens concupiſcentiam, ſeu libidinem carnis non ſubijci legi Dei, habere naturam peccati, & ſemper remanere etiam in regeneratis, idem aſſerit Catechiſmus Geneuenſis dominica 31. 32. 34. In quibus locis dicit, primo minimam tentationem eſſe peccatum 2. Legem Dei exigere plusquam ſit poſſibile facere 3. Exigere perfectionem, quæ ſit ſupra facultatem noſtram. Præluxit Caluinus lib. 3. inſtitut. cap. 14. & in antidoto Concilij ſeſſ. 6. cap. 11. affirmans bona opera eſſe potius digna æterna damnatione, quam vitæ æternæ præmio? præiuit item Lutherus lib. de libertate Chriſtiana; & in aſſert. art. 2. 31. 32. 36. Dicens omnia opera iuſti eſſe peccata mortalia. Philippus Melanchton in locis communibus, & alij plures ex reformatis.

Aduertendum circa prædicta.

QVod præfati errores luculentiſſime fuerint refutati ab Authoribus Catholicis Bellarmino, Becano, & plurimis alijs, vnde hic non eſt mihi animus, eandem iterum tundere incudem, ne actum agerem; ſed ſolum ex his principijs eas deducere illationes, quæ orbi Chriſtiano palam oſtendant prætenſos reformatos ſub doloſa ſuæ reformationis larua proſcripſiſſe omnia æternæ ſalutis media, valedixiſſe mandatorum obſeruantiæ, virtutibus Chriſtianis, pietatis operibus, vero Dei cultui, derogaſſe Chriſti meritis, dignitati, veracitati, ac impijſſimum tandem induxiſſe Atheiſmum. Nec vlli minus de huiuſmodi conſequentijs cóqueri

ri poſſunt, quam prædicti reformati, quandoquidem ipſi non niſi virtute conſequentiarum ex ſuis principijs illatarum tam dementata errorum phræneſi corripiantur; nam ex his eorum principijs;ſcilicet ſolam fidem iuſtificare, bona opera nihil apud Deum mereri, legem Dei eſſe impoſſibilem, iuſtum non obſtante quouis peccato, e gratia nunquam excidere, deducunt non ieiunandum, non macerandam eſſe carnem, fruſtra exercenda eſſe charitatis, vel pænitentiæ opera, non oportere multum ſollicitum eſſe de oratione, Eleemoſyna, vigilijs: hinc bellum indixere Monachis monialibus, religioſis, templis, aris, ſupplicationibus, peregrinationibus, conſilijs Euangelicis; hinc receſſit miſericordia in egenos, ſucceſſit auaritia, vt recte Grotius inter eos celebris, inquit, *Iuſtitia imputata frigus iniecit plebi, & plebis ducibus.* Hinc tandem deducunt indulgendum genio, laxandas habenas carni & ſanguini, has, & ſimiles conſequentias ex ſuis principijs inferunt; & nos ex ijſdem, ſupradictas deducimus impietatis illationes, quas ſi negent aduerſarij, negare debent ſua principia, ex quibus neceſſario, & euidenter ſequuntur. Vnde ſit.

ARTICVLVS II.

Salus humani generis ex principijs religionis reformatæ eſt impoſſibilis.

PRæmitto, cum homo ſit agens propter finem, adhoc vt illum, & appetat, & aſſequatur, neceſſariam illi eſſe cognitionem eiuſdem finis; quia voluntas non poteſt ferri, niſi in præcognitum; hinc primo, ſcire debet quomodo, & qualiter finis acquiratur, ſi quis enim hoc neſciat, neſciet etiam ſe diſponere ad illum conſequendum. ſecundo debet habere cognitionem omnium eorum, quæ ſunt neceſſaria ad finem, ſi enim ignorat media,

poterit deficere à conſecutione finis, ob defectum medij neceſſarij.tertio debet ſcire talia media ad cõſequendum talem finem ſufficere, nam ſi quis dubitet, media, quæ exiſtimat neceſſaria ad finem, non eſſe ſufficientia, non efficaciter proſequetur finem, Deus autem, qui ex prouidentiſſima ſua miſericordia vult omnes homines ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, vtique dedit modum proportionatum humano generi, quo docti, & indocti, rudes, & ſimplices, pueri, & mulieres, poſſint peruenire ad hanc veritatis agnitionem, ſeu cognitionem tam finis ſui, quam mediorum neceſſariorum ad hunc finem, qui eſt ſalus, & vita æterna.

Cum igitur omnes homines vocentur, vt dixi, ad ſalutem, & nulla ſit alia via de facto ad hanc, quam vera fides, ſane omnis via, quæ ad hanc eandem non ducit rudes, ſimplices, ignaros, pueros, &c. nullum conducet, cum proprietas huius viæ ſit conducere illuc omnes homines;hęc via exChriſti, & Apoſtolorum inſtituto, & exemplo, apud Catholicos Romanos, eſt facilis, & rationi maxime conſentanea, ſtante quod non ſit, niſi certus numerus myſteriorum neceſſario credendorum, & quod ſufficiat alia myſteria credere in fide Eccleſiæ, nullumque ſuſtinere errorem, ſcripturæ, vel traditioni ſecundum iudicium Eccleſiæ contrarium, huic iudicio fideles Catholici acquieſcunt, & obediunt, hoc iudicium tanquam regulam infallibiliter dirigentem, ſequuntur; & in hac via nihil, niſi poſſibile, nihil, niſi ſatisfactorium, & expeditum inuenitur, vt 2. parte oſtendo.

E contra autem, via à prætenſis reformatis propoſita, eſt multis obſtaculis, ac perplexitatibus plena, & hominibus ſaluari cupientibus plane impoſſibilis, vt iam oſtendo. Communis ergo illorum via eſt, quod fides non diſcatur ab Eccleſia, quia inquiunt poteſt errare, nec ab authoritate traditionum, quia ſunt incertæ, ſed à ſola ſcriptura, per

eam

eam examinando ſingulos fidei articulos, cum hæc ſola inquiunt ſit regula totius veritatis: hoc principium includit ſequentia, primo Eccleſiam non eſſe infallibilem in ſuis deciſionibus; 2. traditiones non eſſe regulas fidei 3. quod ſcriptura contineat omnes veritates fidei 4. quod eas contineat clare, & expreſſe, ac modo proportionato omnium hominum captui: quare certitudo huius viæ, pendet à certitudine principiorum, quibus nititur, quæ cum ex ſe vtique, vt patet, non ſint clara, deberent nobis conſtare certo, per atteſtationem authoritatis, cui teneremur obedire, ea ergo deberent reformati ex ſola ſcriptura probare, quæ ſola ſecundum eos, facit certam probationem in rebus fidei, ne qui hanc illorum viam vellet amplecti, deciperetur.

Sit ergo aliquis, qui vult ad agnitionem veritatis venire, & de illa à prætenſis reformatis inſtrui, non poteſt non rectè circa quemque textum, quem ei proponunt, & per quem præfata principia probare vellent, inſtituere triplicem quæſtionem, antequam intelligat vim, & ſenſum textus. primo enim certificari deberet an textus allatus ſit ex libro Canonico: 2. an ſit conformis originali 3. An ſint modi diuerſi eum legendi, habito reſpectu ad antecedentia, & conſequentia, ne eneruaretur eius vis, in probando. Prima Quæſtio obligat indagare quinam ſint libri Canonici, & per quam regulam dijudicentur, an per authoritatem Eccleſiæ, an per ipſam ſcripturam, an per inſtinctum internum? duobus his vltimis modis, non poſſe certo, & infallibiliter probari, ſcripturas Canonicas oſtendi. diſt. præced. qu. 1. art. 4. & 5. ſed dato, & non conceſſo, quod hæc via probandi Biblia per inſtinctum iſtum, eſſet vera, certe oporteret eam ad praxim reducere, nec ſane id aliter, fieri poteſt, quam legendo ſcripturam à capite ad calcem experiendo, an internus ille ſuſurrus dictet omnes, & ſingulos textus ac

capita, quæ legit, eſſe ſcripturam Canonicam, & diuinam: nam ridiculum eſſet velle ſuſtinere, quod iſte inſtinctus certificet tibi non ſolum librum eſſe Canonicum, ſed etiam ſingulos eius textus, priuſquam totaliter legatur: ſinguli enim à paritate, vt ſciantur eſſe Canonici, exigunt examen per inſtinctum internum. Ecce iam excluduntur ab iſta via omnes ij, qui non poſſunt legere totam ſcripturam, & ſic actum eſt de ſalute mutorum, ſurdorum, cæcorum, rudium, ſimplicium, mulierum, artificum, villicorum. &c. ſi non norunt legere: crudelis plane, & à miſericordia diuina longe ſemota via.

Hinc tranſeundum ad duas alias quæſtiones, quæ reſpiciunt fidelitatem translationis, vel diuerſos modos legendi textus, & hoc examen fieri nequit, niſi conſulendo originalia, quod requirit magnam peritiam linguarum: en iterum excluſi rudes ſimplices, & alij ſupradicti: vel certe debet tunc quis ſe referre ad homines doctos; ſed quis his fidat ſuam ſalutem, maxime in ſententia reformatorum, qui dicunt totius Eccleſiæ dictum, non eſſe fundamentum certitudinis infallibilis. Deciſis his quæſtionibus inde progredi oportet ad ipſos textus & conſiderare, an clare probent principia religionis reformatæ, vbi cauendum eſt, ne detur illis textibus maior extenſio, quam reuera habent, videndum item, an ſint contrarij alijs textibus, vt hic *Pater maior me eſt*, & iſte, *ego, & pater vnum ſumus*, Quale examen requirit vtique magnum laborem nam ipſimet fatentur, non eſſe inſiſtendum vni ſoli textui, ad probandum articulum, ſed percurrendos eſſe alios etiam textus, quare hoc examen poſtulat, vt conferantur inter ſe textus, vnde neceſſe eſt, percurrere totam ſcripturam, ne lateat aliquis textus, qui contrarium exprimat textui controuerſo, & hęc reuiſio longum requirit exercitium. Quid interim facient ſimplices, indocti, rudes?

Quod ſi audiendi ſint miniſtri explicantes ſcripturam, conſentaneum eſt etiam audire alios, cum aduerſarij doceant nemini fidendum: ergo etiam audiendi erunt interpretes primitiuæ Eccleſiæ, cum ſi non maior, certe par ratio pro ipſis currat, vt tam bene in expoſitionibus ſcripturæ audiantur, quam miniſtri: en tibi iam alium immenſum laborem, etiam homini quantumuis docto difficulter exantlandum, & nonniſi multorum annorum ſtudio finiendum: oportet enim ſicut tam hos, quam illos expoſitores audit, vt iam faciat electionem interpretationis, cur enim in hoc audiret potius miniſtrum, quam primitiuam Eccleſiam. Adeamus nunc noſtrum proſelytum, ſupponamus quod fecerit omnes diſcuſſiones, quas hactenus diximus, ponamus item, quod admittat inſtinctum internum, & per eum agnoſcat libros Canonicos, quod examinauerit omnes textus, quibus miniſtri probant ſua principia, quod prædicti textus ſint conformes originalibus; quod nulli alij inueniantur his contrarij in tota ſcriptura.

Ponamus item, quod examinauerit expoſitiones vnius, & alterius partis, & quod hinc intulerit ſiſtendum in ſola ſcriptura, ſine reſpectu ad authoritatem traditionis, per quam vel exponeretur ſcriptura, vel redderetur teſtimonium de aliquo dogmate in ſcriptura non contento, ſane faceret magnos progreſſus, & adhuc tamen eſſet in limine examinis, cuius prima difficultas pareret multas alias, nam velle examinare omnes veritates ſiue in ſcriptura contentas, ſiue ex illa deductas, omnes eius expoſitiones, eſt opus infinitum, & impoſſibile; in principijs tamen aduerſariorum omnino neceſſarium, cum teneant nulli mortalium fidendum, & quemlibet poſſe, & debere ſcrutari ſcripturas, vnde affigere ſalutem humani generis huic conditioni, eſt auferre omnem ſpem hominibus doctis, indoctis, rudibus, ſimplicibus perueniendi vn-

quam ad agnitionem veritatis. quod aiunt de diſtinctione articulorum fundamentalium, & non fundamentalium, de ſcripturæ claritate refutatur in ſecunda parte diſtinct. 3. & 4. Vnde indago prædictorum articulorum inuoluit eaſdem difficultates; cum debeat legi tota ſcriptura, axaminari originalia, conferri textus, diſcuti expoſitiones, ergo notitia mediorum ſalutis eſt impoſſibilis in via ſectariorum, quare hæc via tam immitis, tam impoſſibilis facit Deum immitem, & crudelem, ſed Deus non eſt immitis, nec crudelis, ſed clemens, & miſericors, volens omnes homines per media vtique ipſis proportionata ſaluos fieri, ergo impia, & crudelis eſt iſta religio, quæ ex impietatis ſcrinio, petiuit crudelem hanc viam, qua genus humanum mortis æternæ laqueo crudeliſſime irretiret.

ARTICVLVS III.

Stante dogmate de ſola fide iuſtificante, prætenſi reformati hoc ipſo, proſcripſere à ſe cæteras virtutes Chriſtianas, ac ipſam gratiam internam ſanctificantem.

VEris Chriſti fidelibus, non ſolum fides, ſed etiã cæteræ Chriſtianæ virtutes commendantur, vt charitas, ſpes, miſericordia, iuſtitia, & maxima ſollicitudo de gratia ipſa ſanctificante, idq; in multis ſcripturæ locis, præſertim ad Gal. 5. *Dico autem ſpiritu ambulate*, & infra, *fructus autem ſpiritus, eſt charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, manſuetudo, fides, modeſtia, continentia, caſtitas.* & poſt *ſi ſpiritu viuimus, ſpiritu, & ambulemus.* Ibidem. *In Chriſto Ieſu, neque circumciſio aliquid valet, neque præputium, ſed fides, quæ per charitatem operatur.* Commendatur ſpes Prouerb. 28. *Qui ſperat in Domino ſanabitur.* Commen-

mendatur dilectio, Deuter. 6. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*, &c. commendatur ſollicitudo de acquirenda gratia ſanctificante, ex illo ad Epheſ. 4. *Renouamini ſpiritu mentis veſtræ, & induite nouum hominem, qui ſecundum Deum creatus eſt in iuſtitia, & ſanctitate veritatis* 2.ad Corin. 15. *Gratia Dei ſum id, quod ſum, & gratia eius in me vacua non fuit.* Si Apoſtolus ſciret loqui idiomate reformatorum, deberet potius dicere fide Dei ſum id, quod ſum.

Aiunt ergo vnanimi voce, omnes noſtri pſeudo reformati, vt ar.1.vidimus, ſolam fidem iuſtificare, quia ſcilicet ſola apprehendit iuſtitiam Chriſti qua imputata quis iuſtificatur; hic autem vel ſermo eſt de prima iuſtificatione, vel de ſecunda, nempè augumento iuſtitiæ; ſi quæſtio eſt de prima, fatemur eam fieri gratis ſine noſtris operibus; licet, prærequirat in adulto præuia quædam opera, tanquam diſpoſitiones, ſcilicet actum fidei, ſpei, dilectionis, timoris, pœnitentiæ, propoſiti melioris vitæ: Si quæſtio eſt de ſecunda, ſeu augmento iuſtitię, dicimus id nobis conferri à Deo propter bona opera, aduerſarij autem nec in prima, nec in ſecunda iuſtificatione admittunt opera quidquam conducere, ſed omnia remittunt ad ſolam fidem. itaque, iuxta hanc ſententiam, tam per accidens ſe habebunt virtutes Chriſtianæ ad iuſtificationem, & ſalutem, quam ſe habet vel muſica, vel arithmetica, ita vt ſicut quis poteſt optime ſaluari ſine prædictis ſcientijs, ſic modo quis habeat fidem, quæ apprehendat iuſtitiam Chriſti, optime per ſolam illam ſine virtutibus Chriſtianis, & iuſtificari, & ſaluari poteſt, & ſic prætenſi reformati libere poterunt his omnibus virrutibus renunciare, ſola fide contenti.

Vt ſic probo, cum ſola fides iuſtificet, cæteræ virtutes Chriſtianæ tam erunt ſuperfluæ ad iuſtificationem, & ſalutem ex principijs aduerſariorum quam muſica, vel Arithmetica; ſed ſine vlla iactu-

ra ſalutis, vel iuſtificationis, poteſt quis carere prę-
fatis facultatibus; ergo ſimiliter, ſine vlla iactura
ſalutis, poteſt quis carere cæteris virtutibus Chri-
ſtianis. Maior eſt principium aduerſariorum, nam
particula ſola eſt excluſiua cuiuſuis alterius virtutis,
conducentis præciſe ad ſalutem, adeoque ſpei, timo-
ris diuini, pœnitentiæ. &c. mi: patet, & conſequen-
tia probatur, quod enim impertinenter ſe habet ad
iuſtificationem, tuto, & impune poteſt quis eo ca-
rere, ſicut quia muſica eſt impertinens ad eam, ita
poſſum illa carere; ſed omnis virtus præter fidem,
eſt impertinens ad ſalutem, & iuſtificationem, nulla
enim virtus, ſola fide excepta, ſecundum aduerſa-
rios, ad eam conducit, ergo ſiue adſint, ſiue abſint
cæteræ virtutes nec plus, nec minus idcirco poteſt
quis cenſeri iuſtus.

Reſpondet Chamierus lib. 13. De iuſtificatione, licet fides definitione ſua diſtinguatur à cæteris virtutibus Chriſtianis, reipſa tamen nunquam eſſe ſine illis. Idem ait Caluinus, in cap. 9. & 25. Math. apud Feuardent. ſic etiam tenet confeſſio Anglica art. 12. addit Chamierus, ſicut pulmo iunctus cordi, & hepati reſpirat, ſeparatus non reſpirat, ſic fides coniuncta cum virtutibus iuſtificat, ſeparata minime: contra, vel ſola fides iuſtificat, vel non? Si primum, ergo ſuperfluunt cæteræ virtutes quoad ſalutem præciſe: ſi ſecundum, ita ſcilicet, vt non iuſtificet ſine virtutibus, ergo male dicunt fidem ſolam iuſtificare, debent itaque negare hoc primum principium ſuæ religionis. contra 2. dum prætenſus reformatus committit adulterium, aut homicidium, vel tunc eius fides in eo remanet coniuncta cum virtutibus chriſtianis, vel non? ſi non, ergo adulterium deſtruit eius fidem, & virtutes, & ſic non erit tantum adulter, ſed etiam ſciſmaticus, Apoſtata, Infidelis, extra Eccleſiam conſtitutus tanquam Ethnicus, & Publicanus, quod eſt tamen contra reformatos, aſſerentes nunquam fidem, aut iuſti-

iuſtificationem amitti: quod ſi autem dicant, fidem in tali adultero remanere, vel tunc eſt iuſtus, vel non? ſi non, ergo fides ſola non eſt forma iuſtificans contra eos, ſi autem tunc eſt iuſtus per fidem, redit prima pars prioris dilemmatis; atque ita habet virtutes chriſtianas, non obſtante ſuo adulterio, ſic prætenſi reformati ſunt caſti, dum adulterantur, mites, dum occidunt proximum, iuſti, dum furantur, religioſi, dum blaſphemant Deum.

Sed ſiſtendo in principijs prætenſæ reformationis, falſum eſt quidquam iuſtificare, præter ſolam fidem: ergo præciſe in ordine ad iuſtificationem, ſuperfluunt aliæ virtutes, & ita quoad hanc, ſuperfluit charitas, adeoque iuſti reformati ſine vlla iactura ſuæ iuſtificationis poſſunt carere dilectione Dei, nec amplius curare debent eum diligere ex toto corde, ex tota anima, ex tota fortitudine, ſuperfluunt charitatis opera, ſcilicet diligere proximum, ſicut ſe ipſum, frangere eſurienti panem, veſtire nudos, viſere ægrotos, captiuos redimere, peregrinos hoſpitio ſuſcipere, vt habetur Matth. 25 nihil enim horum ſecundum iſtos, eſt neceſſarium ad ſalutem, cum ſola fides ſufficiat, ſuperfluit ſpes animarum noſtrorum, firmiſſima anchora, ſic non multum ſolliciti eſſe debent de amore concupiſcentiæ erga Deum, quo ſcilicet Deum, & diuina præ omnibus alijs concupiſcibilibus, nobis concupiſcimus, ſi enim iuſtus reformatus magis concupiſcat Amaſiam, pecunias, diuitias, quam Deum, vel diuina, ſalua ſunt ei omnia, nam actus ſpei nihil conducit ad eius ſalutem, aut iuſtificationem, ſufficit enim ei ſola fides. adeoque ſuperuacanea eſt ſpes, dilectio, miſericordia, iuſtitia, pœnitentia ad iuſtificandos prætenſos reformatos, certe talis iuſtitia non diſtat quidquam à iuſtitia Turciſmi, vel Alcorani.

Superfluunt cæteræ virtutes; longanimitas, manſuetudo, patientia, humilitas, & ſuperfluit quid-

quidquid in Euangelio commendatur de fructibus & donis Spiritus Sancti, de imitatione Chriſti, de conſilijs Euãgelicis, ſola enim fides ſupplet hęc omnia; ſed quod caput eſt, ſuperfluit ipſa gratia infuſa; vnde ex iſtis ſequitur, nullam vnquam tot virginum, Martyrum, Apoſtolorum, Patriarcharum Prophetarum, aut iuſtorum (qui Deum verum coluerunt) animam vere, aut reipſa ſanctificatam fuiſſe: non Angelos, Archangelos, Cherubim, aut Seraphim interna gratia fuiſſe iuſtos, cur? quia ſola fides iuſtificat, & ſanctiſicat, non inter natos mulierum maximum Ioannem Baptiſtam, non gratia Dei plenam Deiparam, non denique ſancti ſanctorum Domini noſtri Ieſu Chriſti, animam, ac conſcientiam de facto ſanctam, aut mundam extitiſſe, ſed tantummodo, vel ſola fide, vel ſimulata imputatione, & externa ſolum denominatione, Deo ſcilicet illorum labes, ac ſordes, ſi quibus infecti erant, non aduertente ſicut ſi aliquid eſſet album ſine albedine, calidum ſine calore per extrinſecam tantum denominationem; ſic prętenſi reformati erunt inſtar fructuum, qui naſcuntur in terra Sodomæ, & Gomorrhæ, qui foris videntur colorati, intus fimo, fumo, & putredine ſunt pleni. igitur iuxta hanc iuſtificandi normam procul à ſe amandarunt iuſtitiam internam, gratiam ſanctificantem, omnia denique chriſtianæ religionis inſignia, en tibi euangelium religionis reformatæ conuerſum in AlcoranumMahometi. ad alia pergo.

ARTICVLVS IV.

Sola fides religionis reformatæ ſingulari priuilegio diſpenſat cum illa in fide myſteriorum, & obſeruantia mandatorum Dei.

TRiplicem fidem diſtinguit Caluinus lib. Inſtit. apud Becan. ſcilicet hiſtoricam, miraculo-

culorum, & promiſſionum: per primam: creduntur vera eſſe, quæ in ſcripturis narrantur, per ſecundam, creditur nihil eſſe impoſſibile Deo; per tertiam, creduntur veræ eſſe promiſſiones Dei, de gratuita peccatorum remiſſione per merita Chriſti: ad hæc inquit, nec prima, nec ſecunda, ſed ſolum tertia iuſtificat; hanc eius ſequaces dicunt eſſe duplicem, vnam generalem, qua generaliter quis credit promiſſam eſſe remiſſionem peccatorum ijs omnibus, qui in Chriſtum credunt; alteram ſpecialem, qua vnuſquiſque in particulari promiſſionem illam ſibi applicat; credendo omnia peccata propter Chriſti meritum, ſibi eſſe remiſſa, huius autem fidei obiectum, aiunt eſſe miſericordiam ſpecialem. hanc explicationem ſequuntur, Chamierus tom.3. lib.13.cap.6. Vvindel. lib.1. cap.24. Riuetus in Apologia, Caluinus ipſe lib.3. inſtit. cap. 2. Kemnit. in examine Concilij Trid.1.p.confeſſio Auſtana art. 20. confeſſio Anglica art.11. ad hæc vnanimi conſenſu ſubiungunt opera non eſſe neceſſaria ad ſalutem; vbi tamen nota priuſquam vlterius pergam, fidem miraculorum iuſtificare Marci 16. *qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſaluabitur.* Hanc autem eſſe fidem miraculorum ibidem, patet, *Signa autem eos, qui crediderint, hæc ſequentur.* Fidem etiam hiſtoricam, qua credimus Chriſtum ſurrexiſſe á mortuis, conducere ad iuſtificationem, patet, ad Rom. 10. *Si in corde credideris, quod Deus illum ſuſcitauit á mortuis, ſaluus eris.*

Si igitur fides promiſſionum, iuxta ſupradictam explicationem aduerſariorum ſola iuſtificat, & eſt ſola neceſſaria ad ſalutem, ſequitur manifeſte, fidem hiſtoricam aut miraculorum, ſiſtendo in eorum principijs, non iuſtificare, & proinde modo quis habeat fidem promiſſionum, eſto non habeat fidem hiſtoricam, aut miraculorum; adhuc poſſe iuſtificari, & conſequenter prætenſos reformatos poſſe tuto negligere fidem aliorum myſteriorum, vt ſic oſten-

oſtendo, ſola fides promiſſionum ſeu miſericordiæ ſpecialis per eos iuſtificat; ergo licet non habeant fidem hiſtoricam, vel miraculorum, poſſunt eſſe ſecundum ſua principia iuſti: antecedens eſt ipſorum dogma; conſequentia probatur, ex eo quod ſola fides iuſtificet de facto ſecundum eos, in hanc iuſtificationem nullum influxum habent bona opera, quare ſiue adſint, ſiue abſint, modo adſit fides promiſſionum, ſeu miſericordiæ ſpecialis, prætenſus reformatus iuſtificatur: ergo ſimiliter ſiue adſit, ſiue abſit fides hiſtorica, & miraculorum, modo tamen adſit fides promiſſionum, hæc ſola iuſtificabit, ſicut ſecundum aduerſarios ſola iuſtificat ſine influxu operum, ergo non plus debent eſſe ſolliciti in puncto iuſtificationis, & ſalutis de fide hiſtorica, & miraculorum, quam de bonis operibus.

Tunc ſic, ſed quæ ſunt ſuperflua ad ſalutem, & iuſtificationem, tuto omitti poſſunt; ergo cum fides hiſtorica, vel miraculorum non iuſtificet pluſquam bona opera, erit ſuperflua, & conſequenter omitti poteſt: ſed fides hiſtorica, eſt qua credimus quidquid in Euãgelio legimus de prædicatione, miraculis, virtutibus, operibus Chriſti, de eius Reſurrectione, Apparitione, Aſcenſione: ergo, licet prætenſi reformati non credant præfata illa, erunt tamen adhuc ſancti, iuſti, ſalui, quare? quia fides promiſſionum ſola iuſtificat: & quoad hoc, non amplius prætendit ab ipſis in ſuo Alcorano Mahometus. Item fides miraculorum eſt, qua credimus Deo nihil eſſe impoſſibile, ſecundum eorum explicationem, adeoque, qua credimus *Deum Patrem Omnipotentem, creatorem Cæli, & terræ, carnis Reſurrectionem*; Sed cum ſola fides promiſſionum iuſtificet, hæc fides miraculorum ad hanc iuſtificationem non plus facit, quam bona opera, hæc autem ad ſalutem, vel iuſtificationem, non conducunt; ergo tam ſuperfluit fides miraculorum ad vnam, & al-

alteram, quam bona opera: igitur licet prætenſus reformatus non credat *Deum Patrem, omnipotentem creatorem cæli, & terræ, carnis Reſurrectionem*, modo habeat fidem miſericordiæ ſpecialis, quæ ſola iuſtificat, erit iuſtus, & ita hæc Religio conſpirat etiam cum Paganiſmo.

Examinemus vlterius fæcunditatem ſolius fidei iuſtificantis, & videamus quot theſauri indulgentiæ, & libertatis in eius ſinu recondantur, hæc fides tam eſt abundans ad iuſtificandos prætenſos reformatos, vt non indigeant meritis bonorum operum, vt teſtatur Lutherus, ſermone de Piſcatura Petri. Amsfordius in Præfatione operum Lutheri. Confeſſio Auguſtana art. 20. Confeſſio Anglica art. 11. Confeſſio Gallica art. 22. Hinc ſequitur manifeſte, quod ſicut ſola fides iuſtificans eximit reformatos à neceſſitate operum, ita etiam exemit ab obſeruantia legis. Horrebunt ad hoc vltimum aduerſarij & negabunt ſe talia docere, ſed tamen euidenter ex eorum principijs ſequitur.

Vt clare probo, nam hæc duo non differunt, iuſti tenentur bona opera facere, & iuſti tenentur ſeruare legem: vtrumq; itaque æque late patet, non enim tenentur iuſti facere bona opera, niſi ex præſcripto legis, vnde idem eſt hic diſcutere, an iuſti teneantur bene operari, & an teneantur ſeruare legem? Seu an bona opera ſint iuſtis neceſſaria ad ſalutem, & lex obliget iuſtos ad ſui obſeruationem? nunc oſtendo intentum, diligere Deum, ſanctificare ſabbatum, ſeu diem Dominicum; non blaſphemare nomen Dei, honorare parentes, abſtinere à furto, adulterio, fornicatione, periurio, falſo teſtimonio, à concupiſcentia vxoris proximi, ſoluere decimas, diligere proximum, ſunt opera bona conducentia ad vitam, ſi credimus Euangelio Matth. 19. *Si vis ad vitam ingredi ſerua mandata*. Sed ex generali principio religionis reformatę nulla opera bona conducunt, vel ad iuſtificationem, vel

ad ſalutem, cum ſola fides iuſtificet: ergo etiam opera bona exercita circa obſeruantiam legis, non conducunt ad iuſtificationem, adeoque nec ad ſalutem, hæc enim ſunt idem, cum nemo ſit ſaluus, vel ſaluandus niſi iuſtus. probatur conſequentia licet ſit opus bonum ex Euangelio ieiunare, dare eleemoſynam pauperi, obſeruare caſtitatem, tamen in ſententia aduerſariorum, iſta non conducunt ad iuſtificationem, quia ſola fides vtique excluſiue ad opera, iuſtificat: ergo licet obſeruantia mandatorum ſit opus bonum, cum nullum tale conducat ad ſalutem, neque illa obſeruantia conducet, atq; adeo, non erit ſimpliciter neceſſaria.

Si enim fidelis reformatus per multos annos continuo peccaret contra legem, modo tamen credat ſibi imputari iuſtitiam Chriſti, abſq; vllo alio opere bono, hoc ipſo iuſtificatur: & è contra quãtumuis obſeruet legem, & impleat omnia quæ lex præſcribit, per hoc tamen nec meretur, nec iuſtificatur, iuxta dogmata religionis reformatæ; ergo tam impertinens eſt ad iuſtificationem, & ſalutem reformatorum, ſecundum eorum principia, obſeruantia legis, quam ieiunium, vel eleemoſynæ; hæc autem ad iuſtificandos reformatos, vt ipſi docent, nihil conducunt: ergo etiam nihil ipſis confert obſeruantia legis, & conſequenter, ſicut ſine vllo diſcrimine ſuæ iuſtificationis, vel ſalutis ſecundum ſuam opinionem, poſſunt abſtinere ſe à ieiunando, vel à danda eleemoſyna, ita ſimiliter ab obſeruantia legis.

Nec id obſcure innuit Lutherus tom. 5. germ. in folio 112. Et in colloquio Isleb. *Nos prorſus nec debemus?, nec volumus pati, vel vnicam Moyſis legem, aut vnicum præceptum ceruicibus noſtris imponi.* Et ſubiungit tolli debere decem præcepta. Idem conſequenter ſentiunt quotquot dicunt, neminem poſſe legi Dei ſatisfacere, vt habet Confeſſio Auguſtana art. 4. & 6. Confeſſio Anglica artic. 12. Dicens nul-

nulla opera poſſe pati ſeueritatem iudicij diuini ; ac ſi dicat nulla opera poſſe ſatisfacere legi. Idem habet Caluinus lib. 2. Inſtit. cap 7. Cathechiſmus Geneuenſis, Dominica 31. 32. 33. Si autem non poteſt quis ſatisfacere legi, ergo lex ipſa eſt impoſſibilis obſeruatu, ergo iuſti reformati eximuntur ab hoc impoſſibili, cum ad impoſſibile nemo teneatur: ergo à primo ad vltimum iuſtificati religionis reformatæ eximuntur ab obſeruantia mandatorum Dei, ſi enim ipſa bona à lege præcepta, non conducant ad ſalutem, adeoque nec ſint neceſſaria, ſi lex ipſa ſit obſeruatu impoſſibilis, nemo tenebitur ad id, quod vel impoſſibile, vel ſuperfluum eſt: & quid aliud innuunt iterati ſcripturæ textus, à reformatis ſparſim citati, *Iuſto lex non eſt poſita, vbi ſpiritus Dei ibi libertas, ſi ſpiritu Ducimini, non eſtis ſub lege*, Quam eos velle producere diplomata ſuæ exemptionis à mandatis Dei, vt proinde liceat prætenſis reformatis, ſine vllo ſcrupulo, eſſe fures, latrones, homicidas, adulteros, Regicidas, perduelles, Regum, Regnorum, ac communitatum inuaſores, & euerſores, & ſic cum Ethnicis, & Paganis valedicere Deo, Dei præceptis, & legibus, iſta eſt infælix Religio ſine Deo, ſine Chriſto, ſine decalogo, in Ethniciſmum acta.

ARTICVLVS V.

Ex eodem ſolius fidei iuſtificantis principio ſequitur prætenſos reformatos non teneri, aut Deum orare, aut de peccatis ſuis vnquam pœnitere.

CHriſtus Matth. 5. præſcribens modum orandi, ait, *Dimitte nobis debita noſtra*, Et Lucæ 11. *Dimitte nobis peccata noſtra*. Pænitentia nobis præci-

cipitur Math.3. *Facite ergo fructum dignū pænitentiæ* Luc.13. *Niſi pænitentiam habueritis, omnes ſimul peribitis.* & infra *Sed ſi pænitentiam non egeritis, omnes ſimiliter peribitis.* Ezech.18. verſ. 30. *Conuertimini, & agite pænitētiam ab omnibus inquitatibus veſtris.* Sed ſiſtendo in ſola fide iuſtificante reformatorum, ſuperfluunt oratio, & pænitentia, imo id perſpicue infertur ex eorum principijs, nam Confeſſio Auguſtana ait, art. 20. Donari remiſſionem peccatorum ob ſolam fidem, non ob dignitatem operum antecedentium, aut ſubſequentium. Quod autem dicit infra, fidem non exiſtere niſi in eis, qui pænitentiam agunt, impoſtura eſt, ſi enim ſola fides iuſtificat, ad quid pænitentia? deinde Rex Dauid poſt ſuum peccatum, & ante ſuam pænitentiam retinuit fidem, ergo falſum eſt, fidem exiſtere tantum in ijs, qui agunt pænitentiam.

Item confeſſio Anglica eandem pænitentiæ efficaciam negat dum art.12. Dicit opera bona, *Non expiare peccata*, Dumque art.14. damnat opera ſupererogationis, excludit actus pænitentis in vtroque articulo, ſcilicet contritionem, ſatisfactionem, quæ eſt redditio alicuius alias indebiti, vtique per opus ſupererogationis, & alia huc pertinentia. Subſcribit confeſſio Gallica art.22. negans opera venire in rationem iuſtificationis, & ait, *Sola fide hominem regenerari in nouitate vitæ.* ex his conſtat, quod reformati conſequenter ad ſua principia valedixerint orationi, & pœnitentiæ, quoad obtinendam remiſſionem peccatorum; & imprimis de oratione id probo, fides promiſſionum ſecundum aduerſarios, ſe ſola iuſtificat; ergo cum oratio non iuſtificet, eſt ſuperflua. Probatur conſequentia, quia ſi certa fide quis credat ſibi eſſe remiſſa peccata, quomodo poteſt orare, vt remittantur? quomodo dicet illud Lucæ 13. *Dimitte nobis peccata noſtra*: Aut illud Publicani, *Deus propitius eſto mihi peccatori*? Vnde ſi prætenſus aliquis refor-

matus committeret homicidium,vel furtum,& vellet deinde recitare orationem Dominicam, quæſo quo ſenſu diceret dimitte nobis peccata noſtra, dimitte mihi hoc furtum, vel homicidium? In vanum enim ſic oraret, qui enim firmam fidem haberet de remiſſione peccatorum ſuorum quomodo peteret ſibi remitti, quæ ſola fide remittuntur? ergo fruſtra oraret.

Quod ſic probo, ex principijs aduerſariorum, tam certo quiſque debet credere ſua peccata ſibi eſſe remiſſa propter Chriſtum,quam certo credit ipſum Chriſtum veniſſe in mundum & eſſe Saluatorem mundi; ſed ſi quis oraret Deum, vt Chriſtus veniat in mundum, vel naſcatur, ille, ſine dubio eſſet infidelis, quia iudicaret de facto Chriſtum non veniſſe in mundum; ergo ſimiliter ſi prætenſus reformatus oraret Deum, vt ſibi remittantur peccata, non minus eſſet infidelis, quia iudicaret ſua peccata non eſſe ſibi remiſſa; quod repugnat principijs religionis reformatæ: vt ſic probo, vel enim certo credit ſibi eſſe remiſſa peccata propter Chriſtum, vel non? ſi non, ergo in principijs aduerſariorum iſte eſt Hæreticus, qui non credit fidem ſolam, qua apprehenditur iuſtitia Chriſti, iuſtificare: ſi autem certo credit ſibi remiſſa eſſe peccata, ergo adhuc eſſet hæreticus, qui oraret ſibi dimitti peccata, quæ iam ſunt dimiſſa per ſolam fidem, ſic enim dubitaret, an reuera ſua fides apprehenderit iuſtitiam Chriſti, & an hæc reipſa fuerit ei imputata, adeoque putaret ſolam fidem non iuſtificare, ſi autem iuxta ſua principia credat ſibi remiſſa eſſe peccata; non debet orare, vt dimittantur, ſicut non debet orare, vt naſcatur Chriſtus, quia iam natus eſt,ergo iam non debent prætenſi reformati ex ſuis principijs, orare Deum pro remiſſione ſuorum peccatorum, pluſquam Pagani, vel Ethnici.

Quod nec etiam teneantur aut dolere, aut pænitentiam de ſuis peccatis agere, ex eiſdem princi-

pijs etiam probatur, cum enim ſecundum aduerſarios ſola fides iuſtificet per remiſſionem gratuitam, & imputationem iuſtitiæ Chriſti, vtique ad talem iuſtificationẽ nihil conducet pœnitentia, licet enim multi ex aduerſarijs videantur admittere eius neceſſitatem, vt confeſſio Anglica art. 16. Confeſſio Auguſtana art. 20. Caluinus lib. 3. inſtit. cap. 4. Zanchius tomo primo, & alij nonnulli, tamen ſibi ipſis contradicunt, cum totam vim iuſtificationis ponant in ſola fide apprehendente iuſtitiam imputatam. Ad quid igitur neceſſaria eſt pœnitentia pro prætenſis reformatis ſi certo perſuaſi ſunt, *Se coram Deo*, Vt vtar verbis Confeſſionis Anglicę, *Iuſtos reputari tantum propter meritum Chriſti per fidem, non propter opera, & merita ſua?* & conſequẽter, non indigent vllo remedio ad peccatorum remiſſionem impetrandam. Nam ſicut nullus adultus v. g. rite, & vere regeneratus per lauacrum Baptiſmi, tenetur agere pænitentiam de peccatis per idem lauacrum iam ablutis, nec etiam de peccatis poſt Baptiſmum commiſſis, & iam rite dimiſſis; ità ſi remiſſio peccati commiſſi obtineatur propter meritũ Chriſti per ſolam fidem, aduerſarij non tenebuntur ad pænitentiam de illo faciendam, cum ſupponatur remiſſum.

Vt vrgeo rurſus iſto dilemmate, vel enim ſola fide regenerantur prætenſi reformati, vt loquitur confeſſio Gallica art. 22. Siue per fidem propter meritum Chriſti, vt ait confeſſio Anglica, ſeu fide hoc beneficium accipitur, vt vult confeſſio Auguſtana, vel non? eligant quod voluerint, ſi ſola fide iuſtificantur, ergo ſuperfluit quodcumque aliud, cum particula ſola quoduis aliud à ratione iuſtificationis excludat: ſi autem fides ſine pænitentia non iuſtificat; ergo ſibi ipſis contradicunt, quod dicant ſolam fidem iuſtificare. Tandem vel certo credunt ſola fide excluſiue ad alia opera ſe regenerari, vt habent in ſuis principijs vel non? ſi non id cre-

credunt, ergo debent negare ſolam fidem iuſtificare, & admittere neceſſitatem bonorum operum. Si autem credant ſolam fidem iuſtificare, ergo ſuperfluit pænitentia, & certe ipſimet id fatentur, cum vnanimi conſenſu negent Sacramentum pænitentiæ: ergo licet prætenſi reformati ſint tam impœnitentes, quam diabolus, vel animæ damnatæ, & nunquam de peccatis ſuis doleant, adhuc tamen reputabuntur iuſti per ſolam fidem coram Deo, ſed ego puto quod ſic tantum iuſti ſint coram principe tenebrarum, ne ergo cogantur admittere huiuſmodi abſurditates, negent principia ſua, & redeant ad Eccleſiam, ne in æternum debeant habitare cum ardoribus ſempiternis.

QVÆSTIO II.

Qualis ſit ſanctitas, & iuſtitia Religionis reformatæ? num horreat, an potius in ſinu ſuo peccata recondat?

NOn nego equidē apud heterodoxos, cumplures eſſe moraliter probos, ſed hic placet oſtēdere, quales poſſint eſſe, ſi viuere velint iuxta ſuæ religionis principia, & ampliſſimę libertatis indulgentia, quam illa permittit, vti, abſque vllo ſuæ iuſtificationis diſcrimine: vt iſta religio ſub fraudulenta iuſtitiæ imputatæ, & nunquam amiſſibilis gratiæ nube docet; vt ſi ſaltem nolint conſiderare tot argumenta, à doctis Catholicis, contra eorum iuſtificationem edita, ſcrutari ad minus velint domeſticos ſuos Theologos, & penetrare abſtruſas ſuæ Religionis impoſturas, in quibus ſi ſerio animū aduertant, videbunt latere tot angues mortiferas, tot venena, tot irritamenta malorum, & criminum, vt ſi quid luminis adhuc ipſis inſit, horreant principia ſua, & ijs abnegatis, ad Catholicæ Eccleſiæ gremiū, & Euangelicæ veritatis lumen accedant.

ARTICVLVS I.

Stante Religionis reformatæ ſentẽtia de inamiſſibilitate iuſtificationis, ſequitur quæuis peccata ſtare poſſe de facto cum iuſtitia actuali ſanctificãte

HVic erroris monſtro occurrit Apoſtolus 1. ad Corint.6. *Nolite errare neque fornicarij; neq; idolis ſeruientes, neque adulteri,*&c.*Regnum Dei poſſidebunt.* Et infra *neſcitis, quoniam corpora veſtra membra ſunt Chriſti? tollens ergo membra Chriſti faciam membra meretricis? abſit.* & Paulo ante.*Et hæc quidẽ fuiſtis,ſed abluti eſtis, ſed ſanctificati eſtis.* Vbi manifeſte oſtendit repugnantiam peccatorum, cum ſtatu iuſtificationis. Sed altius volunt ſapere prætenſi reformati, & nouam procudere Theologiam, quare! quia nouum etiam frabicarunt Euangelium, inuſitatum, ex eo,& horrendum peperere mõſtrum, cui an omnium poetarum fabulæ, ſimile finxerint neſcio, nempe iuſtum reformatum, quantumuis peccet, e iuſtitia ſua nunquam excidere, id eſt ſanctitatem reformatorum, cum quibuſuis peccatis ſtare poſſe de facto.

Eſt ergo principium communiter receptum in ſchola Caluini,ſtatum iuſtificationis, ſeu iuſti nunquam amitti, quare in hac ſchola ſunt ſynonima, *Eſſe iuſtum, & eſſe vere fidelem, iuſtificatio,& remiſſio peccatorum;* Ita vt remiſſio peccatorum, ſeu iuſtificatio nihil aliud ſit, quam fides ſola iuſtificans, id eſt apprehendens iuſtitiam Chriſti,proinde,*Credere hanc iuſtitiam ſibi imputari, eſt peccata remitti,* & è contra,*remitti peccata, eſt credere hanc iuſtitiã imputari*; Hinc perdere iuſtificationem, eſt fidem perdere, & retinere fidem, eſt iuſtum eſſe. Hæc autem explicatio elicitur ex confeſſione Anglica, art. 11. Ex confeſſione Auguſtana, art. 20. Ex confeſſione Gallica, artic. 22. Hanc vero iuſtificatio-

nem, ſeu fidem iuſtificantem, nunquam amitti poſſe, ſeu ſemel iuſtum, nunquam è ſtatu vere fidelis, ſeu iuſti excidere, tenent præſertim Caluiniſtæ, Caluinus ipſe, lib.2. inſtit. cap.8. lib.3. cap.4. Vbi tenet nulla peccata imputari Sanctis, ſcilicet Caluiniſtis; actus Synodi Dordracenſis; Theologi Geneuenſes, Haſſiæ, Palatinatus in eadem Synodo, contra Remonſtrantes in collatione Hagienſi anno 1611. Chamierus tom.3. lib. 1. cap. 23. Et lib.13. Beenfeeld profeſſor Oxonienſis, de perſeuerantia ſanctorum, lib.1. cap.4. Damnanus, pag. 127. Et alij, quæſt. præced. art.1. citati.

Proteſtantes vero, ſeu Lutherani, non videntur in apparentia eſſe huius ſententiæ, tamen ſtante eorum communi dogmate, quod ſola fides iuſtificet, vel debent fateri quod hæc fides per quoduis peccatum mortale amittatur, ita vt hoc ipſo, quo quis furatur, occidit, adulteratur, &c. committat peccatum infidelitatis, Idololatriæ, Paganiſmi, hæreſis quod tamen eſt apertè falſum in Rege Dauide, qui dum reus erat adulterij, & homicidij, non idcirco tamen Apoſtatauit à fide, nec puto proteſtantes tenere omnes ſuos ſequaces, quoties furantur, occidunt, adulterantur, euadere hoc ipſo Paganos, ethnicos, infidèles, apoſtatas à ſua Religione; vel tandem debent dicere, quod fides non amittatur per quoduis peccatum, quæ cum ſecundum eos, ſola iuſtificet ſine influxu vllius boni operis, vel meriti, poterit ſtare in iuſtificato cum quouis peccato, quod eſt intentum Caluiniſtarum: Vnum enim è duobus debent concedere proteſtantes, ſtante quod ſola fides iuſtificet, vel quod amittatur per quoduis peccatum, quod eſt falſum in Rege Dauid, & negare debent de ſuis ſequacibus vel non amitti per quoduis peccatum, & tunc ſtante peccato, vel fidem actualiter iuſtificare, vel non; ſi primum, conueniunt cum Caluiniſtis; ſi ſecundum, debent negare vnicam baſim ſuæ Re-

ligionis, nempè ſolam fidem iuſtificare, cum tunc requiratur aliquid aliud, præter ſolam fidem ad iuſtificandum, vnde Lutherani debent vel negare ſua principia, vel iurare in verba Caluiniſtarum.

Quod itaque ex hac reformatorum ſententia ſequatur poſſe ſimul ſtare peccata cum iuſtificatione, virtutes, cum quibuſuis vitijs, oſtendo: ſemel iuſtus, id eſt vere fidelis ſecundum eos, nunquam excidit e ſua iuſtitia, vt ait Synodus Dordracenſis ſupra citata, & confirmata in Synodo nationali reformationis Gallicæ anno 1664. aſſeruntque miniſtri Salmurienſes in ſuis Theſibus publicis; tunc ſic Dauid, Salomon, & Petrus Apoſtolus, antequam inciderunt in ea peccata, quæ commiſerunt, fuere vere fideles, & iuſti, vt manifeſte conſtat ex ſcriptura: ſubſumo, ſed Dauid commiſit ſimul adulterium, & homicidium, Salomon per multos annos commiſit Idololatriã, Petrus ter negauit Chriſtum, vnde ſic inſto, vel iſti tres dum actualiter ſic deliquerunt, fuerunt vere fideles, & iuſti, vel non? eligant quod voluerint, ſi non fuerunt vere fideles, & iuſti (hæc enim ſecundum reformatos ſunt Synonima,) ergo contra reformatos, ſemel iuſtus poteſt excidere e ſua iuſtitia, ſeu amittere fidem iuſtificantem, ergo quoties peccant mortaliter prætenſi reformati ſunt Ethnici, infideles, & periuri apoſtatæ, quia ſcilicet fidem amittunt, & ſic quodlibet peccatum ab ipſis commiſſum, contra ſecundam tabulam, committitur etiam contra primam.

Si autem tunc iſti tres fuerunt vere fideles, ſeu iuſti, ergo cum ſtatu iuſtificationis poteſt ſtare adulterium, homicidium, idololatria, abnegatio Chriſti, atque adeo fideles, ſeu iuſti Religionis reformatæ poſſunt committere tam enormia peccata contra primam, & ſecundam tabulam, quam committunt Turcæ, & Pagani, & interim eſſe vere fideles; quare? quia ſemel iuſti nunquam

poſ-

poſſunt excidere, e gratia, ſeu iuſtitia. Quid ergo iam impediat prætenſos reformatos rapere, furari, mactare proximos, abiurare Chriſtum, peierare, blaſphemare Deum, poligamiam, e Turciſmo, vſuram e Iudaiſmo, carnis libidinem, & omnium voluptatum illecebras ex ethniciſmo, acediam, futuræ vitæ negligentiam, cultus diuini contemptum ex epicureiſmo ſibi vindicare: quorſum? nihil enim horum deijcit Sanctos reformatę Religionis e ſua iuſtificatione: hæc enim eis non imputantur, nam quocumque modo violent legem Dei, iuſtitia Chriſti eis imputata, facit vt reſpiciantur à Patre Æterno, ac ſi totam legem impleſſent, vt aic Cathechiſmus Palatinus, quæſt.60. Magnum ſane priuilegium, ſed nulli in veteri, vel nouo teſtamento conceſſum.

Aliqui ex aduerſarijs, vt vim huius abſurditatis euadant, dicunt charitatem eſſe inſeparabilem à fide,& ſic vere fideles ſemper obſeruare mandata, ita Chamier. & Vvimdel. contra primo ex hac reſponſione habemus prætenſos reformatos ſemel iuſtos, ſeu fideles, vel nunquam peccare mortaliter, vel ſi peccent, iſta peccata eis non imputari, adeoque dum peccant eos non peccare, mirabile prorſus priuilegium, & contra illud primæ Ioan. primo *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt.* Contra ſecundo vera fides iuſtificans per aduerſarios, nunquam amittitur, adeoque qui habet veram fidem, habet charitatem, & obſeruat mandata ſecundum citatos authores ſubſumo, ſed qui habet veram fidem, poteſt adulterari, & occidere proximum, vt fecit Dauid interim fidelis, cum ſemel fidelis, ſeu iuſtus non poſſit amittere fidem,ſeu iuſtitiam, igitur, ſecundum dogma Religionis reformatæ, non obſtante fædo hoc crimine, talis obſeruat mandata Dei.

Habere enim charitatem, eſt diligere Deum,

& Deum diligere, eſt eius mandata ſeruare: ergo dum Dauid adulterabatur, fuit caſtus, dum iuſſit, occidi Vriam, fuit mitis. Sic conſequenter, prætenſi reformati ſemel iuſti, vtpote dotati vera fide, quæ ſemper ex dictis, eſt inſeparabilis à charitate, dum blaſphemant, ſunt religioſi, cum inebriantur, ſunt ſobrij, dum ſtuprant, ſunt continentes, dum negant Chriſtum, ſunt fideles, dum rapiunt, furantur, occidunt, ſunt innocentes, quare? quia ſemel iuſtus nunquam amittit iuſtitiam, & fides eſt inſeparabilis à charitate, adeoque quidquid mali facit, obſeruat mandata. Tandem fideles Religionis reformatæ, ſine iactura ſuæ fidei charitatis, aut iuſtificationis poſſunt cum ſua fide, & charitate fouere vitia oppoſita, nempe odium, rancorem, infidelitatem concupiſcentiam carnis, ſuperbiam, inuidiam, luxuriam: poteſt item Chriſtus inter has omnes abominationes adhuc ſibi complacere, in eorum charitate, & obedientia. Si hoc eſt Euangelium reformatum in orbem introductum, ſane totus infernus non potuit efficacius conari ad euertendum Euangelium Chriſti.

ARTICVLVS II.

Ex Religionis reformatæ dogmate de impoſſibilitate legis, ſequitur eius profeſſores poſſe omnem legem, ſine vllo peccato tranſgredi.

LEgem Dei eſſe obſeruabilem, & Deum impoſſibilia non præcipere, ſcriptura aperte teſtatur, 3. Reg. 14. v. 8. *Non fuiſti ſicut ſeruus meus Dauid, qui cuſtodiuit mandata mea, & ſecutus eſt me in toto corde ſuo.* Et Lucę 1. v. 6. de Zacharia, & Elizabetha, *Erant iuſti ambo ante Deum, incedentes in omnibus mādatis, et iuſtificationibus Domini ſine querela.* Ioan. 17. verſ. 6. de Apoſtolis, *Tui erant, & mihi*

eos

eos dediſti, & ſermonem tuum ſeruauerunt. Idem ſane credendum eſt de Beata Virgine, Ioanne Baptiſta, D. Stephano, &c. Legem autem non eſſe impoſſibilem, teſtatur Chriſtus, Matth. 11. *Tollite iugum meum ſuper vos, iugum enim meum ſuaue eſt, & onus meum leue* 1. Ioan, 5. *Hæc eſt charitas Dei, vt mandata eius cuſtodiamus, & mandata eius grauia non ſunt.*

Aduerſarij vero tenent nullum poſſe implere legem, ſeu illi ſatisfacere, ita confeſſio Auguſtana art. 6. *Tanta*, inquit, *eſt infirmitas humanæ naturæ vt nemo legi ſatisfacere poſſit* Catechiſmus Geneuenſis Dominica 32. & 33. confeſſio Anglica art. 9. Dicens concupiſcentiam carnis non eſſe ſubiectam legi Dei, Lutherus de libertate Chriſtiana: Caluinus lib. 2. Inſtit. cap. 7. Si iſti loquerentur de homine ſuis viribus relicto, & omni diuino auxilio deſtituto, non eſſet cum ipſis quoad hoc altercandum, ſed quia ſimpliciter, & abſolute loquuntur, patet inde ſequi, quod liceat fidelibus religionis reformatæ tranſgredi mandata Dèi, ſine vllo peccato.

Vt ſic probo, àd impoſſibile nemo tenetur: ſed lex Dei ſecundum aduerſarios eſt ipſis impoſſibilis, ergo ad hanc legem non tenetur. Maior eſt lumine naturæ nota, quia enim homini, v. g. prætenſo reformato in Galijs exiſtenti, impoſſibile eſt volare in Indias in inſtanti, ad id non tenetur, quia item ſine omni cibo, & potu non poteſt ſemper viuere, ad omnimodam cibi, & potus abſtinentiam non tenetur: ſubſumo; ſed ſine peccato facit quis oppoſitum illius, quod eſt ipſi impoſſibile, nam ſine peccato abſtinet ſe v. g. prætenſus reformatus à volatu, quia volare non poteſt; item ſine peccato ſuſtentat vitam per victum, & amictum, quia ſine his non poteſt viuere regulariter: ergo ſi ſimiliter lex eſt impoſſibilis prætenſis reformatis v. g. lex de non concupiſcendo, ſine vllo peccato; poterunt reformati concupiſcere domum:

vxorem, & agrum proximi ſui, & iuxta hanc diabolicam doctrinam, credo, poſſident heterodoxi tot fundos, prædia, caſtella, agros, & bona catholicorum ac religioſorum, vbi hæc lues religionis reformatæ graſſatur.

Iuxta hanc eandem inſtiterunt reformati ſcilicet nuper in quadam regione, ne ijdem fideles, & innocentes Catholici vnquam ſuis iuribus, aut legitimis poſſeſſionibus reſtituantur. Quare? quia impoſſibile eſt pretenſis reformatis *Non concupiſcere, nam concupiſcentia eorum non eſt ſubiecta legi:* Atque adeo non debet ipſis imputari tanquam peccatum, quod poſt concupiſcentias ſuas, abeant, & conſequenter non debet ipſis vitio verti, ſi inſtigante ſua concupiſcentia adulterentur, rapiant, furentur, quare? quia hoc inter alia eſt ipſis impoſſibile, *Non concupiſces*. Sic Euangelium reformatum, rapinis, adulterijs, fornicationibus, furtis, iniuſtis inuaſionibus, iniquiſſimis rei alienæ detentionibus infarcitur: proh Deum! quam bene iſti pſeudo Theologi, ſuam Theologiam reducunt ad praxim, vt teſtantur tot viduarum, pupillorum, innocentum, & oppreſſorum Catholicorum lachymæ in locis, in quibus hæc peſtis dominatur.

Hinc prætenſis refurmatis plena patet licentia peccandi, & omnia flagitia impune perpetrandi, quare? quia liberi ſunt ab obligatione legis, cuius obſeruantia eſt ipſis impoſſibilis, adeoque eius tranſgreſſio eis non imputabitur. Cur enim illis imputaretur id, quod non eſt in manu ipſorum, vel facere, vel vitare; ergo ad legem non obligantur, adeoque nec obligat ad id, quod non eſt in hominis poteſtate; ſed in reformatorum poteſtate, vt ipſi fatentur, non eſt obſeruare legem, cum ſit eis impoſſibilis: ergo Deus non obligat eos ad obſeruantiam legis. Minor eſt ſententia aduerſariorum. Maior etiam patet, quia eſset crudelis talis obligatio, quare vnum è duobus ſequitur, vel Deum obligare

gare ad impoſſibile, quod eſt blaſphemum, vel ſi lex eſt impoſſibilis, neminem obligari ad eius obſeruantiam, atque adeo licere prætenſis reformatis, ſine vllo peccato facere, quidquid; eorum concupiſcentia illis dictat, ac tranſgredi omnia diuina præcepta, & occidere, idololatrare, blaſphemare, peierare, ſtuprare, rapere, adulterari, &c. Sed ex ſupra dictis, nec Deus obligat ad impoſſibile, neque lex eius eſt impoſſibilis: atqui, qui non obſeruat legem, erit maledictus, vt fatentur ipſi aduerſarij in Catechiſmo Geneuenſi, Domin. trigeſ. tertia. Sed prætenſi reformati, non obſeruant legem ex Catechiſmo Palatino quæſt. 60. Quia ſe excuſant hoc ſplendidiſſimo mendacio, quod ſit impoſſibilis: ergo prætenſi reformati ſunt maledicti: ergo maledicta ſimiliter eſt illa eorum Religio ex cuius principijs, tanta ſequitur impietas.

ARTICVLVS III.

Ex principijs eiuſdem Religionis, ſequitur adulteros, homicidas, idololatras. Qua tales, tam eſſe filios Dei, & hæredes regni, quam fuere Apoſtoli, Prophetæ, & alij iuſti.

APoſtolus primæ ad Corin. 6. verſ. 9 *An neſcitis, quia iniqui regnum Dei non poſſidebunt? nolite errare, neq; fornicarij, neque idolis ſeruientes, neque adulteri, neque molles, neque maſculorum cōcubitores, neque fures, neq; auari, neque ebrioſi, neq; maledici, neq; rapaces regnum Dei poſſidebunt.* Idem inculcat ad Gal. 5. Apud eundem autem ſunt ſynonima hæredes regni, & filij Dei ad Rom. 8. *Si autem filij, & hæredes.* Mirabuntur aduerſarij prædictum paradoxum, & negabunt ſe ſic ſentire, ſed ſi attentius conſiderent ſua principia, ſinè vlla admiratione videbunt id ſequi, vt oſtendo, in ſchola eorum

iſta

iſta ſunt Synonima *Credere*, *& iuſtificari, fides*, *& iuſtificatio*, *eſſe in ſtatu adoptionis*, *filij Dei*, *& hæredis regni, eſt ſibi remitti peccata*, *& hæc ipſis remitti, eſt credere ſibi imputari iuſtitiam Chriſti*; Denique hæc omnia idem ſunt, *Ac eſſe vere fidelem*, Quia ſola fides iuſtificat, vera autem fides, nunquam amitti poteſt, ſecundum principia Religionis reformatæ.

Nunc ſic vrgeo, ſi Dauid, Salomon, vel D. Petrus morerentur, priuſquam egerunt pęnitentiam de ſuis peccatis, adhuc tamen morerentur in ſtatu adoptionis, & iuſtificationis, cum ſecundum aduerſarios, qui ſemel eſt iuſtus, nunquam è iuſtitia excidit. *Vere fideles*, Inquit Synodus Dordracenſis. *A ſtatu adoptionis, & iuſtificationis, nunquam excidunt*, In hac ergo eorum ſuppoſitione, non poteſt dici, quod iſti tres damnarentur, ſi morerentur, priuſqua agerent pænitentiam, quare? quia ſemper retinuerunt ſtatum adoptionis, iuſtificationis, filiorum Dei, ac hæredum regni, adeoque non poterant damnari, cum implicet aliquem eſſe iuſtum, & damnari; fuerunt ergo illi hæredes regni ſecundum Theologiam Religionis reformatæ, quia ſcilicet ſemel habuerunt fidem iuſtificantem, quæ nunquam amittitur, nec eſt etiam quod forent, vel illi, vel alij quicumque vere fideles, ſolliciti de bonis operibus, quia hæc non conducunt ad ſalutem, nam ſola fides eam obtinet, non ſub ratione boni operis inquit confeſſio Auguſtana, ſed inquiunt alij, quia eſt inſtar manus apprehendentis iuſtitiam Chriſti; hinc præfati illi ſaluarentur in quocumque ſtatu morerentur, cum nihil tollat eorum fidem. Probatur hoc; quia ſi adulterium, & homicidium Dauidis, idololatria Salomonis, negatio Petri, non impediebant quin fuerint vere fideles, & iuſti, non impedirent etiam quin ſaluarentur, ſi in eo ſtatu morerentur, etiam priuſquam agerent pænitentiam de ſuis peccatis, & prætenſi reforma-

ti id negantes, recedunt à communibus ſuis principijs, agunt contra ſuas conſcientias, & ſibi ipſis cõtradicunt, cum teneant vere fidelem, nunquam à iuſtitia excidere, ſi itaque ſecundum eos ſola fides iuſtificet, & hæc nunquam poſſit amitti, fidelis quantumuis peccet, nunquam poteſt damnari: ergo impoſſibile eſt, quod homo moriens iuſtificatus, poſſit ob ſua peccata damnari quia ſi eſt iuſtus, ei non imputantur, ſi non imputantur, iam non eſt reus; hæc enim omnia debent prætenſi reformati iuxta ſua principia concedere.

Statuto enim quod iuſtificatio ſit in non imputandis peccatis, & quod ſemel iuſtus ſit ſemper talis, & iuſtitia ſit inamiſſibilis, non obſtante quocumque peccato, ſi millies peccet, peccata illa ei non imputabuntur, quia ſemper eſt fidelis, ſeu iuſtus; ſed non poteſt percipi, quomodo damnaretur is in quocumque ſtatu moriatur, modo moriatur in eo ſtatu, in quo Deus ei non imputat peccata, nam implicat in terminis, quod Deus peccata non imputet alicui, & ille damnetur, *Peccata enim non imputari, ſecundum eos, eſt eſſe iuſtum*: Iuſtus autem non damnatur: ergo non imputari peccata, & ſimul damnari implicat. In quocumque igitur ſtatu moriatur fidelis reformatus, ſiue actualiter adulterans, ſiue occidens, nullo etiam dato momento ad pænitentiam ſuorum peccatorum, iuxta principia religionis reformatæ nõ damnabitur, quia nulla peccata imputantur ijs, quos Deus texit per iuſtitiam filij ſui, peccata autem non imputata neminem damnant, vnde talis neceſſario debet ſaluari, quia ſecundum ſcripturas, certa ſalus eſt ijs, qui moriuntur in gratia adoptionis, & iuſtificationis, quæ gratiæ ſecundum aduerſarios nunquam amittuntur; adeoque nec Dauid, dum adulterauit, nec Salomon, dum Idololatrauit, nec Petrus, dum negauit Chriſtum, eas amiſerunt, quamobrem, ſi morerentur antequam egerunt pænitentiam, ſaluaren-

rentur, & ſic ſecundum aduerſarios, contra Apoſtolum; adulteri, homicidæ, idolis ſeruientes, periuri, apoſtatæ, fures, &c. etiam qua tales, ſunt filij Dei, & hæredes regni. Hæc eſt infælix Theologia religionis reformatæ, quæ facit homicidas, adulteros, idololatras tam iuſtos coram Deo, quam fuere Apoſtoli, & Prophetæ; hinc patet Deum aduerſariorum, cui tales peccatores placent, non eſſe Deum verum, ſed potius diabolum.

ARTICVLVS IV.

Ex modo, quo prætenſi reformati explicant peccata repugnãtia cum iuſtificatione, ſequitur eos, non obſtante quouis ſuo peccato, eſſe iuſtos, modo non ſint penitus tam mali, aut obſtinati in malis quam Diabolus.

NON quodlibet peccatum eſt incompatibile cum iuſtificatione prætenſorum reformatorum, cum doceant eam poſſe conſiſtere cum adulterio, & homicidio, vt in Dauide, cum idololatria vt in Salomone, cum abnegatione Chriſti, vt in Petro, nam inquit Chamierus. Tomo 3. lib. 6. cap. 22. *Negant Catholici* (Hoc nomine vocat ſuos Sectarios) *Vllo peccato quãtumuis grauiſſimo, quemquam receptum in gratiam à Deo, excidere gratia.* Item actus Synodi Dordracenſis cõmuniter ab omnibus ſectarijs receptæ. *Nihil eſt peccatum contra primam, et ſecũdam tabulam legis diuinæ* (nota bene) *præter peccatum in Spiritum Sanctum, in quod electi cadere non poſſunt.* Sic iuſti reformati poſſunt idololatrare, blaſphemare, furari, adulterare, concupiſcere, ſtuprare, quin peccent contra primam, aut ſecundam tabulam, quare? quia nullum eſt peccatum contra vtramque tabulam, præter peccatum in Spiritum Sanctum, hoc autem excepto, in omnia alia peccata, poſſunt eorum iuſti incidere quin deſinant

ſinant eſſe iuſti,modo non ſit peccatum contraSpiritum Sanctum. Confeſſio autem Anglica art.16.Fatetur non quodlibet peccatum eſſe contra Spiritum Sanctum.

Quærnnt itaque aduerſarij aliquam circumſtantiam, quæ peccatum reddat taliter malum, vt reddatnr incompatibile cum illorum iuſtificatione, adeo vt in illud iuſti religionis reformatæ incidere non poſſint,hæc autem circumſtantia non eſt, quod peccatum ſit integre conſummatum, nam peccata Dauidis,Salomonis, Petri fuere cōſummata,qui tamen iuxta principia reformatorum, ijs non obſtantibus,non ceſſarunt eſſe iuſti,& ſic fideles reformati ſpeciali priuilegio eximuntur ab illo D. Iacobi 1. *Concupiſcentia cum conceperit parit peccatum,peccatum vero cum conſummatum fuerit, generat mortem.* Item hæc circumſtantia quæ redderet peccatum incompatibile, cum iuſtificatione,nō erit crebra eiuſdem repetitio, nam acta Synodi Dordracenſis pag. 288. ex ſententia Theologorum Haſſiæ, dicunt, quod. *Peccatum regnans, ſeu ad mortem*(per huiuſmodi intelligunt illud, quod eſt ſimpliciter incompatibile cum ſtatu iuſti) *non habeat locum in regeneratis, eſto ſæpius committant opera carnis* (nota bene), & Theologi Geneuenſes ibidem adferunt exemplum filij prodigi, qui, inquiunt, fuit ſimul prodigus, & tamen adhuc filius patris inquiens *redibo ad meum patrem; fuit ergo* inquiunt, in iſto vtique diſſoluto ſtatu, *filius patris cæleſtis*. Et confeſſio Anglica, art.9. Dicit infectionem naturæ,ſeu libidinem carnis manere ſemper in regeneratis: ita vt regenerati religionis reformatæ ſine iactura ſuæ iuſtificationis omnia carnis deſideria perficere poſſint, cur? quia vt idem ille articulus ait, iſta libido non eſt ſubiecta legi Dei.

Deinde hæc circumſtantia non facit peccatū. Singulariter malum ex eo præciſe, quod quis ſine pænitentia perſeuerauerit multo tempore in peccatis

tis, nam Dauid iuſtus, & fidelis, ſine iactura ſuę iuſtitiæ, durauit fere vno anno in ſuis peccatis, donec ſcilicet nato ipſi filio fuit reprehēſus à Propheta Nathan, ſic Salomon, vt habent notæ in ſcripturam Gallicam, fuit idololatra duodecim annis, & tamen fuit interim iuſtus, ſiue fidelis hæc enim apud aduerſarios ſunt eadem, nec curant exemplum Petri ſubito reſurgentis, vt aiunt theſes Salmurienſes de perſeuerantia fidei parte poſtre.n.25. *Ad rem*, inquiunt, *Non pertinet, quod Petrus ſtatim, Salomon non niſi poſt aliquo tempore reſipuit, nam ſi aliquantiſper fides perſeuerare potuit cum idololatria, quidni potuerit aliquandiu pariter?*

Vt ergo peccatum ſecundum eos ſit incompatibile cum iuſtificatione requiritur, quod nulla ſequatur pænitentia, & quod tali voluntatis proſtitutione committatur, vt quis non ſentiat remorſum tunc, vel poſt, & peccatum hac circumſtantia veſtitum vocant aduerſarij peccatum regnans, ſeu ad mortem; hinc modo abſit impænitentia finalis, & totalis proſtitutio voluntatis ad malum, committat prætenſus reformatus quæuis peccata quantumuis enormia, erit interim iuſtus, & Sanctus. Vbi obiter nota, ſi ſiſterent in ſuis principijs, nec etiam impænitentiam finalem eis obeſſe, nam ſine vlla pænitentia, ſola fides ſufficit, vt oſtendi quæſt. præced. artic. 5. Sed loquamur etiam hic ad palatum ipſorum. Nullum igitur peccatum priuat reformatos ſua iuſtificatione, niſi peccatum mortis; ſed qui ſibi perſuadent ſe eſſe fideles, ſunt certi non committere peccatum mortis, ſeu coniunctum cum impænitentia finali, & totali voluntatis proſtitutione ad malum, quia ſciunt fideles talia non poſſe committere, ſunt ergo certi quantumuis ruant in enormia quæuis peccata, nullum tamen horum fore peccatum mortis, adeoque nec incompatibile cum eorum iuſtificatione.

Modo ſupradicto explicant peccatum mortis

nota

notæ in biblia Gallica ſuper Ezech.cap.3. Contra Remonſtrantes in collatione Hagienſi pag. 397. Et ibidem pag. 399. Dicunt, licet eorum fideles talia committant peccata, quæ mereantur excommunicationem, non tamen ob eiuſmodi ſcelera excidere ex gratia, & addunt ſi tales excommunicati in impænitentia permaneant, & moriantur, certum eſt, inquiunt, eos nunquam vere fuiſſe fideles, ſed dumtaxat hyppocritas, ſi autem reſipiſcant, habentur pro veris, ſed infirmis fidelibus. Per fidem infirmam, non intelligunt informem, nam hanc infirmam fidem iuſtificare tenent, cum ſola fides iuſtificet, hinc ſola impænitentia facit, vt peccatum ſit incompatibile cum iuſtificatione, cum qua tamen bene ſtat peccatum cum perſeuerantia, & obſtinatione duodecim v. g. annorum perpatratum, vt contigit in idololatria Salomonis, interim ſecundum eos iuſti.

Scit enim eorum Eccleſia vnũ è filijs ſuis incidiſſe in adulterium, iudicat ne ideo eum eſſe hyppocritam? non; quia credit non ſolum hyppocritas incidere in talia crimina, ſed etiam ſuos veros fideles: nam ex Synodo Dordracenſi, regenerati, ſiue iuſti ſæpius committunt opera carnis, & ea in illis nón ſunt peccata, modo abſit finalis impænitentia, vt conſtat exemplo Dauidis, qui tamen ſecundum eos, fuit ſemper iuſtus. Scit eadem Eccleſia ſuos filios perſeuerare in peccatis, putat ne eos amiſiſſe fidem, ſeu iuſtificationem? non: quia non eſt certa, quod tales nón poſſint eſſe de numero, eorum, quorum fides eſt vera, eſto infirma. Videt proximos ex eorum perſeuerantia in malo, ita ſcandalizari, vt eiuſmodi perſeuerantes debeant excommunicari, numquid tamen adhuc ſunt fideles, ſeu iuſti? ita, quia ex euentu iudicabit, nam ſi videat eos reſipiſcere, nec crimen, nec perſeuerantia in illo faciet, quin ſint interim vere fideles, ſeu iuſti, eſto infirmi, ſola enim impænitentia finalis faceret,

ne putarentur tales, quare hæc fides, quæ ſecundum eos, eſt vnita cum omnibus virtutibus Chriſtianis, non eſt incompatibilis cum vllis criminibus, aut obſtinatione in illis, ſi hæc obſtinatio non duret vſque ad mortem.

Hinc iam manifeſte ſequitur, iuſtos Religionis reformatæ, in omnia vitiorum genera, ſe poſſe præcipitare, & in eis obſtinate per aliquod tempus perſeuerare, ſine iactura ſuæ iuſtificationis, modo non perueniat ad impænitentiam finalem; atque adeo, modo ſint paulominus mali, quam Diabolus, ſunt adhuc Sancti; ſi enim ſola impœnitentia facit peccatum incompatibile cum iuſtificatione reformatorum, iam reiteratio peccati, perſeuerantia in illo per aliquod tempus, deniq; multitudo criminum, quantumuis enormium, non tollunt ſtatum iuſti, & vere fidelis. Vnde ſola hæc eſt differentia inter Sanctos Religionis reformatæ, & Diabolum, quod illis peccare liceat quoties, & quantum voluerint, ſine iactura ſuæ iuſtificationis, modo non prætendant vſque ad impænitentiam finalem ſic perſeuerare: Diabolus vero peccauit quidem, ſed, addidit impænitentiam finalem. O infælix reformatio; quæ ſic fideles, & iuſtos ſuos in Dæmones transformat, & Dæmonis cohęredes facit, & filios.

ARTICVLVS V.

Ex dictis huc vſque principijs, & explicationibus aduerſariorum ſequitur, nullam communitatē, Rempublicam, aut Regnum poſſe eſſe tutum à profeſſoribus religionis reformatæ.

EX progreſſu Theologiæ reformatæ, facile colliges quanta ſub velamine Chriſtianæ libertatis immineant mortalium ceruicibus mala, nam

nam contra Remonſtrantes, in collatione Hagienſi fatentur, vere fideles poſſe eo prolabi, vt ſe erroribus, & flagitijs contaminantes, & in ijs perſeuerantes, mereantur ab Eccleſia excommunicari, per errores, & flagitia, intelligunt quæuis crimina, contra primam, & ſecundam tabulam, vt fatentur theſes Salmurienſes habitæ, anno 1664. Tales autem excomunicati, omnibus iſtis ſceleribus onuſti, ſunt interim iuſti, quia ſunt vere fideles, modo in ijs vſque ad impænitentiam finalem non perſeuerent. Idem ſentit Beza in ſuis reſponſis ſuper Sacramentis tertio volumine quæſt. 158. 159. 160. Addit Crocius lib. de perſeuerantia Sanctorū Concluſione 6. Ad crimina pugnantia cum iuſtificatione requiri vt quis deliberato conſilio, & malitioſe ijs ſe deturpet, & ſubiungit, concluſione 7. Quod *Sancti* (ſcilicet Religionis reformatæ,) *Quantumuis non inſtudioſi pietatis multa, & magna carnis imbecillitate laborent, & crebro ſuccumbant, à cupiditatibus carnis ſuæ triſtiter victi.* Quod probat ex inceſtu Lot, ex adulterio Dauidis, ex negatione D. Pètri, qui interim iuxta prætenſæ reformationis principia fuere iuſti.

Tandem concluſione decima dicit, Sanctos (vtique ſuæ ſectæ, talium peccatorum conglomeratione nunquam eo euadere, *Vt vniuerſali apoſtaſia à Deo deficiant, vel hoſtili cum odio proſequantur;* Vult dicere, quod modo Sancti reformati vniuerſali apoſtaſia inſtar Dæmonis â Deo non deficiant, peccent quantum voluerint, ſunt Sancti. Huius priuilegij diploma proferunt ex illo ad Rom. 7, *Non enim quod volo bonum, hoc facio, ſed quod nolo malum, hoc ago.* Ex hoc loco dicit Zanchius tom. 2. miſcell. pag. 488. Electos, multa peccata committere, quæ nolunt, *Volunt,* inquit, *ſecundum carnem, nolunt ſecundum ſpiritum.* Per electos intelligit, Sanctos ſuæ Religionis. Chamierus tom. 3. lib. 11. cap. 5. ait, non pugnare, *Quod fideles fornicentur, modo non dele-*

ſtentur peccato, quod perpetrant. Et ſubiungit electos poſſe peccare, quodque illud primæ Ioan. primo, *Qui natus eſt ex Deo, peccatum non facit,* Intelligi debeat de eo, qui etſi admittat peccatum, non conſentit admiſſo, ac non peccat ex profeſſo. Adduntalij Theologi huius Religionis, Licere ſuis omnia peccata committere, etiam contra conſcientiam, adiunctis tamen quibuſdam modificationibus. Nam Beenfeeld de perſeuerantia Sanctorum, lib. 1. cap. 4. Negat per peccata contra conſcientiam, amitti dona fidei, ſpei, charitatis, aut gratiæ: Damnanus item de perſeuerantia pag. 127. *Quis negat,* inquit, *pÿſſimos quoſque quotidie aduerſus conſcientias ſuas peccare?* Idem habet Feſtus Homius, Piſcator, & alij, confirmant prædicta Theologi Palatinatus in actibus Synodi Dordracenſis par. 2. pag. 271. *In Controuerſiam,* inquiunt, *Non venit, an fideles in ſtatu gratiæ conſtituti, incidere in peccata poſſint, ſiue leuiora, quæ ex infirmitate, à nolentibus, ſiue grauiora, & atrociora, quæ contra conſcientiam à volentibus admittuntur, ſcriptura, conſcientia ſingulorũ, & lugendi Sanctorum lapſus de eo dubitare ſinit neminem.* Vnde hæc propoſitio, *Vere fideles ceſſant eſſe tales, dum peccant contra conſcientiam dedita opera,* Fuit negata a Contra Remonſtrantibus, in collatione Hagienſi.

Hinc euidenter conſtat, quam damnoſa, noxia, & periculoſa ſit regnis, rebus publicis, communitatibus, principibus, & regibus Theologia Religionis reformatæ. Quid enim pernicioſius humanæ ſocietati, quam ſtabilire pro principio, & dogmate religionis, quod veri Chriſtiani ex ſuæ profeſſionis priuilegio, poſſint committere furta, adulteria, homicidia contra conſcientiam, quodque hoc non obſtante poſſint eſſe grati ſuo Deo? modo enim abſit metus patibuli, proſcriptionis, vel carceris a Sanctis Religionis reformatæ, ſine vllo ſcrupulo ſuæ conſcientiæ poſſunt licite, & impune,

pete-

petere regum iugula, principium ceruices, ſi enim eorum bilis, inuidia, vel paſſio illos impellat, quid eos impediat conflare ſicariorum, & perduellium turmas, ac reges, & principes ſuos inuadere, & occidere, proximos deuaſtare, virgines conſtuprare, aliena rapere; nam in promptu habent Theologica ſua Theoremata, ſcilicet ſe feciſſe quidem, *Quod noluerunt malum, ſecundum ſpiritum, licet id voluerunt ſecundũ carnem, à cuius cupiditatibus fuerunt triſtiter victi.* Allegabũt item acta Synodi Dordracenſis. *Quod fideles in ſtatu gratiæ conſtituti, incidere poſſint in grauiora, & atrociora peccata contra conſcientiam.* Iuxta hanc credo Theologiã, perduelles religionis reformatæ agreſſi ſunt Sereniſſimum Magnæ Britanniæ Regem Carolum primum, eumque capite plexerunt, eius ditiones igne, ferroque vaſtarunt.

Vnde ſi fideles religionis reformatæ, non obſtantibus peccatis grauioribus, & atrocioribus ſunt coram Deo ſuo Sancti, & Iuſti iuxta ſuę Theologiæ principia, certe Reges, & Principes eiuſdem Religionis, vel non debent conqueri de vllis flagitijs, criminibus, parricidijs factis à profeſſoribus ſuę Religionis, cum non debeant maiorem ab eis exigere perfectionem, quam exigit eorum Deus, vel ſi timent iugulis, & ceruicibus ſuis, debent hanc religionem à ſe proſcribere, tanquam mortiferam peſtem. Sed mittamus Reges, & Principes, quibus ſecuritatis præſidium, quod non habent à Theologia religionis reformatæ, habent ſaltem à ſatellitijs, & arcibus ſuis; & videamus quid tutum, vel ſaluum in communitatibus inermibus, in ædibus priuatis, ſi enim Deus religionis iſtius nõ habet diſplicentiam de latrocinijs, adulterijs, homicidijs, & alijs atrociorioribus ſceleribus fidelium Relgionis reformatæ, quin ijs non obſtantibus, illos habeat pro iuſtis, & ſanctis, modo non ſint in iſtis malis, tam obſtinati, quam Diabolus, & in ijs non perſe-

uerent vſque ad impœnitentiam finalem, ita nec confratres eorum debent de his diſplicentiam concipere; licet enim ſancti reformati furentur, adulterent; occidant ſubinde per iram, paſſionem, vel concupiſcentiam, hæc tamen in ipſis, modo abſit impœnitentia finalis, *& vniuerſali apoſtaſia*, inſtar Dæmonis, *à Deo non deficiant*, non ſunt peccata, quia ſcilicet, ſecundum eorum Theologiam, hęc non faciuut toto corde, toto animo, plane, & plene deliberato conſilio, pleno voluntatis impetu, vt ait Riuetus Grotianæ diſcuſs. ſect. 15.

Filÿ enim (ſcilicet religionis reformatæ,) inquit Rippettus Sixti, in reſponſo neceſſario pag. 452. *Aliquando in æque horrenda, & magna peccata.* (intellige idololatriam, blaſphemiam, adulteria, &c.) *atque impÿ, & irregeniti homines incidunt.* Sic iuſti reformati poſſunt ſine ſcrupulo vim inferre virginibus, honeſtis fæminis, & vxoribus proximorum, ac maritos occidere, concupiſcere eorum bona, agros, boues, domos incendere, ſi ira vel concupiſcentia ſic dictet; quare? quia modo abſit impœnitentia, & obſtinatio penitus diabolica, hæc in iſtis ſanctis non ſunt peccata; ſi ergo de ſanctis, & iuſtis hominibus nullus Chriſtianus expoſtulare debet, profeſſores religionis reformatæ de ſanctis ſuis latronibus, homicidis, adulteris, de tyrannide v. g. vnius nefandiſſimi Cromuelli conqueri non debent, quod ſi de huiuſmodi conqueruntur, damnent religionem, quæ talem ſanctitatem docet. Certè ſi talis eſſet Theologia primitiuæ Eccleſiæ, nunquam Chriſtiana religio tam amplos faceret progreſſus. hæc ſunt execranda theoremata, quæ latent ſub inuolucro Theologiæ reformatæ, per quam ſine ſcrupulo conſcientiæ rapere, occidere, & omnia patrare mala licet, vt nihil iam tutum in regnis, communitatibus, ædibus priuatis remaneat, ſi reguletur præciſe conſcientia per principia iſtius religionis, & abſint patibula, carceres, tri-

re-

remes, lictores, & carnifices, quibus terreantur ſancti prætenſæ reformationis, quamquam alias tuta conſcientia, ſupradicta patrarent, quia iſta omnia ſecundum eorum Theologiam licent.

ARTICVLVS V.

Ex principijs hactenus dictis naſcitur irreſolubilis nodus, quo prætenſi reformati coguntur fateri, ſe per ſuam fidem iuſtificantem, eſſe & non eſſe iuſtificatos, ac omni tandem iuſtificatione, & ſalute deſtitui.

VT aduerſarij in ſua regula credendi ſe reduxerunt ad impoſſibile, ſic etiam nunc in ſuo iuſtificandi modo in circuitu ambulant, vt exitum è ſuis contradictionibus inuenire nequeant, & ſuis inſiſtentes principijs fateri tandem debeant, ſe omni prorſus iuſtificatione, & ſalute carere. Conſtat itaque ex dictis, eſſe commune dogma religionis reformatæ, neminem iuſtificari, niſi per ſolam fidem, quam habet, quod ſua peccata ſint ei remiſſa, quam vocant fidem miſericordiæ ſpecialis, ſeu ob meritum Chriſti, & eius iuſtitiam imputatam. tandem totam vim iuſtificationis conſiſtere in ſola fide, eſt receptiſſimum aduerſariorum principium, vt patet ex dictis quæſt.1. art.1. hinc iſta ſunt ſynonima in Theologia religionis reformatæ, vt teſtatur Lutherus tom. 1. ſuorum operum. Melanchton in locis Theologicis. Caluinus in Antidoto Concilij. Kemnit. in examine eiuſdem, ſcilicet. *Sum iuſtificatus, quia credo me eſſe iuſtificatum, mea peccata ſunt mihi remiſſa, quia credo ea mihi eſſe remiſſa, iuſtitia Chriſti mihi imputata me iuſtificat, quia credo iuſtitiam Chriſti mihi imputari.* Et id manifeſtè ſequitur ex modo, quo in ſuis Confeſſionibus, & Libris iuſtificationem explicant.

Hic autem obiter aduerte, lumine naturæ no-

tum eſſe, quod omnis cauſa debeat præcedere ſuum effectum, ſi enim cauſa non exiſtit, non poteſt cauſare, neque effectus poteſt produci, niſi á cauſa exiſtente: ſimiliter notum eſt, quod ſicut actus pendet à ſuis cauſis nempe ab obiecto, & potentia; actus præſertim ſpeculatiuus, qualis eſt actus fidei iuſtificantis apprehendentis, & ſpeculantis miſericordiam Dei & merita Chriſti iuxta principia aduerſariorum; ita pariter præſupponit obiectum, & potentiam, nam ex eo quod res eſt, vel non eſt propoſitio eſt vera, vel falſa; hinc vt actus iſte ſit verus, *paries eſt albus*, debet abſque dubio albedo ineſſe parieti, antecedenter ad ipſum actum, alias actus eſſet falſus, diceret enim aliquid eſſe in pariete, quod non eſt; his poſitis oſtendo áduerſarios implicari circulo contradictorio in ſua fide iuſtificante.

Nam hæc fides debet eſſe prior, & poſterior remiſſione peccatorum, prior quia per illam dicunt prætenſi reformati ſe iuſtificari, poſterior, quia obiectum eiuſdem fidei eſt ipſa remiſſio peccatorũ, ſeu iuſtificatio; vt ſic probo, actus fidei iuſtificantis debet præcedere iuſtificationem, ſeu remiſſionem peccatorum; ſed ille actus, quo quis credit ſibi remiſſa eſſe peccata, & ſe iuſtificatum eſſe, non præcedit iuſtificationem, & remiſſionem peccatorum: ergo non eſt actus fidei iuſtificantis. Maior eſt euidens, nam omnis cauſa debet eſſe prior ſuo effectu, vt dictum eſt ſupra; ſed fides eſt cauſa iuſtificationis, vt vnanimi voce fatentur aduerſarij, & conſtat expreſſe ex Confeſſione Gallica, Anglica, Auguſtana: ergo fides iuſtificans eſt prior ipſa iuſtificatione, ſicut cauſa eſt prior effectu. Minor principalis probatur; nempe fidem iuſtificantem ſeu actum illum, quo quis credit ſe iuſtificari, non eſſe priorem ipſa iuſtificatione, ſed potius poſteriorem, probatur inquam, nam cum hæc fides habeat, pro obiecto remiſſionem peccatorum, cuiuſque

fide-

fidelis in particulari, oportet vt illa eadem fides præſupponat hanc remiſſionem peccatorum, tanquam iam obtentam à Deo, quandoquidem omnis vera fides præſupponat neceſſario ſuum obiectum alias mea fides eſſet falſa, ſi ego crederem, mea peccata eſſe remiſſa, priuſquam mihi forent remiſſa, nam dum ita crederem, non eſſent mihi remiſſa, ſed per illum ipſum actum remittenda.

Vel enim remiſſio peccatorum, ſeu iuſtificatio eſt obiectum iſtius fidei, vel non? Si non, ergo iſta remiſſio ſeu iuſtificatio non apprehenditur, nec creditur per illam fidem: ergo iam debent negare contra ſua principia, & expreſſas confeſſiones, Catechiſmos, & acta Synodi Dordracenſis quæſt. 1. art. 1 citata, ſe iuſtificari vllo modo per ſolam fidem: ſi autem prædicta remiſſio, ſeu iuſtificatio eſt obiectum præfatæ fidei iuſtificantis, tunc ſic, vel prætenſi reformati iuſtificantur priuſquam credant ſe iuſtificari ſeu ſibi remitti peccata, vel non? Si iuſtificantur priuſquam credant, ergo iterum contra ſua principia, ſola fides nullo modo conducit ad iuſtificationem, & ſic ſunt prius iuſti, quam ſint fideles, ergo poteſt reformatus eſſe iuſtus, & ſanctus prius, quam credat, vel habeat vllam prorſus fidem; ergo male dicunt aduerſarij, quod eſſe vere fidelem, & eſſe iuſtum ſint ſynonima: ſi vero credunt ſe iuſtificari, antequam iuſtificentur, vel remittantur eis peccata; ergo iam credunt manifeſte falſum, vt probo, nam credere id eſſe, quod nō eſt, eſt credere falſum, ſed aduerſarij credunt prius ſe iuſtos, ſeu ſibi remitti peccata, quam reuera remittantur; ergo credunt manifeſte falſum ſicut falſum credit, qui putat parietem eſſe album antequam ſit albus.

Vt euaderent hanc labyrinthum aduerſarij, duobus modis forte reſpondere poſſent, primus modus eſſet ſuccumbere priori dilemmati, & mutare obiectum fidei iuſtificantis, negando quod proprium

prium eius obiectum ſit remiſſio peccatorum cuiuſlibet fidelis in particulari, ſed quod ſit promiſſio generalis Dei facta peccatoribus vere pænitentibus de condonandis eis ſuis peccatis; ſecundus modus eſſet ſucumbere poſteriori dilemmati, & negare remiſſionem peccatorum eſſe effectum fidei iuſtificantis, prætendendo, quod Deus ea remittat ante ipſam fidem, & quod in iſto modo appareat magis, quod Deus illa gratuito remittat. Sed contra, ſi vel vnam, vel alteram reſponſionem defendant, iſto euitent circulum, tamen hoc ipſo renuntiant ſuis principijs & religioni fundatæ ſuper duo illa axiomata in circulo relata, ſcilicet, quod non niſi per fidem remittantur peccata, vt habent eorum confeſſiones ſupra citatæ, & quod fides per quam remittuntur peccata, habeat pro obiecto miſericordiam ſpecialem quæ complectitur remiſſionē peccatorum cuiuslibet in particulari, ac tandem negare debent ſolam fidem iuſtificare, aut quidquam ad iuſtificationem conducere, quod ſi nolunt ſiſtere in dictis reſponſionibus, debent ad ſuum circulum redire, & ibi ſine exitu gyrare, ac fateri ſuam fidem eſſe ſimul priorem, & poſteriorem remiſſione peccatorum.

Reſpondet Chamierus tom. 3. lib. 13. cap. 6. fidem iuſtificantem ſi non tempore, ſaltem ratione ſequi iuſtificationem, & infra negat fidem eſſe cauſam iuſtificationis, contra 1. redit inſtantia ſuperius facta, nam ſic adultus poſſet eſſe iuſtus, ſanctus, antequam crederet vel Deo, vel Chriſto, vel vlli myſterio reuelato, adeoque vt iuſtificentur prætenſi reformati ne quidem credere tenentur, & ſic nondum chriſtianus eſſet ſanctus, & iuſtus, contra illud ad Heb. 11. *Sine fide impoſſibile eſt placere Deo, credere enim oportet accedentem ad Deum quia eſt, & inquirentibus ſe remunerator ſit.* Cōtra 2. hic author deberet à prætenſis reformatis haberi pro apoſtata & hæretico, qui negat principium tam vniuerſaliter

ter receptum in ſua religione, quale eſt ſolam fidem iuſtificare, quod ſi dicat fidem effici in iuſtificato, & ſic eam dici iuſtificantem, contra 1. ergo prius eſt iuſtus, quam fidelis, ergo male dicunt reformati in ſuis confeſſionibus, & Catechiſmis, ſolam fidem iuſtificare, ergo tandem eſto nullam habeant fidem & nunquam credant, poſſunt eſſe iuſti: contra 2. nam virtutes chriſtianæ ſecundum nonnullos aduerſarios, efficiuntur in iuſtificatis nec tamen ſecundum eos, iuſtificant; ergo tandem corruit ſola fides iuſtificans toties prædicata ab aduerſarijs, ergo item corruit, & ſuperfluit fides apprehendens iuſtitiam Chriſti imputatam. alij putant euadere, reſpondendo illum actum fidei, & ipſam remiſſionem eſſe ſimul, ita vt eodem inſtanti remittantur peccata, quo quis credit ea ſibi remitti. contra ſi hi loquantur non de inſtanti temporis, ſed de ordine cauſalitatis, ſeu naturæ iuxta hunc ordinem actus ille credendi, & remiſſio peccati, non poſſunt eſſe ſimul; imo vt initio dixi, ille actus erit ſimul prior, & poſterior remiſſione peccatorum, nam ex vna parte quandoquidem dicat quis per fidem iſtam, ſe iuſtificari, & ſibi remitti peccata, oportet vt fides iſta præcedat remiſſionem peccatorum, ſicut cauſa præcedit ſuum effectum; & ex alia parte, cum hæc fides habeat pro obiecto remiſſionem peccatorum cuiuſque fidelis in particulari, oportet vt illa eadem fides præſupponat hanc remiſſionem peccatorum tanquam ſuum obiectum, à quo pendet, ſi enim non præcederet iſta remiſsio, iam fides eſſet falſa, quia crederet remiſsionem eſſe antequam eſſet.

Vnde aduerſarij debent neceſſario concedere hunc circulum, ex duobus his contradictorijs conflatum, nempe remiſsionem peccatorum factam eſſe prius natura, quam credant factam eſſe, alias iudicium fidei non præſupponeret veritatem obiecti, & ſic eſſet falſum; aliunde vero remiſſionem non

eſſe factam, prius natura quam credant factam eſſe, quia per illum ipſum actum credendi tanquam per cauſam fieri debet, & ſic actus debet præcedere velut cauſa, ſi enim remiſsio, quæ fit per actum, præcederet, iam præpoſtero, & inaudito ordine, effectus præcederet cauſam, hinc aduerſarij ex ſuis principijs fateantur neceſſe eſt, nullam fidem, ſalutem, aut iuſtificationem eis ſupereſſe, nam ſi iuſtificatio pendet à fide vt à cauſa, prius credunt ſe iuſtificari, quam reuera iuſtificentur, & ſic falſo credunt, dum faciunt dependere exiſtentiam rerum à ſua fide, tanquam obiectum ab actu, non vero fidem ab exiſtentia rerum, nam ſecundum eos, ideo ſunt iuſti, quia ipſi ſic credunt, non è contra, & ſic iſta fides relinquit eos ſine iuſtificatione: rurſus, ſi fides pendet à iuſtificatione tanquam ab obiecto, ergo iam ſunt prius iuſti, quam fideles, & ſic iſta iuſtificatio relinquit eos ſine fide. En, in quam deſperationis vertiginem ducit prætenſos reformatos ſola fides, vt eos faciat carere omni fide, ſalute, & iuſtificatione.

DI-

DISTINCTIO III.

Reformatæ Religionis in Atheiſmum apoplexia.

CVmplures atheiſmos in Hæreticorum ſcriptis notant authores Catholici, & multos Collegit Antonius Poſſeuinus. Lutherus vnus è patriarchis reformatorum ait tomo 1. Germ. fol. 273. Si quis cogitet de Chriſto iudice petente rationem Villicationis, non Chriſtum, ſed ipſum Diabolum credendum eſſe. Caluinus in ſuis inſtitutionibus rationes D. Pauli, & ſcholaſticorum, probantes à poſteriori numinis exiſtentiam ſpeculationes frigidas, & inanes appellat. Sentit igitur frigide de Dei exiſtentia Caluinus, multos alios illius Atheiſmos, & blaſphemias numerat, & refutat noſter Feuardentius in ſua Theomachia, & Godefredus à Valle in atheiſtico ſuo libro, inter cætera omnia falſa, hoc vnum verum dixit, oportere prius Caluiniſtam fieri, qui Atheus eſſe volet, pulchra laus Religionis reformatæ. V vhitghiftus in ſua defenſione pag. 268. *Eccleſia noſtra plena eſt Atheiſtis.* Loquitur de proteſtantibus Anglis, ſed vt ſcripta mittamus, heterodoxi ſi non lingua, certe moribus ſe atheiſtas oſtendunt, & quidem prætenſæ reformationis principia id clare euincunt, ſub quorum inuolucris Atheiſmi venenum deliteſcere, ex ſequentibus conſtabit.

QVÆSTIO I.

Quid Religio reformata de Chriſto, de Deo, de latria ipſi debita ſentiat?

AR-

ARTICVLVS I.

Prætenſi reformati iuxta ſuæ reformationis principia, omnem omnino Religionem abiurare poſſunt quin deſinant eſſe reformati, & iuſti.

VT hoc probem, ſupono omnes ſectas ædificare ſua dogmata ſuper fundamentum aliquod, quod ſingulæ putant, vel dicunt eſſe certum; Chriſtiani omnes habent Sacram Scripturam, iuxta hanc, vel illam verſionem; Mahometani Alcoranum, Iudæi vetus teſtamentum, & Rabbinos; apud prætenſos vero reformatos de verbo Dei non conſtat quod ſit Verbum Dei, vt probaui diſtin.1. quæ 1. per totam;an enim ſcriptura ſit à Deo reuelata, ex principijs eorum non eſt myſterium fidei, nec de hoc puncto, iuxta eadem principia habent maiorem certitudinem, quam an extet Carthago cum omne medium excludant infallibilis certitudinis,quo conſtet ſcripturā eſſe diuinam,nā reſpuunt traditiones, Eccleſiæ infallibilitatem,conciliorum authoritatem, cum itaque ipſis certo, & infallibiliter non conſtet ſcripturam eſſe à Deo dictatam, nullam ſimiliter certitudinem habebunt de quocumque in ſcriptura contento, & ſic cum careant vera fide circa hæc myſteria, carent etiam vera religione: ſed propius ad rem, dicunt aduerſarij ſe eſſe certos de canone ſcripturæ; ſiue moralis ſit illa certitudo, ſiue phyſica, modo non curo, diuinam non eſſe ex dictis quæſt. citata conſtat, & modos omnes in quibus eam fundarent ſiue in ipſa ſcriptura, ſiue in ratione naturali, ſiue in euidentia intellectus, vel ſenſus, ſiue in ſpiritu priuato, ibidem refutaui. nunc autem ſic pergo,ipſa ſcriptura indiget aliqua interpretatione, vt neceſſe habent fateri aduerſarij, apud quos tot inueniuntur ſcripturę commentarij, petam autem hic ab illis, quid pluris,

ris habet in exponendo ſacro codice Luth. vel Calu. quam habuerit Auguſtinus, vel Hieronymus? Si dicant aduerſarij, præfatos ſuos duces ita fuiſſe infallibiles, vt in rebus fidei non errarent, nihil eſſet inſolentius dictu, cum infallibilitatem negent concilijs, & toti Eccleſiæ Dei. ergo nemo ſanæ mentis plus concedet in hoc genere vlli prætenſo reformato, quam Auguſtino, Ambroſio, Hieronymo; nec citra dementiam plus petere, vel arrogare ſibi poſſunt, ſed ego in conſcientia non obligor vt expoſitiones S. Auguſtini ſuper pſalmos v.g. tanquam articulos fidei diuinæ ex integro recipiam, imo illas vt articulos religionis recipere non poſſum, cum Eccleſiæ tantum definitiones hanc prærogatiuam ſibi vindicent; ergo idem eſt de expoſitionibus Lutheri, Caluini, & cuiuſuis alterius prætenſi reformati.

Hinc ſicut aliter, & aliter hic, & iſte Paulum v.g. exponit, ſic variant, mutantque expoſitiones ſuas aduerſarij, nec ſolum expoſitiones, ſed etiam religiones, & doctrinas religionum, vt quotidiana experientia conſtat, & ne longius abeam in confeſſione Auguſtana duodecies mutata, in confeſsione Anglica, & Scotica non raro variata: quamobrem quicumque indifferens ſic diſcurreret, Caluinus, Lutherus, & quilibet alius prætenſus reformatus homines fallibiles ſunt, quibus proinde infallibilitas, quam toti negat Eccleſiæ religio reformata, concedi non poteſt; & licet videatur alicui reformato expoſitionem Caluini v. g. eſſe magis congruam. non poteſt tamen certo ſcire, an exemplar illud quod expoſuit, ſit legitimum, deinde cur potius illi credendum, quam Luthero? cur Luthero potius quam Ambroſio, vel Auguſtino.

Si recurrat ad ſynagogæ ſuæ authoritatem, hæc eſt congregatio hominum fallibilium, vt ex principijs ſuis fateri debent aduerſarij: vnde enim conſtat expoſitionē iſtius ſectæ eſſe veram? an per exa-

men ſcripturæ, & dogmatum? ſed hoc examen eſt impoſſibile, & incertitudinis plenum, iuxta viam reformatæ religionis, vt oſtendi diſt. præced. quæſt. 1. art. 1. cum oporteret videre prima originalia, conferre textus; legere totam ſcripturam examinare omnes expoſitiones &c. cuius ergo ſenſus hic audiendus? cur Caluini potius, quam Nicolai de Lyra? quare hæc ſcriptura litteraliter ſumenda, illa alia tropice, vel allegorice? num quia ſecta ipſius ita ſentit, quæ non erat? ſed aduerſarij vertunt in ſe molimina ſua: numquid enim infallibilitatem negant omnibus omnino hominibus, ex quibus ſequitur nihil eſſe quo vllus prætenſus reformatus teneatur ſequi ſuam Religionem, ſi enim producat ſcripturam, non habet ex ſuis principijs vllum infallibile teſtimonium, eam eſſe à Deo dictatam, ſi eandem velit exponere, hæc expoſitio iuxta eadem principia, erit eſſentialiter, & neceſſario fallibilis.

Si citat patres, & illi, & ipſe ob eandem rationem ſunt fallibiles; ſi producat conciliorum definitiones, hæc ſimiliter ſecundum ipſum ſunt fallibiles: ſi dicat ſe eſſe certum, quod eius ſecta bene exponat ſcripturam, hæc certitudo huc tandem reſoluitur, ſic mihi videtur, ſic mihi dictat meus fallibilis conceptus, vnde fallibilem ſententiam poteſt quis libere, vel amplecti, vel dimittere, & ſic item liberum erit prætenſis reformatis fallibilem ſuam Religionem, vel abnuere, vel retinere, quin patiantur iacturam ſuæ iuſtificationis; quod enim de Lutheraniſmo tranſeant ad Caluiniſmum, quod ſæpius varient ſuas opiniones de Religione quod confeſſiones eorum v.g. Auguſtana duodecies mutetur, quod Anglica, & Scotica ſæpius reformetur, quod vno anno habeant hanc liturgiam, altero aliam ſecundum eorum principia, non præiudicat illorum ſanctitati, vel iuſtificationi, quæ in ſola fide conſiſtit alioquin miſere actum eſſet

cum

cum reformatis, ſi quoties mutant, mutilant ſua dogmata, eſſent interim in ſua opinione periuri apoſtatæ, perfidi hæretici, ſacrilegi ſuæ religionis tranſgreſſores.

Quare, non video cur ex ſingulari priuilegio non poſſint prætenſi reformati omnem prorſus religionem ſpernere, vel negligere, cum ſecundum eos, omnis religio, ſit fallibilis, atque adeo fallibilis eorum religio reſoluitur in carentiam cuiuſuis religionis, & inde in atheiſmum, vt patet, nam eodem modo procedunt in rebus religionis, ſicut catholici in ſuis ſcholis nempe per examen rerum, vel doctrinarum, ſed illud examen ſubijcitur iudicio fallibili; vnde ſicut in ſcholis variantur ſententiæ, ſic in religione reformata, quot capita, tot ſententiæ, quamobrem pro religione meram habent opinionem, & conſequenter, nullam religionem, vt hoc dilemmate oſtendo, vel enim prætenſi reformati aliquod infallibile fundamentum præter ſcripturam, ponunt, vel non? Si non; ſcholas tantum quoad expoſitiones ſcripturæ imitantur, & ſectas faciunt, ſed nullam religionem vnde ſicut apud catholicos, opiniones ſcolaſticę non ſunt definitiones fidei, ſic diuerſæ reformatorum religiones in gloſſis, & conſequentijs fallibilibus fundatæ, erunt meræ opiniones ab omni fide diuina remotiſſimæ: ſi ponunt fundamentum infallibile iam ſuo ſe iugulant gladio, negantes Eccleſiæ, & conciliorum infallibilitatem: quapropter nihil ipſis ſupereſt, quo veritatem doctrinæ diuinæ ſibi certo perſuadeant, adeoque nec latum vnguem diſtant ab atheiſmo, idque probat eorum inſtabilitas, vt bene notauit Vincentius Lirinenſis in ſuo commonitorio cap.25. *Et perire metuunt, & redire erubeſcunt, ſaucij, ſemineces, ſemiuiui, quippe qui tantam veneni hauſerint quantitatem, quæ nec occidat, nec digeratur, nec mori cogat, nec viuere ſinat; quantis illi curarum æſtibus exagitantur, incerti, quo eant, qua*

redeant, quid appetant, quid fugiant, quid temeant, quid dimittant.

ARTICVLVS II.

Structura religionis reformatæ fundatur in hac horrenda blaſphemia ſcilicet Chriſtum eſſe falſum Prophetam.

HOrrebunt credo aduerſarij ad huiuſmodi paradoxum, ſed horreant potius principia ſua, ex quibus euidenter id ſequitur: communis itaque eorum vox eſt, viſibilem Chriſti Eccleſiam defeciſſe & erraſſe; ita indiſcriminatim de omnibus Eccleſijs, ſcilicet Alexandrina, Antiochena, & Romana, aſſerit confeſſio Anglica art. 19. & art. 20. dicit concilia generalia gubernata à Spiritu Sancto, & Verbo Dei errare poſſe, nec definitiones eorum ſimpliciter obligare: en Atheiſticam ſententiam, ſi concilia gubernata à Spiritu Sancto, poſſunt errare, quid aliud eſt hoc, niſi quod Spiritus ipſe dirigens, & gubernans in errorē inducat? quod ſi ſic, quidni id ipſum ſentiendum de prophetis, & ſcriptoribus ſacri canonis, nempe non obſtante directione huius Spiritus, potuiſſe errare, & erraſſe, & ſic licebit dubitare de tota ſcriptura, an ſit vera. In hanc porro blaſphemiā de Eccleſiæ defectibilitate, & errore conſpirat confeſſio Gallica art. 28. Lutherus de lib. arbitrio, & in ſua captiuitate cap. de bap. Caluinus in præfatione inſtit. Vitakerus contra Dur. pag. 274. dicens, totam Eccleſiam viſibilem perijſſe. Perkinus in ſymbolū, Napier in Apocalypſim, & ne plures repetam ſic communiter clamant, & inculcant omnes prætenſi reformati. hunc ego errorem non decreui hic confutare, cum id agam in 2. parte, ſcire tantum oportet hunc ipſum errorem eſſe baſim, & fundamentum vnicum religionis reformatæ.

Nemo autem negare debet, quin ſequentes tex-

tus

tus intelligantur de vera Chriſti Eccleſia,& eius ſtabilitate, nempe illud Matth.16. *Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduerſus eam.* & Math.28. *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus, vſque ad conſummationem ſæculi* Ioann. 14. *Rogabo patrem, & alium paraclitum dabit vobis, vt maneat vobiſcum in æternũ* 1.ad Tim. 3. *vt ſcias quomodo oporteat te in domo Dei conuerſari, quæ eſt Eccloſia Dei viui, columna, & firmamentum veritatis*. Quod autem Chriſtus loquatur de Eccleſia viſibili,innuit ipſemet Matth. 18. *Dic eccleſiæ, ſi eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut ethnicus, & publicanus.* Alloquebatur enim Eccleſiam, quæ ſuo tempore fuit; ſed illa fuit viſibilis, atque adeo Eccleſiæ viſibili promittit illam indefectibilem ſtabilitatem.

Vt autem iuſtificetur apoſtaſia, & ſchiſma religionis reformatæ deberent neceſſario hæ omnes promiſſiones,& prophetiæ eſſe falſæ,vt enim prætēſi reformati excuſentur à ſacrilego ſchiſmate,& hęreſi deberet eſſe verum quod tota viſibilis Chriſti eccleſia defecerit, & errauerit in fide; ſi enim non errauit, quomodo ipſi excuſarentur ab hæreſi,& apoſtaſia? quod ſi ergo verum eſſet, eam erraſſe,iam falſum erit portas inferi non pręualuiſſe aduerſus eam, quod ſi hoc falſum erit, ipſa prophetia, & promiſſio falſa erunt, & ſic ſimiliter falſus propheta erit ipſe Chriſtus,en blaſphemiam.

Eam tamen ex impio religionis reformatæ gurguſtio prodire, ſic probo, quicumque iuxta ſua principia credit, & aſſerit non id eueniſſe de facto, quod Chriſtus Dominus abſolute, & diſerte promiſit, ac prædixit, ſed plane contrarium, & oppoſitum contigiſſe,ille Chriſtum Dominum, verum eſſe prophetam, fidelemque promiſſorem negat; ſed prætenſi reformati credunt, & aſſerunt iuxta ſua principia, non id de facto eueniſſe quod Chriſtus abſolute promiſerat; ergo prætenſi reformati

negant Chriſtum eſſe verum Prophetam, aut fidelem promiſſorem. maior non indiget probatione, qui enim prædiceret abſolute aliquid futurum, quod tamen non foret, eſſet falſus Propheta, & qui diſerte, & abſolute promitteret, quod tamen non compleret, eſſet deceptor, & impoſtor; minor probatur, Chriſtus abſolute, & diſerte promiſit Eccleſiam nunquam erraturam, aut defecturam: ſed prætenſi reformati vnanimi voce, dicunt eam erraſſe, & defeciſſe; ergo ſi errauit, & defecit, Chriſtus prædicens, & promittens eam non erraturam, aut defecturam, iuxta poſitionem religionis reformatæ erit falſus Propheta, & impoſtor: ergo non plus tribuendum Chriſto, ſecundum reformatos, quam Mahometo. patet hoc vlterius, ſi enim duo contradictoria non poſſunt eſſe ſimul vera, ſi verum eſt in principijs religionis reformatæ viſibilem Eccleſiam erraſſe, ac defeciſſe, imo hæc ſententia ſit vnica eius baſis, falſum erit Eccleſiam eſſe firmamentum veritatis, portas inferi non præualuiſſe aduerſus eam, Chriſtum mãſiſſe cum illa omnibus diebus; ergo ipſe Chriſtus iuxta eadem principia, erit falſus Propheta.

Quod ſi velint eludere præfatos textus dicendo non intelligi de infallibilitate eccleſiæ contra 1. ſic eludere poſſunt omnes veritates Euangelij. contra 2. ſic dant aditum Iudæis, Arianis, Manichæis, qui licet admittant ſcripturas expreſſas, omnes tamen textus allatos pro Chriſto, & eius diuinitate tropice exponunt, vt veritatem eludant, & euadant; ſic Iudæi eludũt per ſuas expoſitiones textus illos. *Non auferetur ſceptrum de Iuda. Ecce Virgo concipiet, & pariet filium*. Sic Ariani *illud, ego, & pater vnum ſumus*, eludunt, ſi rurſus eandem blaſphemiam volent palliare, allegando pro ſe quod ſic dixerint Lutherus, Caluinus, Beza. contra ſic etiam blaſphemias ſuas excuſabunt Iudæi, quia ſcilicet, ſic dixere Rabbini, idem aſſerent Mahometani, denique

que vt ſubſiſtat prætenſa reformatio, debet cadere cauſa ſua Chriſtus, & haberi pro falſo Propheta, quod ſcilicet promiſerit aliquid abſolute futurum, cuius oppoſitum iuxta religionis reformatæ principia contigit; ſic infælix iſta religio, vt palliet ſuam apoſtaſiam, ſub ſpecioſo prætextu, impingit mendacium Chriſto.

ARTICVLVS III.

Religio reformata Alcoranum Euangelio, Mahometum Chriſto coæquat.

ID manifeſtè patebit ex comparatione Alcorani, & religionis reformatæ cum Euangelio; prætenſi autem reformati dicunt ſuam doctrinam eſſe ipſum verbum Dei, imò purum putum Euangelium vnde ſe vocant Euangelicos: tunc ſic Euangelium Chriſti, ſeù chriſtiana religio habuit prædicatores virtutibus, morum, & vitæ Sanctitate admirabiles; author Alcorani fuit ſpurciſſimus, ſceleratiſſimus, & mendaciſſimus: primi autem prædicatores Euangelij reformati fuere Apoſtatæ excucullati, & fædifragi Monachi luxui, & libidini deditì, dolis, impoſturis, mendacijs, & contradictionibus, imò ſpurcitijs refertiſſimi, vt eorum ſcripta clamant, ab auſteritate vitæ, continentia, caſtitate alieniſſimi. Euangelica Chriſti doctrina eſt confirmata continuis miraculis, prodigijs ac ſignis diuinitus factis, vt ſunt reſuſcitatio mortuorum, illuminatio cæcorum.

Lex Mahometi nulla habet ſigna, quare ipſemet fatetur miracula ſibi non eſſe data, ſed in armorum potentia veniſſe: propagatio verò Euangelij reformati nulla edidit miracula, niſi quod pronæ ad illicita carni amplã ſtrauerit viã, & omnes laxauerit habenas, vnde breui ſpatio tantam è monaſterijs, clauſtris, & clero Apoſtatarum conflauit

 tur-

turmam, & nouo ſtratagemate omnia prorſus miracula negat, & negauit; Alcorani autem more propagatum fuiſſe nouum iſtud Euangelium, teſtantur tot cædes, funera, bonorum direptiones, rapinæ, rebelliones, ſacrorum violationes, per Galliam, Hollandiam, Germaniam, Angliam, Scotiam &c. perpetrata.

Lex Chriſti habet mandata, & præcepta totius honeſtatis, ſplendoribus virtutum plena, inducit ad dilectionem Dei, & proximi: lex Mahometi turpia præcipit, & permittit, vt multitudinem concubinarum, plenam carnis licentiam, totam beatitudinem ſuam collocari in corporis voluptatibus, tum in hac, tum in altera vita, vt ex fabulis, & impoſturis Alcorani conſtat: principia vero Euangelij reformati genuine fatentur carnis concupiſcentiam non eſſe ſubiectam legi Dei, fatentur ſanctos ſuos poſſe carnalibus illecebris indulgere, & incidere in æque horrenda peccata, ac irregeniti, modo in iſtis paſſionibus non ſint tam obſtinati, aut tam penitus mali, quam diabolus, vt vidimus diſt. præced. quæſt. 1. adeo vt, quoad vitæ licentiàm, ſi prætenſi reformati voluerint viuere ſecundum ſua principia, eorum reformatio non multum diſtet à turciſmo, vel paganiſmo: lex Chriſti ſuadet conſilia perfectionis obedientiæ, paupertatis, caſtitatis, ſuadet Chriſti veſtigia ſequenda, Matth. 19. & ſæpius alibi in Euangelio. Alcoranum nihil horum ſuadet, ſed potius ad libidinem, & delitias prouocat: Euangelium vero reformatum damnat vota monaſtica, perfectionem Euangelicam Chriſti, & Apoſtolorum exempla; vnde manifeſte ſequitur, religionem reformatam, ſuum Euangelium transformaſſe in Alcoranum, & profiteri potius turciſmum quam chriſtianiſmum.

Sed non ſubſiſtunt hic religionis reformatæ principia, quin Mahometum cum Chriſto legislatore in eadem ſede collocent. Mahometus ergo in

ſuo

ſuo Alcorano totam vim iuſtificationis ponit in his verbis. *Non eſt Deus præter Deum.* Vnde ait huius veritatis confeſſionem eſſe vnicum ſalutis medium: quare nullam à ſuis peccati deteſtationem requirit, nullum propoſitum melioris vitæ, nullum rerum ablatarum reſtitutionem, aut iniuriæ compenſationem, ſola enim ſecundum ipſum ſufficit confeſſio prædictæ veritatis: quis autem non videt, quam iniuſta ſit iſta lex quæ omnia proximorum damna ait compenſari per iſtam confeſſionem ſolam: ſed principia religionis reformatæ pro præcipuo ſuo fundamento ſtabiliunt, ſolam fidem iuſtificare, hancque volunt eſſe mentem Chriſti legislatoris, vt patet ex eorum confeſſionibus, in quibus ne verbum quidem de propoſito melioris vitæ, de deteſtatione peccati, de reſtitutione, de compenſatione iniuriæ: cum ergo Chriſtus, iudicio reformatorum, aliud non exigat ad iuſtificationem, quam ſolam fidem, iam iuxta eoſdem, Chriſtus conuenit cum Mahometo; atqui ſecundum Mahometum ad abluenda peccata, ſine obligatione reſtitutionis, deteſtationis peccati, compenſationis iniuriæ ſufficit ſolum confiteri hanc veritatem, *non eſt Deus præter Deum.* Sed etiam Chriſtus, quem colunt prætenſi reformati, nihil ab ipſis ad remittenda peccata exigit, quam credere quod eius merita eis imputentur.

Subſumo, ſed hoc ipſo impius, & iniquus legislator eſt Mahometus, quod iuxta eius principia, eſto illius ſequaces furentur, occidant, adulterent abſque vlla reſtitutione, vel compenſatione iniuriæ, ſola eis ſufficiat ad iuſtificationem confeſſio prædictæ veritatis; ſed eodem modo Chriſtus quem colunt prætenſi reformati, nihil aliud ab eis exigit in ordine ad iuſtificationem, præter ſolam fidem nulla facta mentione de reſtitutione, compenſatione iniuriæ, vel alijs pænitentiæ partibus: ergo ſi iniuſtus eſt Mahometus, quod poſt quæuis cri-

mina contra Deum, & proximum commiſſa, aliud non requirat, quam confiteri præfatam veritatem, ſimiliter Chriſtus reformatorum erit iniuſtus, quod nihil aliud ad tollenda quæuis peccata requirat, quam ſolam fidem, ſicut iniuſtus eſſet princeps, qui omnia ſcelera latronibus, & homicidis permitterêt, modo tantum eum agnoſcerent principem: ergo ſic Chriſtus reformatorum non differt à Mahometo. hinc colligo alium eſſe Chriſtum religionis reformatæ, & alium catholicorum, adeoque reformatos non colere verum Chriſtum, ſed potius Mahometum.

ARTICVLVS IV.

Chriſtus, quem colit prætenſa reformatio, non eſt perfectus Deus, vel perfectus Redemptor.

ID colliges ex attributis veri Dei, quæ ſane reformata religio conſequenter ad ſua principia in Chriſto negat, in primis Deus eſt ſumme verax pſal.116.*Veritas Domini manet in æternum*,eſt ſumme miſericors, pſal.135. *quoniam in æternum miſericordia eius*; & hoc repetitur in eodem pſalmo, viginti octo vicibus. eſt omnipotens Apolalyſis 15. *Domine Deus omnipotens.* eſt ſumme fidelis Apocalypſis 9.*Nomen eius fidelis,et verax.*Sed Chriſtus eſt DeusMath.16.*Tu es Chriſtus filius Dei viui.*&Math. 11. *Omnia mihi tradita ſunt à patre meo.* Atque adeo eſt verax,fidelis, omnipotens, miſericors. Videamus modo an Chriſto, quem colit reformata religio conueniant hæc attributa, patet quod non quia qui decipit, & decipitur, non eſt ſumme verax, & fidelis; ſed Chriſtus religionis reformatæ in omnibus ijs, quæ abſolute promiſit ſuæ Eccleſiæ decepit,& deceptus eſt ſecundum reformatos ex art.2. ergo Chriſtus iſtius religionis ex hoc capite non eſt ſumme verax, aut fidelis: maior, & minor

eſt

eſt probata art. citato & conſequentia ſequitur.

Item Chriſtus eiuſdem religionis non eſt ſumme miſericors, nam eſto ſpoponderit continuam ſuam aſſiſtentiam eidem Eccleſiæ, ex præfato articulo, ſecundum eoſdem reformatos permiſit eam totam in idololatriam, ſuperſtitiones, & cultum Antichriſti præcipitari, permiſit tot Confeſſores, Virgines, Martyres poſt contemptum ſæculi, poſt dira perpeſſa tormenta decipi; permiſit omnes paſtores, doctores, & prædicatores Euangelij diabolica fraude illudi, permiſit totum chriſtianum orbem per tot annorum centurias, à cultu veri Dei recedere, vt in æternum omnes præfati damnarentur, nullo eis relicto conuenienti, aut proportionato ſalutis medio, quod eſſet ad captum ſimplicis vulgi; atqui hæc omnia ſunt contra infinitam miſericordiam Dei volentis omnes ſaluos fieri; ergo Chriſtus, qui hæc permiſit, poſtquam ſuam aſſiſtentiam promiſit, non Deus miſericors, Deus fidelis, Deus clemens, adeoque nec Deus verus. item ex eodem capite, & aduerſariorum principijs nō eſt omnipotens, vel enim non potuit per aſſiſtentiam à ſe promiſſam reſiſtere diabolo inuadenti, ſuam Eccleſiam, ne tota periret, vel noluit? ſi non potuit, ergo non eſt omnipotens; ſi noluit cum tamen promiſerit abſolute, diabolum non præualiturum; ergo non eſt ſumme verax, aut ſumme fidelis.

Item non poteſt ponere diuinitus corpus à ſe aſſumptum in diuerſis locis, nec in illud conuertere ſubſtantiam panis, & vini, eſto olim conuerterit aquam in vinum, & exiuerit ex clauſo matris vtero, & clauſo etiam ſepulcro, ergo Chriſtus, quem nunc colunt reformati, eſt alius à Chriſto, qui iſta potuit, & fecit; teſte Euangelio, ergo Chriſtus reformatorum, non eſt omnipotens, cum non poſſit replicare ſuum corpus, ſicut multiplicauit panes in deſerto, vt ſuffecerint quinque millibus, adeoque iſte Chriſtus non eſt Deus verus.

Nec

Nec etiam iuxta eadem principia, eſt perfectus redemptor, nam Chriſtus, quem colit Euangelium teſte Apoſtolo ad Heb.9. maiorem efficaciam habet ad emundandam conſcientiam noſtram ab operibus mortuis, quam ſanguis hircorum, aut taurorum, & Ioan. 1. *tollit peccata mundi.* Sed Chriſtus reformatorum non lauat eos virtute ſua per baptiſmum à peccato originali, quod ſemper manet in omnibus reformatis, vt conſtat ex eorum principijs, diſt. 2. q.1. relatis, nec etiam tollit vere eorum peccata, ſed tantum tegit, vt fatetur Caluinus, lib.3. Inſtit. cap.11. Vitakerus ad rationes Campiani, Cathechiſmus palat. quæſt. 36. ergo Chriſtus reformatorum non eſt perfectus redemptor, nec verus Deus; ergo hæc religio non ſpectat ad verum Deum, nec ad verum Chriſtum, qui nobis in Euangelio, & catholica religione proponitur.

ARTICVLVS V.

Deus quem colunt prætenſi reformati, non ſincere agit cum genere humano, ſed potius fallit, et ludit, adeoque non eſt Deus verus.

PRogreſſus, & principia prætenſæ reformationis id euincunt, vbi aduertendum, quod Deus, quē Sacra Scriptura loquitur, & catholica colit religio, bona opera ſæpius inculcet, eiſque mercedem promittat, Gen. 4.5.8. 20. & ſexcentis alijs veteris teſtamenti locis. in nouo autem id ipſum repetitur, Matth.5. *Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum*, & infra *gaudete, & exultate, quoniam merces veſtra copioſa eſt in cælis*. Math.25. *venite benedicti patris mei, poſſidete regnum eſuriui enim, & dediſtis mihi manducare*, & Ioan. 5. *procedent qui bona fecerunt in reſurrectionem vitæ, qui vero mala in reſurrectionem iudicÿ* ad Rom.2. *Deus reddet vnicuiq; ſecundum opera ſua, ÿs qui ſecundum pa-*

tien-

tientiam boni operis gloriam,& honorem, & incorruptionem quærunt, vitam æternam. Vt omittam innumera alia loca, quibus plena eſt ſcriptura, vt Math.19.ſub finem,Iacob.2.2.Petri 1.& alibi paſſim quod item legis obſeruantia ſit poſſibilis, & neceſſaria ad ſalutem, patet ex diſt præcedenti quæſt. 2. & vlterius Ioan.15. *Vos amici mei eſtis, ſi feceritis quæ præcipio vobis* Math.28. *docentes eos ſeruare omnia quæcumque mandaui vobis.*

Negant mordicus prætenſi reformati opera conducere ad ſalutem. vnde opponunt 1. opera non conducere ad iuſtificationem; quare, quia ſola fides iuſtificat, ſic confeſſiones eorum diſt. præced. q. 1. art. 1. citatæ. 2. omnia iuſtorum opera eſſe damnabilia,ita confeſſio Anglica art.12.dicens, bona opera non poſſe ferre, ſeueritatem diuini iudicij atque adeo ſi ita eſt; erunt potius damnabilia, quam laude digna, & eſt communis ſenſus religionis reformatæ 3. legem eſſe impoſſibilem, patet eadem diſt. q. & art.vnde infertur ſi omnia iuſtorum opera ſunt damnabilia, ſecundum reformatos, iam non eſſe ad ſalutem neceſſaria; ſi lex eſt impoſſibilis, neminem ſaluari poſſe, ſi obſeruari debeat. ſi autem Euangelium ſine conditione legis implendæ ſpondet ſalutem, vt quid lex eſt neceſſaria ad ipſam ſalutem?

Nunc ſic vrgeo, Deus in ſcriptura promittit mercedem bonis operibus, & illa præcipit, tanquam neceſſaria ad ſalutem, mandat item obſeruari legem, & declarat eam eſſe poſſibilem. vel ergo ſerio ibi loquitur, vel tantum ludit, & fallit? ſi ſerio loquitur, ſerio eſt audiendus, eique obediendum; ſi non ſerio, ſed ioco agit, cur tam ſerio caſtigat tranſgreſſores? ergo crudelis eſt, quod puniat mortales,eo quod neglexerint bona opera, quæ tamen non ſunt neceſſaria ſecundum aduerſarios, promittit præmium, & mercedem eiſdem operibus ſed ſecundum eoſdem nulla merces, vel præmium

eis dabitur, nec dari debet, ſi ergo verum dicunt aduerſarij, iam ludit, & fallit Deus; item iubet ſeruari legem, ſed ſecundum reformatos, nullus poteſt ſatisfacere legi; ergo ſecundum eoſdem, Deus tyrannus eſt, qui impoſſibilia mandat.

Reſp. aliqui diſtinguendo, opera ſunt neceſſaria neceſſitate præſentiæ, quia ſcilicet ſunt fructus viuæ fidei concedunt, ſunt neceſſaria neceſſitate efficientiæ, quatenus efficerent iuſtitiam, aut conducerent ad ſalutem, negant, quia ſola fides iuſtificat. contra 1. hæc diſtinctio nullibi inuenitur in ſcriptura. contra 2. hæc reſponſio deſtruit ſeipſam, nam ſi omnia bona opera ſunt peccata, & damnabilia, quomodo ſunt fructus viuæ fidei? vel quomodo iſta fides poteſt dici viua, cuius fructus mortiferi ſunt? quomodo Deus opera damnabilia exigit, eiſque vitam æternam promittit, quibus non intendit mercedem reddere ſecundum aduerſarios? ergo hic iterum ludit Deus, ſi vera dicunt reformati; vt probo, qui enim præcipit ea fieri intuitu mercedis, quibus nunquam intendit mercedem reddere, aut mandat obſeruari id cui ſatisfieri non poteſt, eſt illuſor, & impoſtor; ſed ſecundum aduerſarios nulla ſalus, aut merces ſequitur, vel ad bona opera, vel ad legis obſeruantiam, quæ impoſſibilis eſt: ergo ſecundum eoſdem Deus iubet impoſſibile, & non intendit implere, quod promittit: vnde ſequitur Deum quia talia agit ex principijs reformatorum, vtique non eſse Deum verum, cum iuxta eadem principia ludat, & fallat, & conſequenter inferre licet doctrinam iſtius religionis de ſola fide, de ſuperfluitate operum, de impoſſibilitate legis non à Deo vero, ſed à diabolo fluxiſse.

ARTICVLVS VI.

Prætenſi reformati ex ſuis principijs non tenentur Deo ſuo ſeruare fidem, aut maiorem illi exhibere cultum, vel reuerentiam, quam præſtant animæ damnatæ.

PRæmitto primo, Deo vero ſeruandam eſse fidem, quam ſuppono exercendam eſse in implendis promiſſis Deo factis, & hæc ipſa promiſsa ſeu vota eſse de bono poſſibili & meliori, adeoq; votum eſse actum latriæ, ſoli Deo debitum: præmitto 2. hoc ipſo quo Deus aliquid ſub conſilio ſuaſit; illud eſse omninò poſſibile, cum Deus impoſſibilia nec ſuadeat, nec præcipiat, ſuaſiſse autem Deum votum continentiæ patet Matth. 19. vbi ſermo eſt de eunuchis qui ſeipſos propter regnum Cælorum caſtrauerunt, ideſt ex deſiderio regni cæleſtis obſtringunt ſe voto continentiæ, & eodem capite ſuadetur voluntaria paupertas. cap. 16. ſuadetur votum obedientiæ, & Chriſti doctrinam ſecutus Apoſtolus caſtiatem ſuadet 1. ad Corinth. 7. *Dico autem non nuptis, &c. melius eſt illis ſi ſic permaneant, ſicut & ego.* Præmitto 3. ſolam fidem ſine operibus mortuam eſſe vt ait D. Iacobus cap. 2. imo parum aut nihil diſtare à fide damnatorum, vt ibidem innuit, *Tu credis quoniam vnus eſt Deus, bene facis, & dæmones credunt, & contremiſcunt;* Vbi ſuppono quidquid ſit an in damnatis remaneat habitus fidei ſupernaturalis, de quo diſputant Theologi, eos tamen fide actuali credere Chriſtum eſſe Saluatorem mundi, & eius iuſtitiam applicari fidelibus, his præmiſſis.

Vota Deo eſſe reddenda patet Deut. 23. *Cum votum voueris Domino Deo tuo, non tardabis reddere, quia requiret iſtud Dominus Deus tuus.* Et Eccleſ. 5. *Si quid vouiſti Deo, ne moreris reddere.* Prætenſi vero reformati contendunt caſtitatem eſſe impoſſibilem, præceptum de non concupiſcendo non poſse ſerua-

ri,hinc quoties ad eos confugiunt excucullati monachi,& Apoſtatæ,Presbyteri; Lutheri,Caluini,Bezæ, Petri Martyris, &c. exempla ſectati, vxores,illico ſubminiſtrantur,de quibus Eraſmus in Epiſt.ad fratres,*Quis non miretur hos nouos Euangeliſtas non poſſe viuere ſine vxoribus? quæ eſt iſta tanta ſalacitas? Vnde tanta carnis rebellio &c.* Hinc concludūt nullam Deo in hoc genere ſeruandam eſse fidem, tunc ſic vel poſſibilis eſt continentia vel non? Si non cur eam Deus ſuadet? cur contra infinitam ſuam bonitatem hortatur ad impoſſibile? Sed Deus ex dictis. Impoſſibilia, nec præcipit, nec ſuadet; ergo hoc ipſo quo aduerſarij putant continentiam, vel legem de non concupiſcendo eſse impoſſibilem, ſentiunt Deum eſse immitem, & immiſericordem. ſed talis non eſt Deus verus,ergo ex principijs religionis reformatæ, Deus qui talia impoſſibilia, vel præcipit, vel ſuadet non eſt Deus verus, nec ei eſt ſeruanda fides: ergo reformati non habent Deum verum.ſi autem prædicta ſunt poſſibilia vt conſtat ex dictis,ergo vota ſunt ſeruanda, ſed negant aduerſarij eſſe ſeruāda,cum Apoſtatis dent ſubito concubinas:ergo Deo ſuo negant cultum latriæ vt patet, nam obſeruantia præcepti diuini, & voti emiſſi eſt actus latrię Deo debitus; ſed negant reformati pręceptum de non cōcupiſcendo, aut vota ſeruari debere; ergo negant Deo ſuo cultum latrię, ergo eius ſupremam excellentiam, & dominium in hoc non agnoſcunt,adeoq; non agnoſcunt eum pro Deo.

Vrgeo hinc ſecundam partem tituli, ſola fides qua credunt reformati in Chriſtum, & eius merita ſufficit eis ad ſalutem: ſed damnati credunt Chriſtum eſſe vere ſeruatorem Mundi, eſſe mortuum pro hominibus, eius merito eos eſſe redemptos, nam fidem hanc ſaltem chriſtiani damnati acquiſierunt in hac vita; ergo fides reformatorum non multum diſtat à fide damnatorum. tunc ſic ſed fides damnatorum præſcindit ab omnibus operibus

bonis

bonis, à cultu, & reuerentia Deo debita; ergo ſi ſo-la fides facit reformatos gratos, & iuſtos corã Deo ſuo, tam bona erit fides damnatorum, & dæmonum, quam fides reformatorum, ergo non plus debent reformati eſſe ſolliciti de Deo per actus latriæ colendo, orando, adorando, quam dæmones, vel damnati, ergo inſtar damnatorum poſſunt omnem Dei cultum & reuerentiam negligere ſola ſua ſteriliſſima fide contenti.

QVÆSTIO II.

Qualis ſit Deus religionis reformatæ, & qualem in ſuis cultoribus ſanctitatem requirat?

ARTICVLVS I.

Quicumque colit Deum prætenſæ reformationis, iuxta eiuſdem religionis principia, peccat grauiſſime, nec vllus debet eius indignationem timere. quantumuis eum offendat.

SI fides adhibenda ſcripturæ, actiones in Dei veri honorem, vel ob eius amorem elicitæ, laude, & pręmio dignæ habentur Iob 1. *In omnibus his non peccauit Iob labijs ſuis.* Matth. 26. *quid moleſti eſtis huic mulieri, opus enim bonũ operata eſt in me?* Math. 5. *beati pauperes ſpiritu, beati pacifici, &c.* 1. ad Cor. 13. *charitas non agit perperã, non cogitat malum.* Deũ item eſſe timendum patet Matth. 10. *Timete eum qui poteſt, & animam, & corpus in gehennam perdere,* pſal. 102. *miſericordia autem domini ab æterno, & vſque in æternum ſuper timentes eum.* His contradicunt principia religionis reformatæ: in primis dicunt omnia iuſtorum opera eſſe peccata, damnabilia, dignaque inferno. ita Caluinus lib. 3. inſtit. cap. 12. & 14. quia ſcilicet ſecundum eum lib. 4. inſtit, cap. 15. peccatum originale remanet etiam poſt bap-

baptiſmum, & quia lex Dei eſt impoſſibilis vt habet in antidoto Concilij Trid.ſeſſ.6. cap. 12. eum quoad hæc ipſa fundamenta ſequitur confeſſio Anglica art. 9. & 10. confeſſio Auguſtana artic.4.& 6. confeſſio Gallica artic. 11. Cathechiſ. Palatinatus quæſt.60.Catechiſmus Geneuenſis dominica 31.hinc manifeſte ſequitur omnes actiones reformatorum etiam in honorem Dei exhibitas eſſe peccata mortalia, adeoque eos peccare grauiter dum Deum colunt.

Nunc ſic inſto contra hanc veſaniam,dum prætenſi reformati orant Deum, dum credunt ſibi remitti peccata, dum alias eiuſmodi actiones eliciunt vel hæc faciendo peccant vel non? ſi non peccant, ergo falluntur eorum principia, & fallunt, dum omnia iuſtorum opera dicunt eſſe peccata niſi loquantur de iuſtis reformatis, quorum iuſtitia eſt mera iniquitas, & velint omnia iuſtorum reformatorum opera eſse peccata digna inferno, adeoque in hoc ſenſu recte locutum fuiſse Caluinum; ſi itaque iuxta hunc ſenſum peccant reformati; ergo per peccatum iuſtificantur, dum credunt ſibi remitti peccata; ergo per peccatum honorant, & colunt Deum: ſi id etiam intelligant de veris Dei ſanctis, horrendum eſt dicere martyres tolerando paſſiones peccaſse, peccare item quotquot opera miſericordiæ, pietatis, vel charitatis faciunt, melius proinde faciunt iuxta hæc principia; qui reſpuunt auribus omnem ad virtutes cohortationnem, qui nolunt credere,ſperare, diligere, quandoquidem huiuſmodi opera ſint damnabilia.

Hinc perpendat quiſque chriſtianus qualis ſit iſtius reformationis Deus, qui coli honorari, diligi non poteſt niſi per peccatum, per inquinamenta & ſordes, certe talia dogmata euidenter oſtendunt Deum, qui huiuſmodi delectatur, & colitur, non eſse Deum verum, ſed potius diabolum, hoſtem & deteſtatorem omnis boni, omnis virtutis, & honeſta-

neſtatis, qui vt deterreat à cultu veri Dei, ab operibus miſericordiæ, ab actionibus bonis, hæc principia obtrudit, quæ ſi eſſent vera, quis amplius vellet bene facere? quis non eligeret abſtinere ab omni bono opere, ſi omne tale eſt damnabile? & ſic abſtinendum foret à Dei dilectione, & cultu. hæc ſunt reformatæ religionis paradoxa, quibus conuincitur obliuiſci Dei Cretoris ſuis.

Sed mirabile prætereа conceſſum eſt prætenſis reformatis priuilegium à Deo ſuo, quo ſcilicet eis indulgetur peccare quantum voluerint, quin vllo prorſus modo debeant Deum iſtum timere, ne indignetur peccatis eorum: hoc priuilegium fundant aduerſarij in tribus potiſſimum dogmatibus, primum eſt, quod nullus ſit fidelis, qui non ſit certus ſe habere veram fidem, adeoque quemlibet talem certum eſſe certitudine fidei de ſua iuſtificatione. ſecundum, quod omnes, qui ſunt certi ſe eſſe vere fideles, ſint etiam electi. tertium, quod ſemel iuſtificatus, quantumuis peccet, nunquam poſſit à iuſtitia excidere. Sic præter citatos diſt. præ. quæſt. 1. Lutherus tomo 1. In ſuis theſibus. Caluinus lib. 3. inſtitut. cap. 2. Zanchius in miſcellan. Tomo 2. pag. 426. Chamierus tomo 3. lib. 13. Collatio Hagienſis pag. 83. Hinc clare ſequitur, reformatos non debere timere damnari quantumis peccent, adeoque nec metuendam eis eſſe gehennam nec ipſum Deum verendum, ne peccatis eorum indignetur, cum ſint certi de ſua electione, & iuſtificatione inamiſſibili.

Quare ſi prætenſus reformatus tentetur violentà paſſione ad blaſphemandum, adulterandum, occidendum, refrænari deberet ab his peccatis per metum ſaltem inferni, & timorem Dei, potentis, & comminantis in gehennam perdere; ſed quomodo per hunc metum poteſt quis retrahi à vitijs, ſi iuxta reformatos ſit certus nunquam ſe damnandum eſſe, nec tempore lapſus perdi iuſtitiam? quis

quis vitaret peccatum ob timorem mali, quod eſt certus nunquam illi aduenturum, ſed ſecundum prætenſos reformatos, quantumuis ipſi peccent, ſunt certi, quod nec iuſtitiam amittant, nec vnquam ſint damnandi: hæc ſi vera ſunt, bene actum eſt cum reformatis, qui eſto committant regicidia, ſacrilegia, proditiones, blaſphemias, homicidia, adulteria, furta &c. ab omni tamen metu damnationis, gehennæ, ac indignationis diuinæ ſecuri ſunt; quid igitur prohibeat, eos in omnia ſcelerum genera prorue-re, in eiſque alto, & lethargico ſopore indormire, & extincta ſyndereſi, iam luxui, & libidini operam impendere, o vitam extinctam? o fallacem fraudulentæ iuſtificationis, & electionis certitudinem, ſub cuius vmbra mihi perſuaſum eſt latere potius certiſſimam damnationem, quam vllam apparentiam veræ ſalutis.

ARTICVLVS II.

Vt prætenſi reformati iuxta ſua principia ſint Sancti, & iuſti coram Deo ſuo, ſufficit quod ſint tantum velut ſepulchra dealbata.

LIs eſt inter Catholicos, & prætenſos reformatos quomodo iuſtificemur; Catholicorum ſententia orthodoxa eſt, in iuſtificatione, duo interuenire, nempe deletionem peccati, & infuſionem iuſtitiæ inhærentis, quam Theologi vocant gratiam Sāctificantem, & patet ex illo ad Epheſ.4. *Renouamini ſpiritu mentis veſtræ, & induite nouum hominem, qui ſecundum Deum creatus eſt in iuſtitia, & Sanctitate veritatis*. Ad Coloſ.3. *Expliantes vos veterem hominem, cum actibus ſuis, & induentes nouum eum, qui renouatur in agnitionem, ſecundum imaginē eius qui creauit illum.* Ad Roman. 3. *Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris.* Quæ omnia ſignificant veram, & internam iuſtificati Sanctitatem. prætenſi

tenſi autem reformati totam vim iuſtificationis tribuunt ſoli fidei actuali, nec aliam iuſtitiam admittunt; niſi imputatiuam, qua opinantur iuſtitiam Chriſti eis imputari; ita eorum confeſſiones diſtin. præ. quæſt. prima citatæ.

Itaque iuxta hanc ſententiam iam prætenſi reformati reſpuunt omnem iuſtitiam inhærentem, ac Sanctitatem internam ſola denominatione externæ iuſtitiæ contenti, ſicut quis dicitur viſus, vel cognitus à viſione, vel cognitione quæ eſt in alio, adeo vt peccata eorum nunquam vere deleantur per infuſionem gratiæ, ſic vt prætenſi reformati in ſua iuſtificatione non fiant iuſti in ſeipſis, ſed maneant peccatores, iniuſti, immundi, & ſolum cenſeantur iuſti in Chriſto, non tamen vere eius merito, vel gratia interna à ſuis peccatis abluti, quare cum Dauid pſal. 50. Dixit, *Aſperges me Hyſſopo, & mundabor, lauabis me, & ſuper niuem dealbabor*, Deberet potius iuxta reformatorum dogma dicere, aſperges Chriſtum, & mundabor in Chriſto, lauabis Chriſtum, & dealbabor in Chriſto.

Ex his reformatorum principijs ſequitur primo peccatum Adami potentius operari ad inquinandos, perdendos, condemnandos reformatos; quam Chriſti merita ad abluenda eorum peccata, ad infundendam gratiam, ad iuſtificandum, & ſeruandum. ſecundo eſto peccatum, non externa ſolum denominatione eis imputetur, ſed ipſo actu, & effectu eos inquinet, & deteſtabiles coram Deo, & Angelis eius reddat; non ſic tamen iuxta contrariorum diſciplinam in iuſtificatione eis contingit; non enim vt fatentur gratiæ donum oblatum, infuſum, & in iuſtificatione ſuſceptum, vere eos abluit, aut emundat, nec veros Dei filios efficit: ſed potius externa, & ſimulata quadam iuſtitia iuſti reputantur. Tertio eos non vere lauari ſanguine Chriſti, ſed illos contabeſcere in criminum ſuorum ſordibus, & in noxa veteris Adam perma-

nere, adeo vt pro Sanctis habendi ſint qui reuera homines ſceleſti, & Deo inuiſi ſunt, interna gratia deſtituti.

Ex quibus infertur prætenſos reformatos eſſe ſimiles falſis illis prophetis, *Qui veniunt in veſtimẽtis ouium, intrinſecus autem ſunt lupi rapaces.* Nam iuſti reformati iuxta ſua principia, ſunt interius pleni peccatis, quæ nunquam vere abluuntur, ſunt inſtar hircorum, qui fetorem flagitiorum exhalant quia tamen innocentis Chriſti veſtimento, ſeu iuſtitia externa imputatiua ſe tegunt, inter agnos reputari volunt: ſunt ſimiles *Sepulchris dealbatis, quæ intus ſunt plena oſſibus mortuorum, & omni ſpurcitia* externo tantum iuſtitiæ colore in ſuperficie candidi. Ex his conijcere licet qualis ſit Deus talium Sanctorum, nam de Deo vero dicitur pſal. 5. *Non Deus volens iniquitatem tu es.* Vel igitur Deus reformatorum odit iniquitatem, vel non? Si odit, cur non eam vere tollit à reformatis iuſtificatis, ſicut dicitur 1. ad Corint. 6. *Abluti eſtis, Sanctificati eſtis.* Ad Epheſ. 5. *Eratis tenebræ, nunc lux in Domino.* Si non odit, ergo non eſt Deus, *qui non eſt volens iniquitatem.* Deus enim natura ſua bonitas infinita eſt, peccatum natura ſua malitia, fieri autem non poteſt, quin bonitati infinitæ repugnet malitia; quare Deus qui ex principijs prætenſæ reformationis non tollit à iuſtificatis peccata, ſed tantum externe tegit, non eſt Deus verus, ſed potius ſpiritus mendacij, & impoſturæ, cui huiuſmodi ſepulchra dealbata, & lupi in veſtimentis ouium placent.

AR-

ARTICVLVS III

Cuius regni hæredes tandem ſunt iuſti religionis reformatæ in extremo vitæ momento conſtituti? & an reuera tunc iuxta ſua principia ſint filij Dei, vel cuius demum filij?

HVc tandem veniendum, o reformati, ab hoc articulo eundum in domum nunquam finituræ Æternitatis, quales vos mors in hoc puncto repererit, tales, etiam vobis fatentibus, vos relinquet, vbicunque ceciderit vitæ veſtræ arbor, ibi manebit, ſi ceciderit ad auſtrum ibi erit, ſi ad aquilonem infælicitatis æternæ, ibi in æternum iacebit. Quem ex his locis ſpondere ſibi poſſint prætenſi reformati, ex principijs ſuis, ſi ea bene expendant, facile metiri poterũt. Vbi duo præmitto ex dictis: primum, Deum exigere pænitentiam ab impijs: ſecundum, eum deteſtari iniquitatem. Primum patet Ezech.3. verſ.18. *Si tu annunciaueris impio, & ille non fuerit conuerſus ab impietate ſua, & via ſua impia, ipſe quidem in iniquitate ſua morietur, ſed, & ſi cõuerſus iuſtus à iuſtitia ſua fuerit, & fecerit iniquitatem, non erunt in memoria iuſtitiæ eius, quas fecit.* Et cap.18. verſ.21. *Si autem impius egerit pænitentiã ab omnibus peccatis ſuis vita viuet* Alterũ patet Pſ. 5. *Non Deus volens iniquitatem tu es, neque habitabit iuxta te malignus.*

Prætenſi autem reformati ſingulari priuilegio per ſolam fidem eximuntur ab omni pænitentia: vnde præfata Ezechielis loca ſic exponunt vt ſcilicet ſi iuſtus non vere, ſed ficte iuſtus, auertet ſe à ficta & falſa ſua iuſtitia, non viuet; ſic explicat Beenfeeld in ſuo opere de perſeuerantia Sanctorum lib. 1. cap.9. Paræus lib.3.cap.14. Notæ Caluiniſtarum in biblia Gallica impreſſa Amſterodami in cap.3. Ezech. en quo pergit blaſphema iſta expoſitio, iuxta

ta quam, ſi iſte in ſua ficta iuſtitia perſeueraret vſq; in finem, & caueret à peccatis publicis, quæ illam velatam, & falſam iuſtitiam reuelarent hominibus, ſaluaretur, adeoque talis iuſtitia quæ intrinſece, & ex ſe eſt damnabilis hyppocriſis, ſecundum ſe coram Deo iuſtificaret iſtum hyppocritam, modo ſciret ſimulare, damnatur ergo à Deo iſte fictus præciſe ideo, quia à malitia occulta tranſiuit ad malitiā apertam, ſeu quia peccatum hyppocriſis, quod antea ſoli Deo erat notum, venerat in notitiam hominum, quaſi vero non deberet damnari ob peccatum occultum: certe Deus cui accepti ſunt eiuſmodi peccatores occulti, non eſt Deus verus, ſed potius nefandus ille generis humani ſeductor.

Alij dicunt propoſitiones Ezechielis eſſe tantum conditionatas, nunquam abſolute futuras, ita contra Remonſtrantes in collatione Hagienſi pag. 378. Profeſſores Salmurienſes de perſeuerantia fidei parte poſter. num. 2. Vbi hoc ipſo ſentiunt, iuſtum nunquam ſe auertere à ſua iuſtitia, nec impium ab iniuſtitia, proinde ſemel iuſtum nunquam amplius ſollicitum eſſe debere de vllā pænitentia, quia non obſtante quouis peccato nunquam a iuſtitia excidet, vt eſt communis opinio reformatorum diſtin. præ. relata, atque adeo faciant quod voluerint, eſto nunquam peccata ſua deteſtentur, vel de eis pæniteant, cum ſecundum eos ſola fides ſufficiat quæ nunquam poteſt amitti, nunquam ſic poterunt damnari, nam implicat, quod homo iuſtificatus moriens damnetur. Quare ſi prætenſus reformatus ſit reus adulterij, vt Dauid, Idololatriæ, vt Salomon, negationis Chriſti, vt Petrus, & per talia peccata non amittat iuſtitiam, tam in conſpectu Dei ſui erit gratus, ac ſi talia non feciſſet, vnde ſi moreretur cum talibus peccatis, ſaluaretur, quia moreretur iuſtus.

Sic ergo Deus reformatorum admittit ad ſuum regnum horrendos quoſuis peccatores, eſto nullam

cri-

criminum ſuorum deteſtationem præmiſerint, modo fuerint ſemel fideles, quia tales ſemel iſti nunquam per ſua peccata amiſerunt ſuam iuſtitiam, ſeu fidem, iuſti enim certo ſaluantur, prætenſi autem reformati non amittunt ſuam iuſtitiam per vlla peccata; ergo his non obſtantibus ſaluantur, ſic in illo extremo articulo pari loco apud Deum reformatorum habentur, qui latrocinijs vixerunt, & qui eleemoſynas largiebantur, qui promiſcua Venere corpus fœdarunt, & qui vitam cælibem, vel legitimum matrimonium coluere, qui furtis rem quæſiere, & qui donando tribuerunt, qui diris Deum deuouerant, & qui precibus inuocarunt: prioris enim generis, ſi ſemel fuerunt iuſti, nunquam ex iuſtitia exciderunt, vnde nec pænitentia vllà eguerunt: hinc cælum religionis reformatæ admittit homicidas, adulteros, blaſphemos, fures qua tales, eſto nunquam ſua peccata deteſtati fuerint, modo crediderint.

Vnde manifeſte colligitur Deum relgionis reformatæ non differre à Diabolo, nec eius Paradiſum ab Inferno: Deus enim verus odit iniquitatem: Deus religionis reformatæ nullum peccatum quantumuis enorme ſuis fidelibus imputat: Deus verus exigit pænitentiam, & deteſtationem peccati, Deus reformatorum ſola fide ſine vllo criminis odio, vel dolore contentus eſt: fideles Dei veri, iuxta Ezechielem, ſi auerterint ſe à iuſtitia, & non reſipiſcant, in impietate ſua morientur; fideles Dei reformatorum, quantumuis peccent, nunquam à iuſtitia excidunt. Deus verus odit omnes qui operantur iniquitatem, Deus reformatorum in ſuis fidelibus nullam iniquitatem odit. In Cælum Dei veri ex Apocalyp. 21. *Nihil coinquinatum, aut abominationem faciens intrabit*: In Cælum reformatorum, nihil niſi inquinatum intrabit, nam ex dictis ante, omnia eorum opera bona ſunt inquinamenta, & ſordes, & flagitia infecta peccato originali,

quod nunquam in eis deletur vt fatentur, certe ex his facile quis iudicare poterit cuius Dei filij in extremo vitæ puncto ſint reformati, & cuius regni hæredes, profecto eorum dogmata euincunt eos non eſſe filios Dei veri. quid ergo? certe ſi non, planum eſt eos in talibus principijs morientes, fore filios rectoris tenebrarum, & ſi non ſint filij Dei veri, adeoque nec hæredes regni Cælorum, ego ex dogmatibus eorum colligo, niſi illa abiurent in illo puncto, hæredıtaturos gehennam, & ardores ſempiternos: vnde de huiuſmodi Sanctis reformatis videtur loqui Caluinus lib. 2. & 4. inſtit. Quod ſcilicet in eis ſemper remaneat peccatum originale, quod ſecundum Paræum eſt *Prauitas naturæ, cæcitas mentis auerſio voluntatis à Deo, cum reatu pœnæ æternæ,* Adeoque reformatos in ſuo cælo habituros naturam vitiatam, fore cæcos mente, auerſos à Deo, & reos æternæ mortis in æternum.

ARTICVLVS IV.

Lethalis reformatæ Religionis in atheiſmum apoplexia, ſeu prætenſi reformati ex ſuis principijs ſine omni Deo.

DIuerſæ Religionis, diuerſa eſt analyſis, chriſtiana fides vltimo in Dei veracitatem reſoluitur; fides prætenſæ reformationis in Lethalem prolapſa Apoplexiam, inde in atheiſmum reſoluta, verò tandem valedixit Deo. Id tu ex hactenus dictis facile colliges, & in primis hæc religio, Deũ, qui ſecundum Apoſtolum vult omnes homines ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, omnem veritatis reperiendæ viam impoſſibilem reddidiſſe contendit vt diſt. 1. & 2. Vidimus, nam alligatam ſoli ſcripturæ contendit, quam ſolam iudicem, doctorem, interpretem vult, vt iam ſimplices, rudes, ignari, pueri, mulieres; &c. qui dificilem

cilem hanc viam indagare neſciunt, iam ſint excluſi à ſalute vt diſt. præ. quæſt. 1.art.2. conſtat, quare Deus qui viam tam implexam, tantis difficultatibus intricatam iuxta principia reformatorũ humano generi reliquit, eſt Deus crudelis cogens mortales ad ſalutem per media impoſſibilia; ſed Deus crudelis non eſt Deus verus, ergo cum Deus reformatorum ſit crudelis, non erit Deus verus, & conſequenter Deo vero renuntiarunt.

Rurſus crudelitas Dei reformatorum apparet in legibus quas tulit, in promiſſis, quæ exhibuit, nam tulit leges, ad eaſque obligauit, quas ſecundum reformatos nemo poteſt ſeruare, nullus eis ſatisfacere valet vt ex diſt. præ. patet: præcipit item bona opera, iiſque mercedem promiſit; ſed ſecundum reformatos nec talia opera ſunt neceſſaria, nec vnquam dabitur eis merces; ergo iuxta mentem eorundem talis Deus eſt tyrannus, quod ad impoſſibile obliget; impoſtor, quod promittat, & non intendat promiſſionem implere, cogit mortales ſe fatigare in bonis operibus intuitu præmij, vt patet in tot Martyribus, Virginibus, Confeſſoribus, & tamen verbis tantum ludit; ſed Deus tyrannus illuſor, & impoſtor non eſt Deus verus, atq; adeo, cum Deus reformatorum ſit illuſor, impoſtor, tyrannus Deo vero valedixerunt.

Item Deus per os Prophetarum, Chriſti, & Apoſtolorum promiſit Eccleſiam nunquam defecturam, aut erraturam, quippe cui ipſe, cui Chriſtus ſtabilem promiſit aſſiſtentiam; ſed ſecundum reformatos hæc Eccleſia defecit, & errauit, Diaboli incurſibus patefacta, & ſubiecta, idololatrijs ac ſuperſtitionibus repleta, humano genere interim ſine opportuno, & congruo ſalutis medio per tot centenos annos relicto: atque adeo ſi hæc ſint vera, vt volunt reformati, talis Deus non erit verax, aut omnipotens; non verax quia quod prædixit ſecundum eos, non euenit, non omnipotens, quia plus

præ-

abyſſum profeſſores ſuos, niſi reſipiſcant, tractura, o lumen extinctum? o caliginem infeliciſſimæ religionis, omni vmbra veræ Religionis deſtitutam.

ARTICVLVS V.

Iſta reformata Religio ex hactenus dictis velut laqueus æternæ mortis, toti humano generi eſt fugienda.

HÆc eſt illa religio, quæ vt erroribus colorem veritatis inducat ſub vmbra reformationis, omnium præmortuarum hæreſum venena propinat, coniurat in Deum, cui veracitatem in dictis, fidelitatem, & ſinceritatem in promiſſis, omnipotentiam in myſterio Euchariſtiæ negat, iniquitatis amatorem, fictæ iuſtitiæ fabrum conſtituit: negat infinitam eius bonitatem, & miſericordiam, cum genus humanum ad ſalutem quærendam per media impoſſibilia, ad leges quæ obſeruari non poſſunt, obligare dicat, negat ſupremum eius dominium, & excellentiam, cum fidem in votis illi factis, in iuramentis præſtitis prohibeat: coniurat in Chriſtum quem verum eſſe prophetam negat, cum defuiſſe dictis, & promiſſis ſuis aſſerat, negat perfectum eſſe Redemptorem, cum eius merita non valeant ad tollenda peccata per infuſionem gratiæ, ad delendum originale; negat iuſtum eſſe legislatorem, quod nulla habita ratione ſatisfactionis, cōpenſationis iniuriæ, reſtitutionis rei ablatæ, ſola fide contentus ſit, ad tollenda quæuis enormia peccata contra Deum, & proximum admiſſa.

Coniurat in Reſpublicas, communitates, regna principes, reges; cum ſuis ſequacibus omnem peccandi licentiam ſine iactura ſuæ iuſtitiæ præbeat: coniurat in virtutes Chriſtianas, cum omnes actiones a b illis procedentes dicat eſſe ſordes, & flagitia digna inferno, vt ſic operà charitatis, legum fundamenta, fidem, religionem, numinis metum penitus

nitus obliteret, vt atroci cuiuis facinori viam pādat, hoc ſcilicet ex eius principijs perſuaſo, æque peccare mortaliter, qui bona facit, ac qui ſcelera cōmittit, vt ſic arioli, venefici, ſortilegi pari confidentia diabolum conſulant, ac prophetæ Deum interrogabant, nefandi apoſtatæ non magis dubitent Creatorem, ac Saluatorem eierare, quam Sancti Martyres eum in tormentis confiteri. Coniurat in Sanctos, charos Dei amicos, toties in ſcriptura laudatos, in quos tot nefanda conuitia eiaculatur. Coniurat in defunctos fideles, quibus ſuffragia negat. Coniurat in natiuitatis, mortis, Paſſionis, Reſurrectionis Chriſti myſteria, quorum memoriam in tabulis, ſignis, imaginibus horret, & abolet.

Coniurat in publicum Dei cultum, in perſonas Deo dicatas, in aras, templa, monaſteria, contra quæ Acheronta excitauit. Coniurat in totam Chriſti Eccleſiam, quam idololatrijs, ſuperſtitionibus plenam, dæmonum incurſibus obnoxiam, & patefactam, contra tot expreſſas ſcripturas, impio, & blaſphemo ore deblaterat: iſta Religio admittit nomine tenus Eccleſiam, & neſcit vbi ſit, vult eam reformare, antequam ſciat certo, an bene monſtrum illud informe ſuæ reformationis inſtituerit, nullum vnquam habuit generale concilium, nullum infallibile oraculum, nullos legitimos, aut infallibiles Doctores, nullum credibilitatis motiuum, nullum miraculum, ex iſta Religione exularunt Chriſti, & Apoſtolorum exempla, conſilia Euangelica virginum continentia, martyrum fortitudo, confeſſorum longanimitas, caſtitas, abſtinentia, charitas, miſericordia, morum Sanctitas, vt ſi iſtam religionem cum Turciſmo in eodem ſtatueres theatro, neſcias vtra Sanctior, vtra fædior, vtra luxui, libidini, auaritiæ, ſuperbiæ, carnis illecebris indulgentior, neſcias vtra incertior, cum iſta eſſentialiter ex ſuis principijs fallibilis, nihil pro certitudine præter meras coniecturas alleget.

Ad hanc Religionem cogunt Catholicos Romanos prætenſi reformati, quia hoc lethale venenum bibere nolunt priuãtur officijs, ſpoliantur bonis mulctantur pænis, & exactionibus, eijciuntur ex oppidis; Pagani, Turcæ, Hebræi, Atheiſtæ grati ſunt huiuſce Religionis profeſſoribus, ſolos deteſtantur Catholicos, quod hanc luem, & peſtem non amplectantur, quod nolint coniurare in Deum Chriſtum, diuos, in defunctos fideles, quod nolint renuntiare virtutibus Chriſtianis, operibus miſericordiæ, preceptorum obſeruantiæ Chriſti, & Apoſtolorum exemplis, publico, & religioſo Dei cultui: ob has cauſas Eccleſiaſtici viri vruntur flammis, cæduntur flagris, vinciuntur catenis, in exilium amandantur.

Certe merito præfatis Catholicis hic laqueus damnationis æternæ fugiendus, ſi nolint Chriſtianæ fidei, æternæ ſaluti, Chriſto Redemptori, Deo creatori renuntiare, qui enim reformatam iſtam religionem amplectitur, his omnibus valedicat, neceſſe eſt: videant an eternitatis ſuæ negotium pendere velint à religione fallaci, eſſentialiter fallibili, quæ omnem æternę fęlicitatis conſequendæ certitudinem ex profeſſo tollit. Quod vt melius expendant, addo ſequentem diſtinctionem, ſubiungendo illud S. Auguſtini enarratione in Pſalm. 36. *Tanto magis debemus commemorare vanitatem Hæreticorum, quanto magis quærimus ſalutem eorum*, quæ vanitas vt magis eluceat ſit diſtinctio quarta.

DISTINCTIO IV.

Velut appendix ad primam hanc partem adiunſta continens vlteriores analyſes tum ex hac parte, tum ex alijs reformatorum principijs fluentes, quibus prætenſæ reformationis nullitas rurſus conuincitur, in duas Sectiones diuiſa.

SECTIO I.

Contra fundamenta prætenſæ reformationis.

ARTICVLVS I.

Tela prætenſæ reformationis in eandem retorta, quoad prætenſam illorum credendi regulam.

MOdus hic acerbe vexat ſectarios, eum olim ſecutus eſt P. Iacobus Gualterius, in vno breui tractatu, potiora tam ex ipſo, quam ex hactenus à me dictis recolligo innitendo aduerſariorum principijs, & primo ſic arguo.

Vel Sacra Scriptura ſola eſt ſufficiens regula ad probandum, & confirmandum omnem veritatem neceſſariam ad ſalutem, vel non eſt? ſi primum, peto per quam Scripturam probant prætenſi reformati, ipſam Scripturam Sacram eſſe ſcripturam à Deo reuelatam, & canonicam? ſi ſola ſcriptura non eſt eiuſmodi ſufficiens regula, ergo iam admittendæ sũt traditiones. ergo iam falſo dicunt confeſſiones reformatæ Anglica art. 10. 19. Scotica art. 18. Gallica art. 4. 5. 27. Heluetica artic. 1. præfatio confeſſionis Auguſtanæ anno 1530. cõfeſſio Vitenbergica art. 3. Saxonica ad finem. Confeſſio Comitis Palatini aano

anno 1576. Boemica art. 1. & aliæ, Scripturam Sacram eſſe ſolam & ſufficientem regulam totius veritatis, euaſiones autem reformatorum quoad hoc pūctum præcluduntur ſupra diſtinctione prima, quæſtione prima.

Secundo, vel ſufficientia ſcripturæ ſolius conſiſtit in integro ſacrorum voluminum canone, vel in aliqua eorum parte? ſi in canone integro, iam nulla Eccleſiæ Chriſti remanet ſufficiens fidei regula; cum multi Sacræ Scripturæ libri perierint, nempe tria parabolarum millia, & quinque millia verſuum Salomonis, de quibus expreſſa eſt mentio lib. 3. Regum cap. 4. verſ. 32. libri Nathan, & Gad Prophetarum in libro primo Paralipomenon cap. 29. verſ. 29. commemorati: libri Ahiæ, & viſio Prophetæ, Addo, de quibus fit mentio libro 2. Paralipomenon cap. 9. verſ. 29.

Si autem præfata ſolius ſcripturæ ſufficientia ſtatuenda ſit, in aliqua ipſius ſcripturæ parte, inextricabilis prætenſis reformatis labyrinthus extruitur; nam compellentur reſpondere, quanam in parte ſtatuetur, & cur potius in hac, quam in illa parte: hic certe reformatis hærendū erit inter malleum, & incudem, donec traditiones admittant.

Nam ſi dicant, vti reſpondit olim vnus ex ipſis, ſaluti, & perfectæ doctrinæ ſatis futuram ſcripturam, licet quis ex ea epiſtolam v. 9. D. Pauli ad Philemonem, & duas vltimas Sancti Ioan. epiſtolas detraheret; contra inſtabo, cur non etiam detrahi queant prima Ioannis, cur nō epiſtola ad Galatas, cur non æque epiſtola ad Titum, ſicut detrahi poſſet epiſtola ad Philemonem, cur non item epiſtola Iacobi?

Rurſus inſtabo vnde nam ſciunt prætenſi reformati alias omnes ſcripturæ partes eſſe ad ſalutem, & doctrinæ perfectionem neceſſarias, & quanam certa, ac indubitata regula, præciſe metiuntur, hanc doctrinæ ad ſalutem neceſſariæ perfectionem, quæ

eſt

eſt quaſi nouus ſcripturarum Canon diſtinctus, à generali illo Canone in quo epiſtolæ, ſiue partes illæ (quas reſecari ſine præiudicio perfectæ doctrinæ poſſe exiſtimant) continentur? deinde reſpondendum ſemper ſupereſt reformatis, cur hæ vel illæ epiſtolæ, hæ vel illæ partes reſecari ſine præiudicio poſſunt, potius quam quædam aliæ epiſtolæ, vel partes? iterum hic vel inuiti recurrant neceſſe eſt ad traditiones.

Quid vero reſpondebunt, ſi interrogentur de capitibus, periodis, verſibus ipſius ſcripturæ, vtrum ſcilicet ſalua doctrinæ neceſſariæ perfectione, reſecari aliquid ex ipſis poſſit, & quid, & quantum? cum enim traditiones, & Eccleſiæ authoritatem non admittant reformati, ad hæc ſingula reſpondere eos cogit ſua ipſorum opinio, niſi ſe fluctuantes proclament, ac dubios eſſe de ipſo fidei ſuæ fundamento, quod tamen in ſola ſcriptura conſtituunt fateantur, nam cum non vniuerſam ſcripturam neneſſariam eſſe iudicent, diſtinguant omnino neceſſe eſt à partibus minime neceſſarijs, eas partes, quas prætenſo ſuo fundamento iudicant eſſe neceſſarias, & eſſentiales.

Quæ diſtinctio eſt ipſis impoſſibilis, niſi ad Eccleſiæ authoritatem, & ſacras traditiones recurrant, quod optamus: quod ſi recurrant ad ſpiritum priuatum, vel ad euidentiam ipſius ſcripturę, iam ſpiritus iſtius modi circulo concluduntur, & de nugis prædictę euidentiæ conuincuntur diſtinctione prima huius partis quęſtione prima per totam.

Tertio arguitur contra principia reformatorum vel fundamentum fidei prætenſę reformatę eſt ſacra ſcriptura in ſuo textu originali, id eſt vti exponunt miniſtri reformati textum Hebraicum veteris, & textum Grecum noui teſtamenti; vel eſt eadem ſcriptura in quacumque verſione Gallica, Germanica, Anglica &c.? Si eſt ſcriptura in ſuo textu originali; contra eſt primo, nam nulla originalia nunc

ex-

extant, vt fatendum eſt ipſis reformatis, qui illa nunquam viderunt: contra eſt ſecundo, caſu etiam quo extarent prima originalia, nec ex millibus reformatis vnus callet textum Hebraicum, vel Græcum; quid ergo facient qui illas linguas ignorant? Si fundamentum præfatæ fidei eſt ſcriptura in quacumque verſione, tunc claudicat, & vacillat ipſorum regula; qua ſecundum ipſos reformatos in ſynopſi purioris Theologiæ diſp. 3 theſi 11. nulla verſio eſt authentica, & hinc reijciunt editionem vulgatam reſeruantes ſupremam, & infallibilem authoritatem ſolis originalibus, quæ ipſi nunquam viderunt; vel igitur debent recurrere ad traditiones, & authoritatem Eccleſiæ pro legitima, & authentica verſione, vel certe fateri, ſe nullam habere fidem.

Arguitur quarto contra eadem principia, vel ſunt quatuor euangelia Græca authentica, vel tria tantum? Si ſunt quatuor, quare prætenſi reformati non æque admittunt pro authentica verſionem latinam factam ex textu Græco, Sancti Marci, S. Lucæ, S. Ioannis, ac admittunt verſionem Græcam factam ex Hebraico textu S. Matthæi, quandoquidem hic Euangeliſta Hebraice, & ad Hebræos ſcripſerit ſuum Euangelium teſte S. Irenæo lib. 3. c. 1. S. Athanaſio in Synopſi, S. Hieronymo in Cathalogo ſcriptorum eccleſiaſticorum, & ſua præfatione ſuper Mathæum? quod ſi non ſint niſi tria tantum euangelia Græca authentica, ecce reformati conſtringentur reijcere, ſuum nouum teſtamentum, vel delere canonem ſacrarum litterarum, & tenere pro Apocrypho euangelium S. Matthæi, cum ſit ipſorum maxima communis vocare canonicas, ſolas ſcripturas originales, vt inde faciant bellum antiquę verſioni latinæ, hi ſunt inextricabiles labyrinthi, in quos ſe conijciunt prætenſi reformati, dum vt effugiant Eccleſiæ authoritatem, & ſacras traditiones, confugiunt ad nudam, & ſolam ſcripturam, quo fit

vt de ipſa ſcriptura, an ſit nec ne canonica, an à Deo reuelata, an integra, an recte translata? nullam veram, vel indubitatam certitudinem habeant, nullum ſuæ fidei prætenſæ reformatæ verum, aut legitimum fundamentum: ex quibus ſane labyrinthis nunquam ſe extricabunt, donec præfatam Sanctæ Eccleſiæ authoritatem, ac traditiones admittant.

ARTICVLVS II.

Retorquentur item in reformatos ſua ipſorum principia quoado prætenſam eorum iuſtificationem.

ARguo primo, vel omnes qui profitentur prætenſam reformationem ſunt iuſti, & ſancti, vel non? Si ſunt iuſti, & ſancti, igitur inter prætenſos reformatos non ſunt latrones, adulteri, homicidæ, &c. igitur non debent habere carceres, patibula, triremes &c. pro puniendis reis, igitur magiſtratus prętenſæ reformationis ſunt iniqui quod damnent ad mortem, & alias pænas pleroſque ſuos reformatos: ſi omnes prætenſi reformati non ſunt iuſti, & ſancti; igitur mendaces ſunt miniſtri prætenſi reformati, mendaces ſunt confeſſiones prætenſæ reformationis, quæ dicunt fidem ſolam iuſtificare, mendax eſt Dordracena ſynodus quæ ait ſanctitatem reformatorum nunquam amitti.

Arguo ſecundo, vel prætenſi reformati ſunt infallibiliter certi de ſua æterna ſaluatione, vel non ſunt? Si ſunt certi, iam impune poſſunt negligere ac deſpicere metum gehennæ, timorem extremi iudicis, adeoque libere poſſunt indulgere omnium voluptatum illecebris, omnia ſcelera libere committere, quidquid enim, vel boni omittant, vel mali committant eſt ipſis perinde, ſi ſint infallibiliter certi de ſua æterna ſalute: ſi non ſunt infallibiliter certi de ſua æterna ſalute, cur ergo habent in tãto pre-

tio ſuum Caluinum, qui blaterat lib. 3. inſtit. cap. 2. §. 7. 29. 39. 43. quod fides prætenſę reformationis cōſiſtat in eiuſmodi indubitata certitudine de æterna ſalute. euaſiones reformatorum, earumque eliſiones, vide diſtinct. ſecunda huius primæ partis qu. 2. per totam.

Arguo tertio, vel præcepta Dei, ſuppoſita ipſius gratia ſunt poſſibilia ad obſeruandum, & præſertim mandatum de charitate, vel non ſunt? Si dicunt reformati eſſe poſſibilia, reijciant confeſſionem Auguſtanam art. 5. Cathechiſmum Gebennenſem dominica 32. & 33. confeſſionem Anglicam art. 9. Lutherum de libertate chriſtiana, Caluinum lib. 2. inſtit. cap. 7. §. 5. item in ſua harmonia ſuper c. 22. Matth. ſi dicant reformati præcepta Dei non eſſe poſſibilia reijcient igitur Apoſtolum Paulum ad Philippenſes 4. S. Ioannem Euangeliſtam in ſua prima Epiſtola cap. 5. imo, & ipſum Chriſtum Mat. 11. prædictis locis aſſerentes Dei præcepta eſſe poſſibilia.

Arguo quarto, vel prætenſi reformati tenent Deum eſſe authorem peccati, vel non? ſi tenent, hoc non eſt ſolum reijcere ſcripturam ſacram mille locis contrarium aſſerentem, ſed etiam excedere impietatem Manichæorum, qui vt euitarent hanc blaſphemiam maluerunt potius incidere in Polytheiſmum, & ſtatuere duo prima principia, vnum boni, alterum mali, quam attribuere malum fonti omnium bonorum. ſi non tenent Deum eſſe authorem peccati, damnent igitur Caluinum, qui id aſſerit lib. 1. inſtit. cap. 18. §. 1. lib. 3. cap. 23. §. 4. & 7.

Arguo quinto contra illos prætenſos reformatos qui tenent omnia fidelium operá eſſe peccata, vel hi credunt eam orationis dominicæ partem, qua remiſſionem peccatorum petimus eſſe peccatum, vel non? ſi credunt eſſe peccatum, neceſſe eſt vt dicant, peccato nos petere, atque impetrare peccatorum noſtrorum remiſſionem, quo nihil abſurdius. ſi non

credunt eſſe peccatum, ergo damnent Caluinum, qui lib. 3. inſtit. cap.12. §.4. aſſerit omnia fidelium opera eſſe peccata. rurſus reſpondeant ſit ne peccatum, & iniuſtitia ille actus fidei, quo dicunt hominem iuſtificari, ſi eſt peccatum, ergo peccato & iniuſtitia iuſtificatur homo quod eſt æque impoſſibile, ac ſi quiſpiam dicat nigrediue rem aliquam dealbari frigore calefieri, & tenebris illuminari. Si ille actus non eſt peccatum, damnent iterum Caluinum, & alios id dicentes.

ARTICVLVS III.

Oſtenditur quod præcipua prætenſæ reformationis principia ſint contra Scripturam Sacram.

HIc præmitto, cum prætenſi reformati negent infallibilem Eccleſiæ authoritatem, ac traditiones tam diuinas, quam eccleſiaſticas, nec aliunde haberi poſſit integer ſcripturæ canon, aut certa, ac legitima illius verſio, & interpretatio, quam ab eccleſia; hinc ijdem reformati iuxta hæc ipſa ſua principia, non habent niſi ſcripturas fallibiles, fallibilem canonem, fallibilem verſionem, fallibilem interpretationem, hæc enim non habent ſecundum eadem principia niſi ab authoritate fallibili; atq; adeo prætenſi reformati fateri debent ſe nullam veram fidem habere, cum non habeant vllum infallibile fundamentum veræ, vel certæ fidei.

Sed admiſſa ipſa ſcriptura, qua vtuntur, quæque ſecundum ipſorum principia, vt vidimus, non eſt niſi fallibile fundamentum, adhuc oſtendo præcipua eorum principia eſſe contra ſcripturam, & primo reformati paſſim negant ſacras traditiones contra Apoſtolum 2. ad Theſſ. 2. dicentem *Tenete traditiones, quas didiciſtis, ſiue per ſermonem, ſiue per epiſtolam noſtram*, item 2. ad Thim. 1. verſ. 13 *for-*

mam

mam habe ſanorum verborum, quæ à me audiſti in fide, & dilectione in Chriſto Ieſu, ex quibus apertè conſtat Apoſtolum multa ad fidem, & mores ſpectãtia tradidiſſe per ſe viua voce ijs quos alloquitur, præter illa, quæ ad eoſdem ſcripſit.

Secundo plerumque à prætenſis reformatis tenetur homines carere libero arbitrio. contra illud Gen. 4. *Nonne ſi bene egeris, recipies, ſin autem male ſtatim in foribus peccatum aderit? ſed ſub te erit appetitus eius, & tu dominaberis illius*. item eſt contra innumera alia ſcripturæ loca paſſim vidẽda apud Bellarminum, & alios.

Tertio aſſerunt nonnulli reformati in ſuis confeſſionibus, quod peccatum originale quoad culpam remaneat in baptizatis, contra illud Act. 2. verſ. 38. *Baptizetur vnuſquiſque veſtrũ in nomine Ieſu Chriſti in remiſſionem peccatorum veſtrorum.* &c. idem habetur alijs locis 1. ad Corin. 6. verſ. 11. ad Rom. 6. verſ. 2.

Quarto aiunt plures reformati omnia iuſtorum opera eſſe peccata. contra illud 1. ad Cor. 7. verſ. 28. *Si autem acceperis vxorem non peccaſti*. item eſt cõtra omnes illos textus, qui commendant exercitium bonorum operum Math. 25. verſ. 34. *Venite benedicti patris mei &c. eſuriui enim, & dediſtis mihi manducare, &c.*

Quinto paſſim dicunt prætenſi reformati, Dei præcepta eſſe impoſſibilia, contra illa ſcripturæ loca, quæ laudant multos iuſtos, vt habetur de Noe Gen. 6. verſ. 8. & 9. de Iob. cap. 1. ſui libri de Zacharia, & Elizabeth, Lucæ 1. verſ. 5. item 1. Ioan. 5. verſ. 5. dicitur, & mandata eius grauia non ſunt; & alibi paſſim.

Sexto eſt commune axioma reformatorum ſolam fidem iuſtificare. contra illud Iacobi cap. 2. v. 14. *Quid proderit fratres mei ſi fidem quis dicat ſe habere, opera autem non habeat? numquid poterit fides ſaluare eum*. & infra *fides ſine operibus mortua eſt*. item

contra illud 1. ad Corint. 13. verſ. 2. *Si habuero omnem fidem, ita vt montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil ſum.* denique innumera ſunt ſcripturæ loca quæ neceſſitatem bonorum operum ad ſalutem inculcant.

Septimo receptum eſt apud reformatos hoc impium principium, nempe Sacramentum Euchariſtiæ eſſe tantum ſignum, ſeu figuram corporis Chriſti, non vero continere realem illius præſentiam contra expreſſa ipſius Chriſti verba Ioan. 6. à verſ. 52. & deinceps: *Panis quem ego dabo caro mea eſt pro mundi vita.* & infra, *niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vbis, qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam: caro enim mea vere eſt cibus, & ſanguis meus vere eſt potus.* quid expreſſius item contra eadem Chriſti verba in Euangeliſtis Mathæo, Luca, Marco, vbi dixit, *accipite, & manducate, hoc eſt corpus meum.*

Octauo tenent reformati quod Sancti non audiant, nec percipiant noſtras orationes in cælis contra illud Apocalypſis 5. verſ. 8. *habentes phialas aureas plenas odoramentorum, quæ ſunt orationes Sanctorum.* contra Apoſtolum Petrum in epiſt. 2. cap. 1. verſ. 15. vbi promittit ſe poſt obitum ſuum, oraturum pro ijs ad quos ſcripſit. deinde Zachariæ 1. verſ. 12. Angelus orauit ad Deum pro Ciuitate Ieroſolyma.

Nono volunt reformati nullum dari ignẽ Purgatorium poſt hanc vitam, vbi ſatisfactio in vita non completa, adimpletur, & ex quo anima purgata tranſit ad cælum; in quo reformati contradicunt ſcripturæ 1. ad Corin. 3. verſ. 13. *Vniuſcuiuſq; opus manifeſtum erit, dies enim Domini declarabit, quia in igne reuelabitur, & vniuſcuiuſque opus quale ſit, ignis probabit, ſi cuius opus manſerit, quod ſuperædificauit, mercedem accipiet: ſi cuius opus arſerit detrimentum patietur: ipſe autem ſaluus erit, ſic tamen quaſi per ignem.* De-

Decimo reijciunt reformati abſolutionem Sacramentalem, & confeſſionem auricularem: contra ipſum Chriſtũ Ioan.20. verſ.22.23. *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta ſunt,* & Matth. 18. verſ.18. *Amen dico vobis quæcumque alligaueritis ſuper terram, erunt ligata, & in cælo: & quæcumque ſolueritis ſuper terram, erunt ſoluta, & in Cœlo.*

Vndecimo, vt plura alia omittam, tenent reformati pro præcipuo ſuæ prætenſæ reformationis fundamento veram Chriſti Eccleſiam errare poſſe, & erraſſe: contra illud Matth.16. *Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduerſus eam.* 1. ad Tim.3. *Eccleſia Dei viui, quæ eſt columna, & firmamentum veritatis.* Io: 14. *Ego rogabo Patrem, & alium paraclitum dabit vobis, vt maneat vobiſcum in æternum, ſpiritum veritatis.* Math.28. *Et ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad conſummationem ſæculi.*

ARTICVLVS IV.

Doctrina prætenſæ reformationis in pleriſque capitibus eſt contraria naturali lumini, & blaſphema in Deum, & Chriſtum.

ORthodoxa fides non eſt contraria rationi naturali, licet ſit ſupra rationẽ, nec vna veritas eſt contraria alteri veritati, ſed mendacio dumtaxat, fides teſte Apoſtolo ad Titum 2. verſ.8. eſt *Verbum ſanum, & irreprehenſibile*, prætenſa vero reformatio non ſolum eſt contraria fidei catholicæ, vt hactenus vidimus, ſed etiam rectæ rationis dictamini.

Et imprimis quid magis rationi naturali aduerſum quam aſſerere, quod Deus impoſſibilia præcipiat quod cõmuniter aſſerunt reformati: ratio enim dictat Deum eſſe ſumme bonum, & ſumme ſapien-

tem, repugnat autem ſummæ bonitati, & ſapientiæ præcipere ea quæ quis obſeruare, vel facere non poteſt.

Secundo eſt axioma receptum apud prætenſam reformationem, quod homo non habeat liberum arbitrium: cum tamen experientia quotidiana doceat contrarium. rurſus negare liberum arbitrium eſt omnia peccata tollere, cum nemo peccet in eo, quod vitare non poteſt; eſt euertere omnes leges tam diuinas, quam humanas; eſt ſternere viam omnibus criminibus, rapinis, rebellionibus; cum tamen certum ſit nos libere omittere, & facere, quæ omittimus, & facimus.

Tertio eſt contra lumen naturale, quod neceſſitas peccandi proueniat ex Deo volente ipſum peccatum ſub ratione peccati, vt habet Caluinus ſæpe: cum tamen ſit ſuprema, & infallibilis regula recti, cui dũ nos in operando conformamus, non male, ſed bene facimus: præterea quomodo Deus poteſt velle poſitiue illud, quod eſt contrarium propriæ ſuæ naturæ: peccatum autem, qua tale, eſt ex diametro oppoſitum naturæ diuinæ; nam Deus eſt ipſa bonitas, peccatum qua tale eſt ipſa malitia.

Quarto repugnat naturali rationi, quod peccata quantumuis enormia, nihil noceant veris fidelibus neque eis imputentur, axioma eſt prætenſæ reformationis in actibus ſynodi Dordracenſis, ita vt liceat reformatis furari, rapere, fornicari, adulterari impune, & libere, ſine periculo ſalutis, ſine iactura ſuæ prætenſæ ſanctitatis: vſque adeo vt nec ipſe Atheiſmus præbeat maiorem cauſam, vel libertatem malefaciendi, quam habuit impium hoc dogma.

Ad hæc primi iſtius prætenſæ reformationis fabri, multas conglomerant blaſphemias in Deum, & Chriſtum, quas eorum ſequaces nec vnquam reprobarunt, neque ex eorum ſcriptis eraſerunt, quod indicium eſt illas eiſdem ſequacibus nunquam displicuiſſe,

Et

Et prima blaſphemia eſt Deum non eſſe omnipotentom, non ſolum ad faciēda quæ vult, ſed etiam quæ non implicant contradictionē: traditur á Caluino lib. 3. inſtit. cap. 23. §. 2. ſuper Iob cap. 11. ſuper Iſaiam, cap: 23. verſ. 9. aſſerens oppoſitam ſententiam eſſe ſomnium Theologorum, eandem blaſphemiam adſtruit Beza lib. 2. contra Film. Hesbuſſum.

Secunda blaſphemia eſt, quod Deus non ſit ſubſtantialiter præſens in omnibus locis, ſed tantum in Cælo: traditur á Voſio Caluiniſta, tract. de attributis diuinis; vnde ſequeretur Verbum Incarnatum deſeruiſſe cælum, quando aſſumpſit naturam humanam.

Tertia blaſphemia eſt Chriſtum nihil nobis meruiſſe. eſt Caluini lib. 2. *inſtit.* c. 17. §. 1. & *6.* quod Chriſtus quantum in ipſo fuit recuſauerit officium redemptoris. in harmonia ſuper Matth. cap. *26.* verſ. *39.* quod non erit iudex ſuper peccata verorum fidelium. ſuper Matth. cap. 17. verſ. *26.* hinc in Cathechiſmo Caluiniſtarum dominica 13. docentur pueri non timere iudicium extremum.

Quarta blaſphemia eſt, quod imago Chriſti crucifixi ſit deteſtabilis. traditur á Dauide Paræo in Commētarijs ſuper caput primum epiſt. ad Roman. item, á *Beza* in colloqoio Monpelgardenſi.

Quinta, & horrenda blaſphemia eſt, Chriſtum in cruce deſperaſſe, pænas inferni ſuſtinuiſſe, fuiſſe in vita ignorantem, priorem blaſphemiam tradit impius Caluinus in commentario ſuper epiſtolam ad Gal. cap. *3.* verſ. 13. poſt Lutherum ſuper eandem epiſtolam cap. *3.* edit. Vitenberg. ſecundam tradit Caluinus ſuper Matth. cap. *26.* verſ. *39.* & cap. 27. verſ. *26.* 47. & 57. item lib. 2. inſtit. cap. 16. §. 10. tertiam tradit ſuper S. Lucam cap. 2. verſ. 40. & alibi eaſdem blaſphemias repetit Cathechiſmus Caluiniſticus dominica decima, vbi miniſtri interrogant puerum, *Quomodo poteſt fieri, quod Chriſtus fuerit*

in tali damnationes? Reſp. *non fuit, vt in ea permaneret*. O doctrinam execrabilem! O ſententias deteſtabiles! & vbi oculi, vbi aures, vbi mentes, & corda illorum infęlicium, qui tam blaſphemos, tam diabolicos magiſtros ſequuntur in barathrum infęlicitatis æternæ.

SECTIO ALTERA.

Pleniſsima libertas prætenſæ reformationis credendi quodlibet, & non credendi, ſeu credendi contradictoria, mutandique fidem ſuam pro libitu.

ARTICVLVS I.

Afferuntur fundamenta huius impiæ libertatis.

QVidam anonymus author fuſe, & acurate refert, ac deſcribit hanc prætenſæ reformationis contradicendi ſibi ipſi, & quodlibet credendi libidinem: ego quæ magis inſtituto meo deſeruiunt, ſeligam.

Primo igitur prætenſi reformati iuxta ſua principia exiſtimant ſibi licere credere, quæ Lutherus, Caluinus, Beza crediderunt, & docuerunt, fuerunt enim primi fabri, & Architecti prætenſæ reformationis: confeſſio Gallica art. 31. eos vocat homines extraordinario modo ſuſcitatos ad formãdam nouam Eccleſiam hinc.

Secundo Caluiniſtæ poterunt credere, & facere, quæ ipſorum Fratres Lutherani credunt, & faciunt: ambo enim faciunt vnam Eccleſiam; nam Synodus Charentonenſis anno 1631. habita declarat, quod in religione Lutherana, illiuſq; cultu nihil ſit contra fidem, aut pietatem.

Ter-

Tertio poſſunt prætenſi reformati in vna Prouincia exiſtentes credere, & tenere, quæ alij prætenſi reformati alibi commorantes tenent,& credunt, v.g. puritani in Anglia, Zuingliani in Germania, Antitrinitarij in Hungaria, item poterunt credere, & tenere quidquid diſciplina prætenſa reformata, quidquid nationales Synodi, quidquid Theologi reformati vbicumque degentes docent, & credunt.

Quarto tamen non ſunt obligati prætenſi reformati quidquam horum credere, vel tenere, quæ tenuerunt, vel crediderunt Lutherus, Caluinus, Beza: nihil horum profiteri tenentur, quę profeſſi ſunt, vel profitentur lutherani, puritani, Theologi reformati, Synodi nationales,vel diſciplina reformata, non ſolum quia contradictorie ſibi inuicem opponuntur, & quia impoſſibile eſt contradictoria ſimul credere,, ſed etiam, quia neque Eccleſiæ particulares reformatæ, nequæ Synodi nationales, neque doctores habent vllam infallibilitatem in rebus fidei, vt ipſa reformationis principia, palam clamant: hinc nulli regulæ ſubduntur reformati, ne quidem ipſi Scripturæ, in qua reformati Angli inueniunt Epiſcopatum, reformati Galli, nullum eius veſtigium inueniunt, alij reformati inueniunt regimen Monarchicum Eccleſiæ immediate,& plene ſubiectum principibus temporalibus,alij vero reformati inueniunt tantum in ea regimen Democraticum, Lutherani in ea inueniunt realem præſentiam corporis, & ſanguinis Chriſti in Sacramento Euchariſtiæ, at vero Caluiniſtæ,& reformati Angli inueniunt tantum in ea figuram corporis, & ſanguinis Chriſti in Euchariſtia.

Non igitur patitur ſupercilium reformationis vllam infallibilem regulam, cui in credendo acquieſcat, vel obediat, non ſtat eius libertas cum præcepto, vel obligatione credendi, illa vult ſibi licere ſine vllo ſcrupulo, ſine periculo propriæ ſalutis credere,& non credere,facere, & nō facere pro libi-

tu, libertatis huius principale fundamentum iactum fuit in duabus Synodis nationalibus Gallicanæ reformationis, nempe Charantonenſi, & Montiſpeſſulana, in illa deciſum fuit licere Caluiniſtis, Galliæ credere, & tenere, quod credunt, & tenent Lutherani; in hac indultum fuit ad vniendos reformatos, vt credant, vel non credant quæ volunt circa myſteria Redemptionis. alterum huius libertatis fundamentum deſumptum eſt ex ipſius reformationis principijs, & praxi hinc ſit.

ARTICVLVS II.

Libertas prætenſæ refonrationis credendi, & non credendi pro libitu quod voluerit circa myſteria redemptionis noſtræ, & Euchariſtiæ.

PRimo licitum ſibi faciunt reformati credere, quod Chriſtus ſit mortuus pro omnibus hominibus, vt habet Apoſtolus 1. ad Corinth. 14. 1. ad Tim. 2. 1. Ioan. 2. ita tenent paſſim Fratres Lutherani: licitum tamen eſt eiſdem pro ſua libertate credere oppoſitum nempe mortuum eſſe Chriſtum pro ſolis electis, vt habet Caluinus contra Hesbuſſium: libertas credendi huiuſmodi contradictoria, conceſſa eſt reformatis in eorum Synodis Viz: Dordracena, Tornenſi, Alenſonenſi anno 1637. Charentonenſi anno 1644. Montiſpeſſulana anno 1654.

Secundo licitum eſt reformatis credere cum Lutheranis quod Deus velit omnes homines ſaluos fieri, & ad agnitioné veritatis venire vt habet Apoſtolus 1. ad Tim. 2. & 4. cap. id docent præfati Lutherani apud Matthiam Haſſenreferum in locis Theologicis lib. 3. loco 1.

Permiſſum nihilominus eſt illis profiteri contrarium cum Caluino, Beza, Zanchio, & alijs Caluiniſtis, hæc libertas fundatur in Synodis ſuperius citatis.

Ter-

Tertio permiſſum eſt reformatis Caluiniſtis, & puritanis,tenere quod non detur realis præſentia corporis, & ſanguinis Chriſti ſub ſpeciebus conſecratis; permiſſum eſt etiam eiſdem credere quod detur realis præſentia corporis, & ſanguinis Chriſti ſub prædictis ſpeciebus,idque ex Synodo Charentonenſi, vt vidimus ſupra.

Quarto permiſſum eſt reformatis celebrare, & ſumere cænam Domini ſub vna ſpecie, vt vult Lutherus lib.de captiuitate Babylonica, vt vult etiam diſciplina eccleſiaſtica Caluiniſtarum art.107.

Permiſſum eſt etiam vt reformati celebrent, & ſumant eandem cænam, ſub vtraq; ſpecie,vt vult communis illorum praxis.

Quinto permiſſum eſt iiſdem celebrare cænam in quacumque alimenti ſpecie v. g. raparum, halecum, fructuum, aquæ, lactis, mellis, ſiceræ &c. ſic enim permittit Beza in epiſt. 2. ſic permittit Synodus Geneuenſis teſte eodem Beza epiſt.25.

Permiſſum tamen eſt practicare oppoſitum,nempe celebrare cænam in ſpecie panis, & vini dumtaxat, vt faciunt reformati paſſim.

Sexto permiſſum eſt reformationi credere omnes homines cuiuſcumque ſexus viros ſcilicet,& fęminas eſſe capaces Sacerdotij, atque adeo cænam etiam à mulieribus poſſe confici, ita habet reformatorum Anteſignanus Lutherus tomo 2. edit. Ienen. lib.de inſtituendis miniſtris Eccleſiæ pag.150.

Permiſſum eſt in praxi credere, & exercere oppoſitum, manente tamen libertate vt fæminę cōficiant, vel non conficiant cænam.

Septimo permiſſum eſt Caluiniſtis venerari Caluinum ſuum tanquam hominem à Deo miſſum,eiuſq; doctrinam recipere,& venerari quantumuis blaſphemet Chriſtum, vti facit in Harmonia Euangelica ſuper S. Lucam cap.2. verſ.4. ſuper S. Matthæum cap.21.verſ.18.cap.24.verſ.18.cap.26.verſ.39.

Permiſſum tamen eſt Fratribus Lutheranis non

obſtante vnione inter vtramque factionem inita in Synodo Charentonenſi, Caluinum, eiuſque doctrinam execrari,& impugnare: teſte Haſſenrefero paſſim.

Octauo permiſſum eſt reformationi ſi illi fidem habemus,credere qnod ſpiritus ſuggeſſerit Zuinglio dare his verbis, *Hoc eſt corpus meum*, hanc explicationem, id eſt, hoc ſignificat meum corpus, & quod particula *eſt* fuerit ſubſtituta, in inſtitutione cænæ loco huius particulæ *ſignificat*.

Permiſſum tamen eſt, eidem reformationi, ex ipſo Zuinglio lib. de ſubſidio Euchariſtiæ, ctedere hunc ſpiritum, qni iſta illi ſuggeſſit, fuiſſe diabolum.

Nono permiſſum eſt prętenſis reformatis credere ſpiritum, qui fuit author reformationis, dictaſſe Luthero, vt abrogaret miſſas priuatas.

Permiſſum etiam eſt ex ipſo Luthero tomo 7. edit. Vvittenberg. §. *contigit me ſemel ſub. mediam noctem* credere hunc ipſum ſpiritum, qui id dictauit, fuiſſe diabolum. *Satan* inquit Lutherus ibidem *incepit mecum hanc diſputationem, audi Luthere doctor ter docte, tu ſcis bene te per quindecim annos quotidie fere celebraſſe miſſas priuatas, & quid diceret ſi eiuſmodi miſſæ haberent rationem idololatriæ: confeſſus ſum coram diabolo me peccaſſe, & rationibus diaboli conuictum aboleuiſſe eam, ſcilicet miſſam priuatam*: hæc Lutherus.

ARTICVLVS III.

Libertas prætenſæ reformationis credendi, & non credendi pro libitu quæ ſpectant ad Sacramenta Baptiſmi, Pœnitentiæ, & Matrimonij.

PRrimo permiſſum eſt apud reformatos, vt etiā fęminæ, pro libitu, & ſine neceſſitate baptizent,
quia

quia ex doctrina Lutheri tomo 2.edit. Ienen. omnes v triuſq; ſexus ſunt Sacerdotes.

Permiſſum eſt etiam contrarium in praxi facere.

Secundo permiſſum eſt in quolibet liquore baptizare, ita concedit Beza epiſt. 2. licitum eſt etiã ſentire oppoſitum, & baptizare in ſola aqua,

Tertio poſſunt reformati credere dari Sacramentum pœnitentiæ, , id enim docet Lutherus tom. 1. edit. Ien. & tamen ijdem reformati, & ſcripto,& praxi libere credunt oppoſitum.

Quarto liberum eſt reformatis ex Caluino lib. 3. inſtit. cap. 4. confiteri cui voluerint etiam fœminis. Liberum etiam eſt eiſdem nec fœminis,nec vlli confiteri, vt faciunt in praxi.

De Matrimonio.

Quinto permiſſum eſt ex doctrina prætenſę reformationis, vt vnus vir plures ſimul habeat vxores exemplo Abraam, Iacob, Dauidis: ita enim docet Lutherus in explicatione Geneſis, vbi ait Polygamiam, neque præceptam, neque prohibitam eſſe in ſcriptura; & in hoc puncto poſſe quem ſequi exemplum Patriarcharum, vnde Philippus Lantgrauius Haſſiæ de hac re conſuluit miniſtros Lutheranos, qui reſponderunt polygamiam non aduerſari Euangelio vtique reformato, hinc iuxta doctrinam Lutheri conſentiente etiam propria vxore concubinam ſuper induxit, id refert Auguſt. de Theu.lib.39.

Licitum tamen eſt alijs reformatis præſertim proteſtantibus Angliæ,quamuis teſte Vitakero olim venerarentur Lutherum, vt ſuum patrem, hanc ipſam doctrinam, & libertatem reſpuere, ac ſub pæna mortis prohibere, vti prohibuit parlamentum anno primo Iacobi Primi Regis.

Sexto liberum eſt reformatis vt ſint contenti ſua vxore, liberum tamen eſt ijſdem quando vxor eſt moleſta, aſpera, vel capitoſa, eam dimittere, &

alte-

alteram ducere, ita prætenſæ reformationis protoparens Lutherus ſermone de matrimonio, to.5. ſuorum operum *ſi perſiſtat.* inquit, *vxor in ſua peruicacia, ſi nolit cedere, nolit acquieſcere marito, veniat ancilla, exemplo Regis Aſſueri, dimitte va ſthi, & duc Heſteram*, at ex decreto parlamenti Anglicani reformati proteſtantes iſtam protoparentis Lutheri libertatem licite reſpuunt.

Septimo liberum eſt prætenſis reformatis cum ſuo Luthero ſentire tam impoſſibile eſſe iueni cum peruenerit ad vigeſimum ætatis annum, vel puellæ, cum attigerit decimum octauum annum, abſtinere à copula carnali, quam viuere ſine cibo, & potu, ſic docet Lutherus ſermone de matrimonio to.5.

Permiſſum tamen eſt alijs fratribus reformatis, ſentire contrarium, præſertim cum Regina Elizabeth teſte Famiano ſtrada lib.1. decade 2. de bello belgico, deſtinauit duos deputatos ad ſynodos reformationis Gallicanæ proteſtans eis, niſi declararent, quod perpetuus cælibatus non eſſet res impoſſibilis, quod ipſa, & eius Eccleſia reformata ſe ſepararent ab illarum communione.

Octauo permiſſum eſt coniugi reformato, ſi deprehenderit vxorem in adulterio, eam dimittere, & aliam ducere; ita docet Caluinus lib.4. inſtit.c. 19. §. 37. ac diſciplina prætenſæ reformationis art.129, liberum etiam eſt alijs reformatis iſtam recuſare doctrinam.

Nono indultum eſt vxori prætenſæ reformatæ quando coniux diu abeſt, nubere alteri viro, etiam antequam recepit noua de morte prioris mariti. ita docet prætenſæ reformationis diſciplina art.131.

Indultum etiam eſt in praxi expectare noua de morte mariti antequam contrahat cum alio viro.

Decimo liberum eſt credere quod Sacerdotes, Monachi, Religioſi, profeſſi, male faciant, dum transfugæ ad prætenſam reformationem ducunt vxores.

In-

Indultum tamen eſt ſimilibus etiam vxores ducere, Lutherus protoparens reformationis duxit Catherinam Boream Monialem, Caluinus Sacerdos duxit IdelettamBuream, Beza Monachus duxit candidam.

ARTICVLVS IV.

Libertas prætenſæ reformationis credendi, vel non credendi quæ ſpectant, vel conducunt ad iuſtificationem, vel ſalutem.

PRimo indultum eſt reformatis credere, quod non detur liberum arbitrium in homine, ita Lutherus in aſſertionibus artic. 3. Caluinus lib. 2. inſtitut. cap. 3. §. 10.

Permiſſum tamen eſt credere quod detur liberum arbitrium, vt tradit Paræus de gratia, & libero arbitrio lib. 4. cap. 10. Vitakerus contro. 2. qu. 7. cap. 7.

Secundo indultum eſt reformatis cum Luthero in cap. 4. epiſt. ad Gal. verſ. 27. ſentire decalogi obligationem ceſſaſſe.

Indultum tamen etiam eſt ex praxi tribunalium apud reformatos credere quod decalogus obliget.

Tertio indulget doctrina reformata petere à Deo veniam peccatorum, id habet praxis ſatis, cõmunis reformationis per recitationem orationis dominicæ, & iſtorum verborum, *dimitte nobis debita noſtra.*

Indulget etiam ſentire id non eſſe neceſſarium, quia ex Caluino, & Beza in epiſt. ad Hebr. cap. 10. *Chriſti ſanguini tribuitur, quo quiſquis eſt irrigatus, & à præteritis, & à futuris peccatis liberatus eſt in æternum.*

Quarto indulget eadem doctrina apud Caluinum lib. 4. inſtit. cap. 15. §. 3. lib. 1. cap. 18. §. 4. & alibi ſentire Deum eſſe authorem peccati.

Indulget illa eadem credere apud Molinæum eiuſmodi ſententiam eſſe horrendam, & diabolicam.

Quinto permittit reformatio credere vanum, & inutile eſſe obſeruare Dei præcepta, vtpote impoſſibilia: ita Caluinus lib.2.inſtit cap.7. §.5.

Permittit tamen illa eadem ſentire contrarium in ſuo Cathechiſmo Dominica 32.

Sexto indulget reformatio obſeruare ordinationes factas in diſciplina eccleſiaſtica reformata artic. 93.96.100.

Indulget tamen Caluinus alter reformationis parens lib.4. inſtit.cap.10. §.27. eiuſmodi ordinationes non obſeruare, vtpote inutiles, & minime neceſſarias.

Septimo permittit doctrina reformata artic. 4. confeſſionis Gallicanæ, credere quod quilibet poſſit per ſuum ſpiritum priuatum diſcernere ſcripturas canonicas, à non canonicis.

Permittit tamen Molinæus vnus ex reformationis Coriphæis credere, eiuſmodi ſpiritum eſſe meram ſtultitiam.

Octauo docet Caluinus Gallicanæ reformationis Anteſignanus lib.4.inſtit. c.17. §.2. omnes prætenſos reformatos eſſe electos, & prædeſtinatos.

E contra tamen Bartolæus Kechermannus in Syſtem. Sacræ Theologiæ lib.3. cap.6.de Eccleſia, docet non omnes prætenſos reformatos eſſe aut electos aut prædeſtinatos, ſed inter eoſdem nō paucos etiam eſſe reprobos, & hyppocritas.

Nono prætenſi reformati extollunt in aſtra ſuum Lutherum tanquam reformatorem Eccleſiæ vſque adeo vt ei concinant ſequentes verſus.

Chriſtus habet primas, habeas tibiPaule ſecūdas, at loca poſt illos, proxima Luther habet. Alij tamen etiam ex reformatis agnoſcunt Lutherum fuiſſe diaboli diſcipulū, nec reformatorem Eccleſiæ, ſed deſtructorem fuiſſe omnis veræ pietatis hinc nonnulli è contrario cecinerunt verſus ſequentes.

Cain

Cain habet primas, habet Iſcariota ſecundas, at loca poſt illos proxima Luther habet.

Decimo permittit prætenſa reformatio cum Caluino lib. 4. inſtit. cap. 19. credere confirmationem non eſſe Sacramentum, ſed potius inuentionem hominum.

Permittit tamen eadem reformatio apud confratres proteſtantes Anglos, credere quod confirmatio ſit Sacramentum, & inſtitutio apoſtolica, ita Synodus Londinenſis Canone decimo.

Vndecimo indulget eadem reformatio, credere, quod ſæculis elapſis ante aduentum Lutheri nulla fuerit vera Eccleſia, vt habet confeſſio Gallica artic. 31.

Permittit tamen eadem reformatio credere oppoſitum, quod nimirum extiterit ſemper à morte Chriſti vera Dei Eccleſia, ita enim habet confeſſio Auguſtana cap. 7. confeſſio Heluetica cap. 17. confeſſio Scotica art. 16. & aliæ multæ confeſſiones reformatæ. Imo & Caluinus ipſe lib. 4. inſtitutionum cap. 1. §. 17.

Duodecimo prætenſa ſanctitas prætenſæ reformationis permittit retineri à reformatis ea quæ Catholici Romani vocant beneficia Eccleſiaſtica, & dignitates v. g. Archiepiſcopatus, Epiſcopatus, Abbatias, Prioratus, Canonicatus, Præbendas cum ſuis redditibus, ita enim habet praxis Confratrum reformatorum in Germania, & Anglia, ac Scotia.

Permittit tamen eadem prætenſa Sanctitas credere contrarium, nempe poſſeſſionem, & retentionem eiuſmodi beneficiorum, & dignitatum, eſſe abominabilem, & eſſe abuſum introductum à Papiſtis ſic enim ſentiunt confratres reformati Galli.

Decimotertio indulget prætenſa reformatio credere quod bona opera non ſint neceſſaria ad ſalutem, ita paſſim confeſſiones reformatæ. Permittit tamen eadem reformatio credere contrarium cum

Miniſtris Charantonenſibus in ſuo Cathechiſmo pag. 44.

Decimoquarto denique prætenſa reformatio indulget ſuis filijs non ſolum credere, & non credere articulos fundamentales ſuæ reformationis, ſed etiam in vno tempore illos credere, & in alio tempore illos non credere, hodie illos credere, & cras illos non credere, ſic enim indulget in vnione facta inter Fratres Lutheranos, & Fratres Caluiniſtas in Synodo Charantonenſi habita anno 1631. ante prædictam Synodum Fratres reformati Galli credebant realem præſentiam eſſe hæreſim, poſt illam Synodũ credunt non eſſe hæreſim: ante prædictam Synodum credebant ijdem fratres quod adorare Chriſtum præſentem ſub ſpeciebus conſecratis, eſſet idololatria, poſt prædictam Synodum credũt eiuſmodi adorationem non eſſe idololatriam. Ante vnionem factam in præfata Synodo credebat reformatio Gallica, quod colere Imagines eſſet colere Idola: nunc poſt illam vnionem credit oppoſitum.

Ante ſentiebat non eſſe licitum credere, quod Chriſtus ſit mortuus pro omnibus hominibus, nunc ſentit licitum eſſe id credere.

Tandem quod inter Catholicos Romanos ſemel eſt hæreticum declaratum, ſemper habetur hæreticum: quod ſemel cenſetur neceſſarium ad ſalutem ſemper cenſetur, ita neceſſarium: ſed libertas prętenſæ reformationis permittit credere hodie hoc eſſe hæreticum, cras non eſſe hæreticum; hodie hoc eſſe neceſſarium ad ſalutem, cras hoc ipſum non eſſe neceſſarium ad ſalutem.

Demum quamuis Religio prætenſa reformata glorietur ſe facere vnam Eccleſiam ex reformatis Scotiæ, Angliæ, Gallis, Hollandis, Germanis, Lutheranis, Proteſtantibus, Caluiniſtis, Puritanis, Zuinglianis, Anabaptiſtis, Tremulis, Independentibus, & alijs ſimilibus, adhuc tamen illa eadem reformatió, pleniſſimâ concedit libertatem ſuis filijs, diuerſa di-

diuerſis in locis credere, vt aliud credant Angli, diuerſum Galli, oppoſitum Germani, contrarium Hollandi, & ſic deinceps alij, ac tandem nihil credant hæc Cataſtrophe patet ex ipſius reformationis principijs pro diuerſitate locorum, & nationum diuerſis, & ſibi mutuo oppoſitis.

ARTICVLVS V.

Libertas prætenſæ reformationis reſuſcitandi veteres, & prædamnatas hæreſes, eaſque pro baſibus ſuæ Religionis ſtatuendi.

PRimo cum Iuda Iſcariota, & Capharnaitis Io: 6. deinde cum Sacritarijs, Symonianis, Saturnianis, de quibus Sanctus Ignatius Martyr in Epiſtola ad Smirnenſes, citata à Theodoreto in Dialogo tertio, Mahometanis, Armenis, Albanenſibus, Berengario, Petrobuſianis, Albigenſibus, Vviclefiſtis, & alijs eiuſmodi fæcibus, realem negat præſentiam Corporis, & Sanguinis Chriſti in Euchariſtia prætenſa reformatio Gallica, Anglica, Scotia, Hollandica &c.

Secundo cum Nouatianis vim, & efficaciam Sacramenti pænitentiæ, negat eadem reformatio.

Tertio cum Manichæis liberum arbitrium infìciatur, virginitatem impugnat, matrimonium eſſe Sacramentum negat.

Quarto cum Iacobitis, Vvaldenſibus, Albigenſibus, flagellantibus, Vviclefiſtis reijcit confeſſionem Sacramentalem.

Quinto cum Vvaldenſibus, & Ruthenis reformatio Gallica, Hollandica, Germanica negat Sacramentum confirmationis.

Sexto cum Albanenſibus, Vvaldenſibus, Ruthenis repudiat Sacramentum extremæ vnctionis.

Septimo cum Manichæis, Iuliano Apoſtata, Euſtathianis, Vigilantianis, pſeud Apoſtolicis reijcit

cit prætenſa reformatio Sanctorum venerationem, & inuocationem.

Octauo cum Manichæis, & enumeratis iam proximè hæreticis, nec non Vviclefiſtis, Huſſitis reprobat eadem reformatio, ſacrarum Reliquiarum honorem, & vſum.

Nono cum Simonianis Ebionitis, Elxai, Manichæis, Iouinianiſtis, Vigilantianis, Vvaldenſibus, Beguinis, & Beguardis celibatum Sacerdotum, & religioſorum improbat præfata reformatio.

Decimo vota Monaſtica cum Lampetianis, & Vviclefiſtis damnat.

Vndecimo cum Pelagianis, & Donatiſtis habitus, paramenta, ornamenta, & vaſa eccleſiaſtica reijcit, & ſpernit.

Duodecimo, Purgatorium, & ſuffragia pro fidelibus defunctis cum Aerio, Armenis, Photio, Petrobuſſianis, Vvaldenſibus, Albigenſibus, & Ruthenis reſpuit.

Decimotertio iterum cum Iuliano Apoſtata, Mahometo, Iudæis, Iconoclaſtis Borgomilis, Vvaldenſibus, Albigenſibus, Taboritis, ſacrarum Imaginum, vſum, & honorem impugnat reformatio.

Decimoquarto ieiunia eccleſiaſtica, & abſtinentias cum Gnoſticis, Euſtathianis, Aerianis, Meſſalianis, Iouinianiſtis, Vigilantianis, Vvaldenſibus, Beguardis, Vviclefiſtis reijcit.

Decimoquinto miracula in Eccleſia Romana facta, & fieri ſolita, more Iudæ Iſcariotis, Simonianorum, & Vvaldenſium paruipendit reforamtio.

Vt alia plura omittam ex his manifeſte apparet prætenſam reformationem eſſe conſarcinatam, & compactam ex fæcibus, ac ſentina blaſphemiarum veterum hæreticorum, adeo vt teſte S. Irenæo lib. 5. cap. 29. *Sit recapitulatio vniuerſæ impietatis, & doli.*

Hinc rurſus luculenter apparet prætenſos reformatos vere eſſe hæreticos dum mordicus præ-

fatas

fatas doctrinas præcedentium hæreticornm defendunt, eo vel maxime quod plerique ex ipſis reformatis authoribus, fateantur Mõtaniſtas, Manicheos, Donatiſtas, Gnoſticos, & alios ſuperius enumeratos, fuiſſe hæreticos.

Denique ſequitur non eſſe opus nouo concilio, ad condemnanda prætenſæ reformationis dogmata cum elapſis iam temporibus, fuerint ab Eccleſia, & concilijs damnata.

Videant nunc prætenſi reformati an æternitatis ſuæ negotium pendere velint à religione fallaci, & eſſentialiter fallibili, quæ omnem æternæ fælicitatis conſequendæ certitudinem ex profeſſo tollit, vt vidimus tota diſtinctione prima; quæ æternæ ſalutis medijs renuntiat, vt patet diſtinctione ſecunda, quæ omnem fidem abijcit, vt oſtendit diſtinctio tertia; quæ denique contradictionibus, impoſturis, blaſphemijs veterum hæreſum fæcibus, principijs ſibi mutuo repugnantibus irreligioſa quodlibet credendi, & non credendi libidine ſcatet, & fætet, vt oſtendit diſtinctio quarta: & expendant ijdem reformati, an non tutius, & certius committant ſalutem ſuam religioni ex ſua inſtitutione, & profeſſione penitus infallibili, quam vt probem pergo ad ſecundam partem.

Finis Primæ Partis.

SECVRIS EVANGELICAE

Ad Hæreſis radices poſitæ,

PARS SECVNDA

Omnes de Religione Chriſtiana diſceptationes, in vna ſola expeditæ controuerſia, de perpetua infallibilitate Romanę Eccleſiæ.

Editio Secunda.

AVTHORE

FR. FRANCISCO PORTERO

Hiberno Medenſi Ordin. Minor. Prouinciæ Hiber. & in Collegio Romano Sancti Iſidori Sacræ Theol. Profeſſore.

ROMÆ,

Typis Dominici Ant. Herculis. MDCLXXXVI.

Superiorum Permiſſu.

PROTHEOREMA

TOTA præcedenti parte inueſtigaui habeant ne prætenſi reformati veram illã Religionem, in qua ſola datur generis humani ſalus; & inueni, ne vllius quidem apud eos, veræ Religionis extare veſtigiũ;nunc vlterius pergo,eiuſdem veritatis indagandæ gratia, deturne tandem in terris, & vbi, hæc ipſa Religio? vera, inquam, illa Chriſti Eccleſia, quam ipſe Matth.16. ſuper firmam petram,ſe fundaturum ſpopõdit: aduerſus quã portæ inferi nunquam præualebunt, quam Paulus Apoſtolus primæ ad Timot.3.vocat *Columnam, & firmamentum veritatis.* Pro qua D. Auguſtinus ſeſe toties defenſorem oppoſuit; præſertim in Pſal.101. *Exiſtunt, qui dicant, illa Eccleſia, quæ fuit omnium gentium, iam non eſt: perijt. Hoc dicunt, qui in illa non ſunt. O impudentem vocem! illa non eſt,quia tu in ea non es? vide ne tu ideo non ſis; nam illa erit.& ſi tu in ea non ſis. Hanc vocem abominabilem,& deteſtabilem, præſumptionis, & falſitatis plenam, nulla veritate ſuffultã, nulla ſapientia illuminatam, nullo ſale conditam, vanam, temerariam, præcipitem, pernicioſam præuidit ſpiritus Dei, quoniam quidam dicturi erant.* Fuit, & non eſt, *Exiguitatẽ* (Inquit Eccleſia ſcilicet) *Dierum meorum,annuntia mihi.* Et infra, *Quis annuntiauit,niſi ipſa vita? quomodo annuntiauit?* Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus, vſq; ad conſummationem ſæculi. (Matth.28.)

Hanc proinde ſuſcepiſſe cauſam eſt ipſiusChriſti partes defendere, & veraciſſima illius, de huius Eccleſiæ ſtabilitate,oracula propugnare. Nihil enim hac aſſertione ſolidius, increata ſapientia in ſuis dictis, factis, promiſſis,nec fallere, nec falli poteſt,nihil hac ratiocinatione liquidius, promiſit hæc eaſapientia, Eccleſiam ſuam ad conſummationem ſæculi

culi duraturam in terris, & nulli interim fore defe-ctioni obnoxiam: adeoq;quam verum eſt huic ſponſioni diuinæ nullum poſſe ſubeſſe mendacium; tam certum eſt, hanc eandem nunquam erraſſe Eccleſiam quam veritatem in huius operis decurſu euicendam aſſumpſi, eo confidentius,quod Chriſtianæ Religionis prærogatiuas me tutari exiſtimem: quod ſi tam iuſtæ ventilatio cauſæ vllius, vel bilẽ commouerit, vel concitauerit inuidiam; is ſi ſerio ſecum ipſe reflexerit facile iudicabit ſe me cum non habere litẽ; ſed cum Chriſto,cum veris omnibus Chriſtianis,cũ & illi promiſsorum veracitatem videatur auferre,& hos omni vera Religione priuare, ac æterna deniq; (quæ ſine iſta non datur) ſalute ſpoliare.

Vt igitur rationi conſentaneum eſt, inquirere, extiterit ne ſẽper,an extet,& extitura ſit hæc infallibilis Chriſti Eccleſia, in qua detur firmiſſima tum fidei diuinæ, tum ſalutis æternæ certitudo, ita hæc ipſa diſcuſſio nulli cenſeri debet iniuriam inferre. Quapropter in hac,de perpetua viſibilis Eccleſię infallibilitate, quæſtione,cæteras fidei controuerſias expediuiſſe, eſt omnes in vno reſcidiſſe nodo. Nam ſi ſemel ſtatuatur, veram,& viſibilem Chriſti Eccleſiam nec erraſſe,nec errare poſſe, & hanc eſſe Romanam; ſtabit, Romanam Eccleſiam nullis erroribus, aut eſſe, aut fuiſse obnoxiam; atque adeo in ea ſola dari veram ſalutem, dari pariter authoritatẽ paſcendi, & regendi oues Chriſti, definiendi, ac decidendi controuerſias, illique conſequenter eſſe omnino parendum; quia vero modernæ ſectæ extra veram iam Eccleſiam conſtitutę, ex omni vera Religione, vt vidimus exciderunt; hinc ab ipſa Religione in communi ducam exordium, inde ad eccleſiam eiuſque dotes tractatum deducam.

DISTINCTIO I.

De perpetua exiſtentia viſibilis Chriſti Eccleſiæ.

QVÆSTIO I.

De Religione in communi.

QVod olim ſuperſtitioſis idololatris in deorum numero, hoc idem ſectarijs contingit in Religionum varietate, vtque illi dum ſemel à Dei vnius cultu receſſerant, in numinum excurrebant pluralitatem, ita iſti, vt deſciuerunt à vera Eccleſia, ſic falſam ſuam Religionem, in tot diuiſere membra, quot ſunt apud eos hominum capita: tandem vt illi in multitudine deorum, nullum habuere verum Deum, ſic iſtis multitudo religionum, omnem veram ſuſtulit relgionem, ex vera enim Eccleſia lapſi, nihil inueniunt ſolidi, vbi pedem figere, vbi mentem firmare ſciant: vnde plerique ex illis incipiunt fluctuare animo, ac prorſus dubitare de toto religionis negotio, ſitne res potius ad populum metu numinis, & pietatis prætextu in officio continendum conficta, an vero ad æternam ſalutem conductura: atque adeo perinde hi putant in hac, vel illa viuere religione, ac eſſet gregario militi, quoad ſeruiendum principi, in eodem exercitu, mereri ſub hoc vel illo duce: hinc apud eos ſupina religionis negligentia, hinc exigua, vel nulla penitus æternæ ſalutis cogitatio, hinc omnis de colendo Deo vel neglecta, vel contempta ſollicitudo, hinc denique virtutum Chriſtianarum, aut exiguum ſtudium, aut perpetua obliuio, qui mortis æternæ ſopor naſcitur ex impijs eorum princi-

pijs toto præcedenti opere relatis, quare antequam de Eccleſia tractem, contra hos quæſtionem hanc ſuccinctè collectam præmittere volui.

ARTICVLVS I.

Datur in mundo vera Religio.

NOmen Religionis vſurpatur apud doctores in ordine ſolum ad Deum, eiuſque cultum, & iuxta nominis etymon deducitur à religando, vt importet ad illud aliquem religari, cui primo coniunctus fuerat, & ab eo diſtare incepit, & quia omnis creatura prius in Deo exiſtit, quam in ſeipſa, tanquam effectus in cauſa, & à Deo procedit: Hinc ad ipſam debet religari, cui prius coniuncta fuerat etiam antequam eſſet à parte rei. Diuiditur autem religio in veram, & falſam, vera ſecundum id, quod ſupponit in intellectu eſt veri Dei, verique cultus illi debiti vera cognitio; prout vero proprie, & formaliter accipitur, nempe vt eſt in voluntate, dicitur vera, quia in vera cognitione Dei eiuſque cultu fundatur. Falſa autem dicitur, cum falſa Dei cognitio habetur, vel quia verus Deus non colitur, ſed alius, vt faciunt Pagani; vel quia Deus verus, non cultu vero colitur, ſed ijs rebus, quibus reuera ipſe non colitur, vt apud Iudæos, & Mahometanos. Vbi aduerte, quod non ſolum ipſa virtus, prout eſt in voluntate dicatur Religio, ſed etiam actiones externæ, res ipſæ, quibus vtitur, doctrina, quæ cerimonias docet ad diuinum cultum, religio vocantur. Aduerte præterea extendi etiam ad ſtatum ipſum hominum, in quo viget Religio, vnde eſt vox æquiuoca vtrumque ſignificans, ſtatum ſcilicet, & virtutem: hinc generalis ſtatus veræ, Catholicæque Chriſti Eccleſiæ, quæ talem doctrinam, talemque modum colendi Deum profitetur, Religio Chriſtiana dicitur, imo, &

vni-

vnica, & ſola Religio dici poteſt; quia extra illam, nulla eſſe poteſt vera religio: ſumpta ergo religio pro ipſa virtute eſt habitus virtuoſus proprius creaturæ rationalis, vel intellectualis, reſidens in voluntate inclinans illam ad actum colendi Deum: quare in duplici illa ſignificatione, prout nempe ſtatum, & virtutem ſignificat, ego hic religionis nomine vtar.

Dari autem in Mundo veram Religionem probatur primo, ex neceſſitate diuini auxilij, nulla ſchola hactenus, ne quidem illa ipſa quæ de Epicuri ſtabulo clamat, negauit homines poſſe probos eſſe & bonos: ratio enim in homine eſt vera ratio, & non dementia, ſed hæc clamat non omnia quomodolibet licere, atque adeó bonam eſſe probitatem, ſi autem rationi acquieſcere eſſet impoſſibile, non ratio, ſed dementia eſſet, ſic amentes eſſent potius habendi prudentes, quam qui amentes non ſunt, quare perinde eſſet perſuadere hominibus, ac truncis, & arboribus, non ergo ratio eſſet, ſed phrçneſis, atqui nemo, niſi phræneticus negat eſſe in aliquibus prudentiam, & alios eſſe prudentiores. alios minus, hic autem exceſſus, & defectus reſpicit regulam, & medium quod præſciptum eſt hominibus, ad quod collimare debent, vt ſint probi, & boni.

Sed nemo poteſt fieri vere probus, & bonus, in quacumque demum materia probitas conſiſtat, ſine adiutorio auxilioque Dei, qui hominis mentem, & voluntatem fortificet, vt probat Apoſtolus ad Rom. 7. *Infelix ego homo quis me liberabit de corpore mortis huius*, ideſt quis me eximet ab imbecillitate naturæ, & rationis meæ? reſpondet ibidem *Gratia Dei per Ieſum Chriſtum:* Ergo ad eſſe bonum & probum vere requiritur auxilium Dei: eſto autem naturaliter non ſciatur hoc adiutorium eſſe gratiam per Chriſtum, ſcitur tamen nos non poſſe eſſe bonos ſine adiutorio Dei; & hinc elicitur exiſten-

tia

tia veræ Religionis, quia hoc ipſo Deus eſt colendus, timendus, & orandus, eique accepta tribuenda probitas, & honeſtas.

Probatur ſecundo ex ipſius naturæ inſtinctu,& totius generis humani conſenſu: duo iacio hic fundamenta, primum euidens eſſe, nos à natura accepiſſe prima quædam principia, quæ probanda non ſunt, ſed admittenda vltro, quæ vocantur lumine naturæ nota, & huiuſmodi ſunt in quibus omnes gentes, & natura tota conſentit vt lapides ferri deorſum, ignem ſurſum: hinc elicio ſecundum fundamentum ex 10. Ethicorum, *Quod vniuerſis videtur, verum eſt.* Si enim quod vniuerſis vdetur verum non eſt, tunc forte verum non eſſet eſſe bonum viuere, ſapere, ſcire, & ſic bonum eſse malum, & malum bonum, & non eſset expetenda fælicitas, ſed miſeria, quod eſt falſum, nam vniuerſorum iudicium naturæ iudicium eſt, hoc autem eſt verum. hinc nunc probo intentum: ſed tota natura humana in hoc conſentit dari veram Religionem, nec licitum eſse ſine Religione viuere, hoc quippe nulla natio, aut negauit, aut ignorauit, vnde inuenies forte nationes, & gentes ſine vrbibus, domibus, rege,pecunia, literis, nuſquam tamen auditum eſt extare vrbem, aut oppidum, vel Populum ſine Deo ſine iuramentis, ſine precibus, ſine Religioſo aliquo cultu, ſed hoc omnium nationum iudicium eſt naturæ iudicium, & inſtinctus: ergo tam naturæ inſtinctus, quam gentium conſenſus aſtruit dari in Mundo veram aliquam Religionem.

Probatur vltimo ex ipſa Religionis neceſſitate, homo in politicis definitur animal ſociabile, atque adeo homo ſermone,& loquela donatus eſt, & hinc homines à natura, & ratione habent in Societate viuere, Ciuitates, Regna, Reſpublicas conſtituere: ſed homines in Societate ſine Religione viuere non poſsunt, cum ſine cultu Religionis nullius Socie-

tatis

tatis ſalus in tuto ſit, Religionis proinde neceſſitas oritur ex humanarum legum inſufficientia, quibus idcirc o addenda lex diuina ad habendam conſtantiam, & durationem, nam ob incertitudinem humani iudicij de rebus contingentibus, oritur de actibus humanis diuerſa eſſe iudicia, vt ergo ſciat homo certo quid agendum, quid vitandum, neceſſaria eſt diuina lex, & religio vt ſic ſocietas firmius conſiſtat.

Hinc facile refelluntur Atheiſtarum deliria, & inſaniæ, qui ſe toti Mundo, & omnium ſæculorum conſenſui opponunt, dicentes Religionem eſſe humanam inuentionem, & ſufficere Religionem fictam, nec veram requiri, proinde in hac ſententia gentes omnes decipi, nam contra eſt, quod iam oſtenſum eſt omnium gentium iudicium eſſe ipſius naturæ inſtinctum, & iudicium quod falſum eſſe non poteſt: vnde hi pauci comparatione totius generis humani nihil ſunt, neq; communi iudicio hæc phrænefis obſtat, nulla ſcilicet fatuitas ſine patrono, ſic bona eſt vita, quidam tamen fatui laqueo ſe ſuſpendunt; dantur dolores, quidam tamen deliri non dolores, ſed imaginationes eſſe dicunt: pulchra eſt ſcientia, ſceptici negabant: impoſſibile eſt me ſimul loqui, & non loqui, exiſtere, & non exiſtere, & hoc ipſum negabat eſſe impoſſibile Parmenides, quid pluribus? impoſſibile eſt aliquos non delirare, ſed ſi pergant Atheiſtæ dicere Religionem, non quid antiquum, ſed nouum eſſe, potuerunt etiam dicere coruos olim fuiſſe albos, quadrupedes omnes fuiſſe alatos, quid inſanius dictu? atqui ſicut omnia ſæcula, omnes populi de Religione teſtantur, ita Religio eſt quid proprium homini, vt proinde ſpernenda ſint Atheiſtarum deliramenta.

ARTICVLVS II.

Poteſt inueniri vera Religio.

DAri in Mundo veram aliquam Religionem ex omnium pene mortalium conſenſu probatum eſt, nunc reſtat oſtendere an ſit inuenibilis, vbi ex dictis ſuppono totum robur primorum principiorum in eo ſitum eſſe, quod natura non erret, ideo vero naturam non errare, quia à Deo facta eſt, & gubernatur, Deus autem nec errat, nec decipit, & ex hoc ipſo conſtat Deum eſſe, vel alioquin nos omnes eſſemus amentes; qui id vniuerſaliter iudicamus. Sed nihil magis conſenſum eſt inter homines, quam dari veram Religionem in Mundo: quod ſi quis dicat hunc conſenſum eſſe de re ficta, peto quid aliud ſuperſit acceptandum ſine probatione? certe ſi natura non errat, in hoc potiſſimum tota natura conſpirat, ſi aliquid à natura nos edoceri oportuit, hoc præcipuum, & ſummum erat; vt geometræ, & metaphyſici eſſe poſſemus, natura inſtituit, num ergo vt boni eſſe poſſemus natura neglexit? quod ergo omnium potiſſimum erat Deus de exiſtentia ſua, & veræ Religionis irrefragabiles maximas omnibus notas ingeſſit.

Cum ergo conſtent multa vera inueniri poſſe ac percipi, ſequitur veram religionem inuenibilem eſſe; primum enim inuenibile eſt Deus, quo non inuento de omnibus dubitari poterit, ſed inuento Deo, ex magna parte inueniri poteſt vera religio: nam ſi Deus non eſt, nec naturam fecit, nihil eſt inuenibile, ſi Deus eſt, & naturam fecit, & hominibus prima documenta ingeſſit, clarum eſt in ijs, maxime doctum eſſe hominem, quæ magis, & Deum decent, & homini expediunt, in his autem omnium caput eſt vera religio: ergo vel hęc inueniri poteſt, vel nihil inueniri poteſt, at multa inueniri poſ-

poſsunt,& aſseri,& capi; ergo vera Religio inueniri poteſt,hinc exprobrat Rom.Apoſt.c.1.*Quia cum cognouiſſent Deũ,non ſicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt*:hinc Cyprian.*Hæc fuerat sũma delicti eum neſcire velle,quem ignorare nõ poterant*, Vnde videntur gentes in ipſa ſua Idololatria nõ potuiſſe verum Deum penitus ignorare, Idololatrabantur enim,veram diuinitatem creaturis affingendo, nam ex Dijs ſuis victorias, vitam, regna ſperabant, ergo putabant eſse in mundo aliquid, cuius in arbitrio eſsent victoriæ, regna, vita, mors, hæc enim Dei prædicata ſunt, item dum petebant oracula, hæc ipſa credebant fallere non poſse, & hinc putabant in Mundo, aliquid eſse omniſcium, & infallibile, ergo in ipſa Idololatria inuoluitur cognitio veri Dei cunctis naturaliter impreſsa, hæc autem cognitio dictat eum eſse colendum, quæ ergo cognitio dictat Deum poſse inueniri, dictat, & inuenibilem eſse veram Religionem, Deo enim inuento magna ex parte vera Religio, & reliqua inueniuntur.

Sed inquiunt proterui, nos nihil volumus credere, nec vllam Religionem approbare, aut certe nihil credimus, niſi quod videmus, deinde difficile eſt inuenire veritatem, imo inquiunt ex Academicorum ſententia nulli rei præſtandum aſsenſum, & proinde ſapientia conſtituitur in inquiſitione veri, non autem in inuentione cum hæc ſit impoſſibilis. vt ab hoc vltimo incipiam, vel iſtam veritatis, & ſapientiæ definitionem cenſent veram, vel non? Si primum ergo cum hæc ſapientiæ deſcriptio ſit vera iam aliquod verum iudicant, & approbant. Si ſecundum ideſt ſi illam deſcriptionem non approbant, nempe conſiſtere in ſola inquiſitione,quaſi inuentio eſset impoſſibilis, ergo non debent dicere verum non poſse inueniri. Ad illud quod aiunt ſe nihil velle credere, dico ipſos hoc ipſo credere; nam credunt hoc ipſum eſse ſapientis

N 2 nihil

nihil credere, qui enim credit, non credenda, putat non eſse credenda ea, quæ creduntur: ſed hoc eſt credere non credenda: ergo qui non credit credenda, iam credit non credenda, vide qnomodo ſeipſos implicant iſti, quod autem fidem referant ad oculorum ſenſum etiam ſibi repugnant, ipſum enim non credere, eſt credere, nos credimus Deum eſse quem non videmus, & ab eo Mundum eſse factum, Atheiſta proteruus credit peractum eſse ab infinita cauſarum ſerie quam non vidit, tandem nec credit vlli de proprijs parentibus, de rebus præteritis, factis, geſtis ſucceſſionibus, deinde credit Dei negationem eſse, quam non videt, ergo credit quæ non videt, & niſi credet, niſi quæ videt non credet ſeipſum de genere humano factum eſse:ergo tandem ſi quidem credendum,id maxime credendũ, quod omnes nationes credunt,vnum autem ex generaliter credibilibus eſt religio, ergo credendum eſt hanc poſse inueniri.

ARTICVLVS III

Non omnes Religiones ſunt veræ,atque adeo vna ex omnibus erit tantum vera Religio.

REligio dicitur vna ab vnitate fidei, quæ religionis eſt forma, quæque vna dicitur ab vnitate ſui obiecti formalis, ſcilicet veracitatis diuinæ reuelantis, vnica enim ratio, cur credimus fide diuina myſterijs propoſitis, eſt veracitas diuina reuelans. Quæ vnitas probatur infra diſt.2. qu.3. & diſt.7. Et 9. q.1. Nunc vero ſic breuiter probatur ex Apoſtolo ad Epheſ.4. *Vnum corpus, vnus ſpiritus, vnus Dominus, vna fides, vnum baptiſma, vnus Deus, & pater omnium.* Arguit ſic, idem corpus ita eſt vnum, vt plura numero eſſe non poſſit, ſicut vnus eſt Dominus Ieſus, vt plures non ſint Chriſti, ſicut vnum eſt baptiſma, vt plura eſſe nequeant,

quo-

quorum vnum ſit nomine Spiritus Sancti tantum, aliud ex vino, aliud ex lacte, ſicut ita vnius eſt Deus, vt plures non ſint Dij; ita vna eſt religio,& fides, vt plures eſſe non poſſint, ita vt fideles vnanimiter, & vniformiter idem credant, idemque vbique ſentiant de myſterijs reuelatis; vt videmus in religione catholica, in qua, quod credunt Romæ Catholici de myſterio Incarnationis, Reſurrectionis, numero Sacramentorum &c. id ipſum, iuxta eundem ſenſum, vniformiter,& vnanimi conſenſu, credunt, tenentque Catholici Galliæ, Germaniæ, Hiſpaniæ, Hiberniæ, Aſiæ, Indiarum &c. iuxta illud Act. 4. *Multitudinis credentium erat cor vnum, & anima vna.* Qui fideles licet ſint multa membra, vnum tamen faciunt corpus myſticum,paritate deſumpta á corpore humano,quod eſto, multis conſtet membris, ab vnitate tamen vnius cordis, & animæ dicitur vnum corpus;ſic quia vna eſt fides, fideles ab vna fide, tánquam ab vna anima dicuntur vnum corpus, & conſtituunt vnam religionem,quæ in diuerſa non trahitur, ſicut trahuntur heterodoxi, apud quos maritus vnum credit, vxor aliud,filij diuerſum ab vtroque.

Stante autem hac diuerſitate ſectarum impoſſibile eſt, quod ſingulæ habeant veram Religionem. vt ſic oſtendo: duo contradictoria non poſſunt eſſe ſimul vera; ſed quod vna Religio, ſeu ſecta aſſerit, alia negat, vt patet ex tot diſſidijs hinc inde inter iſtas ſectas ortis, & agitatis; & omnes negant multa, quæ ſola Catholica Religio aſſerit, & aſserunt plura, quæ ipſa negat, inter quæ eſt hoc commune axioma cuiuslibet ſectæ: apud ſe eſse veram religionem, & ſalutem. Vel ergo quælibet in principijs fidei conuenit cum Catholica, vel non? Si conuenit; ergo nulla ex alijs ſectis diſtinguitur á Catholica: ſi non conuenit, ergo vel duo contradictoria erunt ſimul vera, nempe aſsertio vnius, & negatio alterius, quod eſt impoſſibile, vel vna ex

omnibus erit ſola, & vera Religio.

Quæ ſola, & inueſtigari debet, & inueniri poteſt, vt probo; nam ex dictis conſtat hanc eſse euidenter credibilem, & etiam inuenibilem, cum enim vnuſquiſque ſuam veram putet, vel dicat. neceſse eſt vt dicat vel putet à ſe inuentam, & agnitam eſse veram religionem nempe ſuam: vel ergo vera religio poteſt æquari, à falſa religione in fundamentis ſuis, vel non poteſt? Si non poteſt, iam habeo intentum, nam exceſsus in fundamentis erit ſignum infallibile veritatis: ſi autem poteſt æquari, quandoquidem vera, & falſa religio tunc eſsent æqualiter fundata, & probata, inter vtramque diſcernere erit impoſſibile, cuius oppoſitum conſtat ex dictis. Cum nullæ duæ religiones ita pariter currant, vt paribus nitantur fundamentis; nec enim id fatebuntur heterodoxi de ſua religione, quam putant fortioribus, præ alijs, fulciri motiuis. Rurſus, vel exceſsus in fundamentis erit ſignum certiſſimum veritatis, & tunc ex iſto exceſsu euidenter infertur veritas, vel eſt ſignum probabile, & tunc ex tali exceſsu vera religio certo agnoſci non poteſt: ergo vel vera religio non eſt inuenibilis, & ad nihil obligamur, quod eſt falſum ex dictis, vel vera religio inter tot ſectas eſt certo, & euidenter euidentia morali cognoſcibilis, quod ſi hoc negarent ſectarij hoc ipſo fateri deberent nullā religionem poſse homini perſuaderi, & conſequenter nec ipſorum dogmata ſic poſse inſinuari. Ergo cum detur in mundo vera aliqua religio, hæc ipſa erit cognoſcibilis.

Quod vlterius probo, nam repugnat falſam aliquam religionem eſse æque probabilem, aut probabiliorem vera, ergo vera eſt probabilior, & fundatior omni falſa. probatur antecedens, nam ſi falſa eſset æque probabilis, aut probabilior, quam vera, tunc homines, prudenter, aut prudentius operando damnarentur, nam ex religionibus æque

pro-

probabilibus, alteram eligere liberum, & prudens eſt. probabiliorem vero eligere prudentius: ergo poſſent homines falſam eligere, prudenter, vel prudentius operando; ergo, & damnari: hoc autem manifeſte læderet diuinam prouidentiam, quis enim dicat Chinenſes Idola colentes, Turcas Mahometi ſui figmenta, & ſpurcitias credentes prudenter agere, aut in ſuis erroribus diuinæ prouidentiæ, ſe conformare, niſi inſanus aliquis, qui omnem veram religionem, omnemque Deum, Deique curam de rebus humanis, & hominum ſalute negat! ergo vera religio in mundo eſt probabilior, & magis fũdata, & conſequenter debet manifeſte præualere, & præminere. Itaque cum Deus ſit in mundo, & mundum gubernet, euidens eſt ab eo datam hominibus Religionem aliquam, quæ ſola ex tot ſit vera: ergo ſimiliter dedit hominibus media, & modum, quo illa inter omnes agnoſceretur, vnde ſit.

ARTICVLVS IV.

Optimus modus quærendæ veræ Religionis eſt recurrere ad celeberrimam, quæ in mundo eſt, authoritatem.

HAnc veritatis indagandæ viam, Honorato Manichæo ſuaſit D. Auguſtinus lib. de vtilitate credendi cap. 7. *Fac nos primum nunc quærere, cuinã Religioni animas noſtras purgandas, inſtaurandaſq; tradamus. Proculdubio à Catholica Eccleſia ſumendum eſt exordium.* Et c. 15. *Non eſt deſperandũ ab ipſo Deo autboritatem aliquam conſtitutam, qua velut gradu certo innitentes attollamur in Deum.* Et infra *Homini ergo non valenti verum intueri, vt ad id fiat idoneus purgariq; ſe ſinat, authoritas præſto eſt.* Quæ loca infra diſt. 4. qu. 3. art. 1. Fuſius refero, & explico. vult igitur D. Auguſtinus optimam viam quærendæ religionis eſſe, recurrere ad authoritatem in orbe terrarum maxime celebrem, & hanc vti-

que reſidere in Eccleſia catholica, à qua diſcenda, & haurienda eſt doctrina ſalutis: de qua. Ait ipſe Sanctus l. cont. Ep. Fund.cap.5. *Ego vero Euangelio non crederem, niſi me Catholicæ Eccleſiæ commoueret authoritas.*

Cum ergo vna ex omnibus religionibus, & vera ſit eligenda, ac modus eam diſquirendi ab heterodoxis aſſignatus ſit impoſſibilis, vt oſtendi prima parte diſt.2.q.1.art.2. Et infra diſt.4.q.1.art.2.Scilicet per particulare ſcripturæ ſcrutinium, quandoquidem plerique ſint rudes, alij ignari, alij ſtupidi,alij neſcij linguarum, ex quo apparet tyrannicum illud iugum à ſectarijs impoſitum,dum obligant ſingulos,& ſingulas ad hoc priuatum examen: hinc merito deſperare poſſet genus humanum de veritate inuenienda,niſi hæc imbecillitas,& impotentia nobis euidenter oſtenderet, optimum modum inquirendæ,& aſſequendæ veræ Religionis,ac doctrinæ reuelatę eſſe, relicta via iſta naturalis rationis, & proprij arbitrij, omiſſoq;particulari illo ſcripturæ ſcrutinio,tot difficultatibus, tantæ incertitudini obnoxio,recurrere iuxta monitum D.Auguſtini ad viam publicę,& celeberrimæ authoritatis, quæ facile nos liberat à tot labyrinthis, ac perplexitatibus.

Nam communi religionis lumine conuincimur de ſequentibus veritatibus. Primo. Quod Deus velit omnes homines, tam doctos, quam rudes ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Secundo, quod nullam aliam ſalutis viam hominibus offerat, quam viam veræ Religionis: tertio quod hæc ſalutis via non ſolum debeat eſſe poſſibilis, ſed etiam facilis: quarto, quod nulla ſit difficilior, periculoſior, & minus proportionata hominum captui, quam via particularis examinis omnium dogmatum: quare perplexitas, incertitudo, & intolerabilis labor huius priuati ſcrutinij, oſtendit neceſſitatem publicæ, ac certæ authoritatis, *qua* (Vt inquit Auguſtinus) *Velut gradu certo innitentes attol-*

attollamur in Deum Omnis enim homo oblgatus ſcire aliquam veritatem, & impotens eam, per ſeipſum acquirere, debet illam diſcere ab alio: & hæc eadem authoritatis neceſſitas oſtendit optimum rationis humanæ vſum in eo conſiſtere, vt illa eadem ratio ſubmittatur, illi authoritati, quæ in mundo eſt maxima, quæque talibus eſt dotata ſignis, quibus oſtenditur authoritas iſta ſpeciali Dei aſſiſtentia eſſe præmunita, & ſuffulta in hac via, & conductu nihil eſt niſi prudens, niſi ſapiens, niſi rationabile; hæc via eſt proportionata humani generis imbecillitati, quia liberat, & eximit rudes, ſimplices, indoctos, pueros, mulieres ab infinito illo omnium dogmatum examine, cuius iſti omnes ſunt incapaces: hæc via eſt accommodata rationi humanæ, quia eam ſolummodo obligat ſe ſubmittere authoritati maxime credibili, & affectæ notis ſignisque veritatis, & ſuperni luminis.

Quiſquis ergo hanc viam ſerio perpenderit videbit non poſſe ſe melius vti ſuo iudicio, quam illud aplicare ad quærendam eminentiorem illam, quæ in mundo eſt authoritatem, quam facile inueniet in Eccleſia Catholica; nam licet aliquæ ſectæ diſputent cum illa de eius dogmatibus, non poſſunt tamen, aut rationabiliter, aut vero ſimiliter, cum illa diſputare de eminentia ſuæ authoritatis, quam probat D. Auguſtinus lib. contra Epiſt. fun. cap. 4. ex conſenſione populorum, ex claritate miraculorum, ex ſacerdotum ſucceſſione, ex ipſo *Catholicæ* nomine. Et fuſius id ipſum probat lib. de vtilitate credendi cap. 17. Quærere ergo hanc Eccleſiam, & celeberrimam eius authoritatem, ſecurius eſt, quam ſequi ductum ſuæ miſeræ, & cæcæ rationis: nam cum electio veræ religionis ſit omnium actionum præcipua, tot difficultatibus obnoxia, & tanti momenti quippe à qua pendet æterna ſalus, vtique requirit ſecurum lumen, ad ſecer-

cernendam ab errore veritatem.

Nec aliunde melius huiuſmodi acquiritur lumen, quam ex via authoritatis Eccleſiaſticæ, quod ducit ſimplices, dirigit rudes, illuſtrat ignaros, eleuat debiles, ſupra eos qui proprijs confidunt ingenijs; quia hæc eadem Eccleſia regulat ſuam fidem per ſcripturam, & traditiones, quas examinare illi incumbit, dum oriuntur nouitates: hinc ſimplices qui ſunt incapaces huius examinis, faciunt illud ſecurius innitendo, & acquieſcendo iudicio, & examini paſtorum Eccleſiæ: hinc item ſequaces huius viæ ſe liberant ab illa formidabili incertitudine, titubatione, & inſtabilitate, qua laborant heterodoxi: hinc etiam ſolidum inueniunt in maximis arcanorum difficultatibus fundamentum, ſi enim prudēter diffidunt ſuo proprio ingenio, non recte poſſunt diffidere authoritati Eccleſię, fundant enim ſuam imbecillitatem, ſupra illius vires, ſuam inſtabilitatem, ſupra illius firmitatem: vident oculis Eccleſiæ, ambulant illius pedibus, incedūt liberi à ſexcentis perplexitatibus in via difficili obuijs, dum incedunt per viam regiam Eccleſiæ.

Si ſunt ſimplices ſufficit ipſis credere veritates ipſis ab Eccleſia propoſitas, ſi ſunt docti, & velint ſcrutari myſteria, ſcrutantur illa, cum ſubmiſſione ad Eccleſiā, & licet diſpares ſenſus ac opiniones habeant in particulari, in rebus tamen fidei, conſpirant in vnum, & in vna communione vniuntur, quia lumen Eccleſiæ pariter facit eos æquales, eiſque communicat vnam eandemque firmitatem, pacem, certitudinem: vnde quando viri docti diſputant, an hæc vel illa propoſitio ſit de fide (vel enim à parte rei eſt, vel non eſt reuelata) pars tenens oppoſitum errat tantum materialiter, & tamen virtualiter, & implicite credit illud ipſum, quod negat, dum illud includit in hoc generali principio, credo quidquid Deus reuelauit, & Eccleſia credendum proponit, in quo pricipio vtique

hæc

hæc ipſa propoſitio, quæ eſſet reuelata, & tamen ignoranter negata, eſſet incluſa, credita implicite à negant, ita vt cum explicito illo errore materiali, ſit fides amplicita propoſitionis negatæ. Vbi vides quomodo ſequentes authoritatem Eccleſiæ ſunt immunes à periculo erroris formalis, quantumuis de myſterijs diſputent.

Hæc autem via adeo eſt rationabilis, adeo facilis, & ſecura vt quantumuis ſimplices, & rudes eam ſequentes errare non poſſint, cum habeat optimum modum quietandi intellectum, eo quod hæc authoritas ſit viua; hinc dicitur columna veritatis, dicitur habere paſtores, & doctores, vt non circumferamur omni vento doctrinæ. De hac etiam intelligitur illud Deuter. 17. *Si difficile, & ambiguũ apud te iudicium eſſe perſpexeris ſurge, & aſcende ad locum, quem elegerit dominus Deus tuus:* De hoc loco, qui vtique eſt Eccleſia; inquit Iſaias cap. 2. *Erit in nouiſſimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium, & ibunt populi multi, & dicent venite aſcendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Iacob, & docebit nos vias ſuas.* Hanc domum, hanc inquam Eccleſiam, iam oſtendere, & probare pergo.

QVÆSTIO II.

De exiſtentia Eccleſiæ.

PEr hanc Eccleſiam intelligo illum hominum cætum, qui verum Dei cultum, veramque eius doctrinam à Chriſto, & Apoſtolis traditam profitetur: & huiuſmodi cætum, ſeu Religionem in mundo dari generalibus principijs hactenus probaui; hic ergo eius viſibilitatem, exiſtentiam, perpetuitatem, proſequi, & probare intendo, dari ſcilicet in terris illam Eccleſiam, quam teſte Apoſtolo act. 20. *Chriſtus acquiſiuit ſanguine ſuo.* Et ad Ephe. 5. *Seipſũ*

tradidit pro ea, vt illam Sanctificaret, mundans lauacro aquæ in verbo vitæ, vt exhiberet ipſe ſibi glorioſam Eccleſiam. Quam, qui non audierit, iuxta ſententiam ipſius Chriſti) Math. 18.) *Erit ſicut ethnicus, & publicanus.*

ARTICVLVS I.

Quid in vera Chriſti Eccleſia inquirenda, reflectendum?

CVm diuerſæ ſint hominum ſocietates, quæ veræ Religionis, & Eccleſiæ titulum ſibi vindicare prætendunt, conſtetque ex dictis, non omnes, quæ ſe Religionis nomine inſigniunt, eſſe veras adeoque non niſi vnam ex omnibus poſſe docere puram veritatem, cum præterea finis inquiſitionis in rebus fidei, ſit quærere viam ſalutis. Hinc vtique indagandum ſerio, quænam ex omnibus ſectis, quæ ſe Chriſtianas vocant, ſit illa, in qua ſola datur vera Chriſti doctrina, & vera ſalus. Quod ſi ſectarij ex illo motiuo adhærerent ſuæ Religioni, quo Catholici ſequuntur ſuam profeſſionem, dicerent ideo ſeſe diſceſſiſſe ab Eccleſia Romana, quia in iſta ſeparatione ſecuti ſunt celeberrimam totius orbis authoritatem, adeoque ſe pari modo pro ſe reſpondere in huiuſmodi puncto, ſicut ſimplices reſpondent Catholici, quod ſcilicet cum ſibi ipſis viderentur incapaces diſcernere inter tot ſectas, veram Religionem, in hac difficultate vincenda amplexi ſint illuſtriorem mundi authoritatem nempe Eccleſiam.

Sed cum ſectarij reijciant, & Eccleſiam, & omnem illius authoritatem, ſic reſpondere nequeunt, ſed quod ſinguli, & ſingulæ ſecuti ſint cerebrum ſuum, cum tamen id fecerint quorundam impoſtorum ſeducti authoritate, vbi nihilominus deberent aduertere nihil eſſe ſtultius, quam profiteri ſe nolle ſequi authoritatem humanam, & contra hoc

ipſum principium, illam ſequi (prout defacto ſecuti ſunt Lutherum, Caluinum, Zuinglium &c.) nihil eſſe abſurdius, quam fateri, quod prædicantes poſſint ipſos decipere, & nunquam examinare, an reuera deceperint; fateri, quod veritas fidei debeat examinari per proprium cuiuſque ſcrutinium, & amplecti varia dogmata, non ea examinando, eo modo quo poſſet ſciri veritas: quod ſi ſectarij exiſtiment ſe eſſe in bona Religione, quia ſic putant, certe huic rationi non debent multum fidere, quia in ea decipiuntur Turcæ, Hebræi, Pagani, ſi enim aliud veritatis ſignum non quæritur, niſi propria cuiuſque opinio, omnes ſectæ ſic excuſarentur, cum omnes allegarent hanc rationem; debent ergo aliud veritatis ſignum quærere, præſertim cum proprium iudicium ſæpe fallat: proinde tutius eſt, quærere vbi ſit vera Chriſti Eccleſia.

In qua indagine hoc primo reflectendum eſt, & prouidentiæ diuinæ, & humani generis imbecillitati valde conſentaneum eſſe dari in hoc mundo aliquem hominum cætum, qui ex Dei inſtitutione, & aſſiſtentia habeat infallibilem authoritatem proponendi, & explicandi doctrinam reuelatam: cum enim fides ſit ex auditu, auditus autem per verbum Dei, & auditus ipſe neceſſario ſupponat loquentem, cui credat, & certo credat, ſane fideles, ab aliquo, cui credendum ſit, docendi erunt, ergo qui docet debet habere priuilegium non errandi: nam apud omnes nationes natura docet, quod patres, maiores, ſeniores, ſapientiores, Reges, Reſpublicæ, magiſtratus doceant, & gubernent homines populares; igitur fideles per eccleſiam Chriſti edocendi & gubernandi erunt, tum in fide, tum in moribus; fides autem neceſſario requirit certitudinem, quæ ſine priuilegio dicto eſſe non poteſt: ſi enim ſupponamus dubium eſſe poſſe, an hoc ſit verbum Dei, an hæc illius expoſitio, ſignificatio, & in-

intelligentia vera ſit; erit dubium de omnibus, quæ ex his ſequuntur: vnde ſi etiam ſupponamus, quod eccleſia tum circa prædicta, tum circa fidem poſſit errare; impoſſibile eſt, quod eccleſia certa ſit, quod ſua fides ſit vera, quod ſi fides eccleſiæ incerta ſit, multo magis fides ſingulorum fidelium, qui fidem eccleſiæ ſequuntur incerta erit: ergo qui in eccleſia negat priuilegium non errandi, certitudinem fidei omnino deſtruit.

Reflectendum ſecundo, diuinæ ſimiliter ordinationi, & hominum captui proportionatum eſſe vt hic ipſe cætus ſit vna, ac determinata aliqua congregatio, à determinata veritate ſuæ doctrinæ circa myſteria fidei, vt ſcilicet vna & communis ſit apud omnes illius profeſſores, Euangelij ſumma, non diuerſa, quaſi vna ſit in Hiſpania, alia in Italia, diuerſa ab vtraque, in Gallia; ſed eadem vtrobique, vt quod credunt, & docent fideles in Gallia de myſterijs Incarnationis, Trinitatis, Reſurrectionis, de vita æterna, peccatorum remiſſione, numero, effectu, & efficacia Sacramentorum, de cultu Dei, de præceptis decalogi &c. id ipſum in eodem omnino ſenſu, & conſenſu credant fideles in Italia, Germania, Hiſpania, Hibernia, Anglia, Aſia, &c. vt in eadem congregatione detur determinatus ordo, & ordinata ſubordinatio; vt in ea ſit pars gubernans, & gubernata, non promiſcua imperitæ multitudinis confuſio, in qua ſutores, laniones, piſtores, mulierculæ munus docendi, quod ad eccleſiæ paſtores, & doctores ſpectat, ſibi arrogent; ſed potius in qua ſit ouium ad paſtores ſubordinatio, & inter ipſos paſtores recta coordinatio, vt hic cætus ſit determinate vnus, tum ab vnitate ſuæ doctrinę, tum à conuenienti ordine, tum denique à perfecta obedientia magiſtratui debita.

Reflectendum tertio, eandem generis humani imbecillitatem exigere, vt hic etiam cætus ſit ſenſibilis, adeoque cognoſcibilis, ſiquidem eccleſia,

vt ait Apoſtolus eſt columna, & firmamentum veritatis, ſed ſi eſſet ignota, hoc facere impoſſibile eſſet; nam non poſſet quis eſſe certus de dicto veræ eccleſiæ, niſi certo cognoſceret præciſe, & ſpecifice, ac in particulari, quænam ſit vera eccleſia, ergo hæc debet eſſe nota & ſenſibilis: præterea ſi infideles velint conuerti ad veram Chriſti fidem, neceſſe eſt vt recurrant ad veram eccleſiam, quæ ſi eſſet ignota, non poſſent conuerti, vt ergo conuertantur, hæc nota & ſenſibilis ſit oportet: vbi reflectendum vltimo, an non æquum ſit in hac materia audire patres primitiuæ eccleſiæ, qui de his prærogatiuis tractarunt: quod ſi vlla humana authoritas ſit audienda, certe horum patrum authoritas in hoc genere ſuam etiam fidem meretur, quod ſaltem nobis ſectarij dignabuntur concedere, ſi ipſimet velint audiri: hinc ſit.

ARTICVLVS II.

Eccleſiæ militanti viſibili ab Adamo vſq; ad Chriſtum deductæ, ſucceſſit noua Chriſti Eccleſia ab ipſo Chriſto fundata, per Apoſtolus, eorumque ſucceſſores propagata.

INcepiſſe viſibilem eccleſiam ab initio orbis probatur ex illo pſal. 73. verſ. 2. *Memento congregationis tuæ, quam poſſediſti ab initio*, Vbi ſermo eſt de eccleſia vt exponit D. Aug. in eundem Pſal. idem aſſerit Origines homil. 2. in cantic. canticorum. Chryſoſtomus homil. 20. in epiſt. ad Epheſ. quomodo autem ab Adamo inceperit Eccleſia litigant ſcolaſtici, interim conueniunt ſiue Adam, & Eua conſtituerint veram Eccleſiam, ſiue fuerint potius initia veræ eccleſiæ, eccleſiam ab ipſis incepiſſe, hæc autem eccleſia ſine interruptione peruenit vſque ad Noe per generationes nouem vel decem, ſi in eis numeretur Adam cum Abel: id teſtatur Textus geneſis

ſis cap. 5. Lucæ c. 3. à verſ. 27 *Suntq; Adam, Abel, Seth. Enos, Cainam, Malaleel, Henoch, Mathuſalem, Lamech, Noe.* A Noe Eccleſia deducta eſt ad Abraham per decem generationes, exceptis Noe, & Abraham *Et ſunt Sem, Arphaxad, Cainam, Sale, Heber, Phaleg. Ragau, Sarug, Nachor, Thare, Abraham,* de quibus Geneſis cap. 11. & Lucæ cap. 3. Ab Abraham vero vſque ad Dauid, à Dauide vſque ad tranſmigrationem Babylonis, & ab hac tranſmigratione vſque ad Chriſtum, continuata eſt Eccleſia per quadraginta duas generationes vt habetur Matth. 1.

Quod autem Chriſtus fundauerit ſuam eccleſiam propagatam deinceps de ſæculo in ſæculum, probatur 1. ex veteri teſtamento Danielis 2. ver. 44. *In diebus autem regnorũ illorum ſuſcitabit Deus Cæli Regnum, quod in æternum non diſſipabitur, & regnum eius alteri populo nõ tradetur, & ipſum ſtabit in æternum,* En fundatam eccleſiam, en duraturam continuo. probatur 2. ex nouo teſtamento Math. 16. verſ. 18. *Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduerſus eã.* Quid expreſſius pro fundatione, & perpetua propagatione eccleſiæ. Act. 20. v. 28. *Attẽdite vobis, et vniuerſo Gregi in quo vos Spiritus Sanctus poſuit Epiſcopos regere eccleſiam Dei, quam acquiſiuit ſanguine ſuo* 1. ad Cor. 12. verſ. 28. *Quoſdam quidem poſuit Deus in Eccleſia primum Apoſtolos.* 1. ad Tim. 3. verſ. 15. *vt ſcias quomodo oporteat te in domo Dei conuerſari, quæ eſt eccleſia Dei viui.* Nec vllus iam Chriſtianus negabit hanc aſſertionem, qui faſſus fuerit filium Dei veniſſe in carnem, promulgaſſe & propoſuiſſe Mundo Euangelium ſuum.

Prima ergo eccleſiæ nouæ fundamenta iacta fuere à Chriſto, cum poſt baptiſmum in Iordane ſuſceptum cœpit prædicare, nimirum ætatis ſuæ trigeſimo anno, nam initium prædicationis Euangelicæ fuit nouæ Eccleſiæ principium, ante paſſionem omnia fundamenta iacta fuerant, & eccleſiæ

ædi-

ædificium exſtructum, ſed non omnino perfectum, cum vltimam manum Chriſtus poſt reſurrectionem ſuæ eccleſiæ impoſuerit, & per Aduentum Spiritus Sancti in die Pentecoſtes publice promulgata lex Euangelica fuerit, ita declarat D. Aug. lib. 18. de Ciuit. Dei cap. 59. vbi hæc omnia inſinuat.

ARTICVLVS III.

Hæc vera Chriſti Eccleſia eſt, & ſemper fuit viſibilis.

QVi ambulat in tenebris, neſcit quo vadat, inquit Chriſtus Ioan. 12. *Vnde qui male facit odit lucē* quia male ſe feciſſe viderunt hæretici, oderunt lucem eccleſiæ, & vt impune orbi imponerent, Idæam finxere Platonicam, eccleſiam inuiſibilem latentem in tenebris, vt ipſi in tenebris ambulantes alios ſuarum tenebrarum haberent ſocios, ſed, eccleſiam ſemper conſpicuam fuiſſe nunc probare aggredior, & in primis conſpicua fuit tempore Apoſtolorum Act. 15. verſ. 4. *Cum autem veniſſent Ieroſolymam ſuſcepti ſunt ab Eccleſia, & ab Apoſtolis, & Senioribus* & cap. 18. verſ 22. *deſcendens Cæſaream aſcendit, & ſalutauit Eccleſiam & deſcendit Antiochiam:* Vel ergo Paulus ibi ſalutauit eccleſiā viſibilem, vel inuiſibilem? Si inuiſibilem, quomodo ſuſceptus fuit ab Apoſtolis, & Senioribus? quomodo ſalutauit ignotos, & inſenſibiles? ſi ſalutauit viſibilem eccleſiam, ergo ſaltem Apoſtolorum eccleſia fuit viſibilis.

Probatur 2. act. 20. verſ. 28. *attendite vobis et vniuerſo gregi in quo vos Spiritus Sanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei,* Quęro quomodo regerent eccl. inuiſibilem? item act. 9. *Saulus ſpirans minarū et cædis in diſcipulos Domini, acceſſit ad Principem Sacerdotū, et petijt ab eo epiſtolas vt ſi quos inueniſſet huius viæ viros ac mulieres vinctos perduceret in Ieruſulē.* forte vt perduceret manes, vmbras laruas quaſ-

dam inuiſibiles, nihil ſtultius. D. Paulus præterea ſcripſit Epiſtolas, *ad Romanos, ad Corinth. ad Galatas, ad Epheſios, ad Coloſſenſes, Philippenſes, Theſſalonicẽſes* vt ex initio cuiuslibet epiſtolæ clare conſtat: ſcripſit item Petrus Apoſtolus, *Electis aduenis diſperſionis Pontis, Galatiæ, Cappadociæ, Bithiniæ*: Scripſit tandem Ioannes Euangeliſta in ſua Apocalypſi cap. 2. & 3. ſeptem Eccleſijs quæ erant nempe. *Epheſi, Smirnæ, Pergami, Thiatiræ Sardis, Philadelphiæ, Laodicea*: Sed hi omnes ſcripſerunt diuerſis eccleſijs ſenſibiliter à loco & Ciuitate notis, ergo eccleſia Catholica, quæ ſimul complectitur & vnit omnes particulares eccleſias ſenſibiles debuit eſſe ſenſibilis, illud enim totum, cuius partes ſunt ſenſibiles, erit etiam ſenſibile, niſi quis inſanus proteruiat dicendo iſtos etiam fuiſſe inuiſibiles, ac illis fuiſſe ſcriptas Epiſtolas perinde, ac ſi quis iam demens ſcriberet ad Sem, Cham, & Iaphet, quod eſt ridiculum habemus ergo vel etiam inuita proteruia, eccleſiam à Chriſto fundatam, tempore Chriſti & Apoſtolorum fuiſſe viſibilem.

Hanc autem Chriſti eccleſiam retinere debuiſſe hanc viſibilitatem probatur Matth. 18. verſ. 15. *Si peccauerit in te frater tuus, corripe eum inter te, et ipſum ſolum, ſi te non audierit dic eccleſiæ, ſi eccleſiam non audierit ſit tibi ſicut Ethnicus et Publicanus.* Vnde ſic diſcurro & peto ad quam eccleſiam erit ille qui peccauit deferendus? an ad inuiſibilem, an vero viſibilem? ſi ad inuiſibilm, ergo ad vmbras, ad homines non exiſtentes, ad ſpatia imaginaria remiſit nos Chriſtus, atqui id eſſet arguere Sapientiam Incarnatam imprudentiæ, quod eſt blaſphemum: ſi ad viſibilem, ergo certum eſt quod hæc erit vera Chriſti eccleſia, ſi enim non eſſet eccleſia Chriſti, nec eſſet vera illius doctrina, nec vera fides, nec verum iudicium, nemo poteſt eſſe certus de vero illius iudicio, niſi certo cognoſcat præciſe, ſpecifice, ac in particulari quænam ſit vera eccleſia

ergo

ergo hæc non erit ignota, & inuiſibilis, ſi enim eſſet, illius membra inuiſibilia eſſent, quod ſi ſit, quomodo filius inuiſibilis eccleſiæ,poteſt alterum inuiſibilem offendere? ſi ſoli Deo cognita ſunt illa membra vt volunt Sectarij, quo pacto poſſunt inter ſe cognoſci & inquirere Teſtes vt vult ibi Chriſtus, quos nec vbi ſint, nec qui ſint cognoſcit? Deinde quomodo inter partes inuiſibiles eccleſia ſuum exercebit iudicium, & vna perſona inuiſibilis ab alia damnabitur? ergo ne hæc tam abſurda admittantur, dicendum veram Chriſti eccleſiam eſſe ſemper viſibilem.

Probatur vltimo Matth. 5. verſ.15. *Non poteſt Ciuitas abſcondi ſupra Montem poſita.* De hoc Mõte vaticinatus eſt Iſaias cap.2. *In nouiſſimis diebus erit præparatus Mons Domus Domini in vertice Montium* de eccleſia hæc exponit Aug.ep. 170. vt in expoſitione pſal.18. v.6. *In ſole poſuit tabernaculum ſuum* D.Aug. ibidem, *id eſt in manifeſtatione Eccleſiam ſuam,non in occulto, non quæ lateat operta.* Tandem vel oppoſitum huius noſtræ aſſertionis tenent Sectarij de fide ſua vel non? ſi non, ergo ſolum opinantur,& ſic ob meram opinionem exponunt ſe periculo damnationis deſerentes eccleſiam ſub hoc prætextu quod latuerit; ſi oppoſitum v. g. eccleſiam Chriſti debuiſſe eſſe inuiſibilem de ſua fide tenent, oſtendant vbi iſta eorum propoſitio ſit reuelata? quo libero ſcripturæ, capite,verſu, hoc dicatur? idque ſine diminutione, mutatione, gloſſa, conſequentia, & donec hoc oſtendent, interim ſunt impoſtores, & poſſeſſores malæ fidei.

ARTICVLVS IV.

Viſibilitatem Eccleſiæ probant Patres primorum Sæculorum.

DIctum eſt in prima parte diſtin. 1. art. vlt. licet nos non fundemus articulos fidei noſtræ in ratione naturali, humana authoritate, gloſſis, vel conſequentijs humano ingenio ex ſcriptura deductis, nos tamen admittere rationes, gloſſas, & conſequentias ad] patefaciendam, inſinuandam, & inculcandam magis veritatem, hinc licet aſſertio noſtra ſatis ſuperque ſit fundata in expreſſo Dei verbo, ne quid tamen deſit ad conuincendam veritatem, patrum etiam firmamenta producimus, ſi quibus enim vnquam curæ cordique fuit illud *ſcrutamini ſcripturas*, facile Principes in hoc genere ſanctiſſimi extitere Patres, quorum proinde authoritas præualet nouatoribus.

A Græcis prodit Chryſoſtomus anno 400. tom. 5. homil. cum de expulſione ipſius ageretur, *fulget enim Eccleſia ſuper ſplendorem ſolis, & perſecutores eius perpetuis tenebris conteguntur.* præceſſit Chryſoſtomum Baſilius anno 370. ad Iſaię cap. 8. *qui ſtuduere demoliri Eccleſiam Dei, eam ad auguſtiorem, et ampliorem gloriam at poteſtatem extulerunt.* Ante hunc Euſebius Cæſarienſis an. 320. de demonſtratione Euangelica lib. 4. c. 19. *hæc vero atria erunt per totū orbem terrarum quæ vnius domus Dei locum obtinent.* Cyrillus Alexandrinus anno 439. in Iſaiam lib. 1. cap. 2. *Sion intelligibilis Eccleſia ſcilicet ſupra omnem creaturam ſpectabilem & inaſpectabilem eleuata, de quo merito dici poteſt, non poteſt Ciuitas abſcondi ſupra Montem poſita.*

Ex latinis Cyprianus Epiſcopus & Marty. anno 250. lib. de vnitate eccleſiæ, *Eccleſia Domini luce perfuſa per orbem totum radios ſuos porrigit, vnum tamen*

men lumen eſt. Ambroſius anno 370. in Hexameron lib. 4. c. 5. *In meridiano paſcis hoc eſt in eccleſiæ loco vbi iuſtitia reſplendet, vbi fulget iudiciū ſicut meridies vbi vmbra non cernitur.* Hieronymus an. 390. in pſal. 88. *Et ſicut luna perfecta in æternum, tota lucida eſt Eccleſia, tota perfecta, nihil oſcuritatis continens in ſe,* Aug. anno 400. tract. ſuper Epiſt. Ioannis *Eccleſia eius in ſole repoſita eſt, non eſt in nocte, ſed in die, ſed quare illi non agnoſcunt? quoniam tenebræ excæcauerunt oculos eius.* & in pſal. 18. *hinc fit vt eccleſia vera neminem lateat, vnde eſt illud, nō poteſt Ciuitas abſcondi ſupra Montem conſtituta,* & lib. 2. cōtra epiſt. Petiliani cap. 10. *non eſtis in Montibus Sion:* Sectarij, *quia non eſtis in Ciuitate ſuper Montem conſtituta:* claudat Agmen ne plura recenſeam Concilium Nicænum æcumenicum primum, quod ſymbolum ibi editum ſic concludit. *Contrarium ſentientes Anathematizat Catholica, & Apoſtolica Eccleſia.* Quæ eccleſia: an inuiſibilis, imaginaria, phantaſtica? minime gentium, viſibiles erant illi trecenti, & octodecim Epiſcopi, viſibilem Dei eccleſiam in Ciuitate Nicæa repræſentantes.

Rogo cui modo in præſenti articulo credendum potius Euſebio, Baſilio, Chryſoſtomo, Cypriano, Auguſtino, Ambroſio, Hieronymo, toti denique Nicæno Concilio? an Caluino, Luthero, & alijs eiuſdem farinę: in illis relucet Sanctitas, Sinceritas, antiquitas, probatio primitiuæ eccleſiæ; in his nihil horum inuenies. deinde peto, an hanc expoſitionem in qua vult Sectarius hunc articulum ſuum fundare *Eccleſia Dei latuit* teneat velut Concluſionem ſcientificam, vel opinionem probabilem vel vt veritatem fidei? ſi hoc vltimum, oſtendat quo ſcripturæ loco hæc ipſius expoſitio ſit reuelata? Si vt opinionem probabilem, iam non habet infallibilem certitudinem de ſua gloſſa, neque conſequenter de articulo in eadem gloſſa fundato: Si denique vt concluſionem ſcientificam, contra quiq.

ipſius aſſertio non eſt euidenter illata ex terminis, neque ex conſenſu ſapientum, cum patres omnes citati, qui in hac parte, ſi non plus, certe tantam auctoritatem merentur in exponenda ſcriptura quantam ſectarij per oppoſitum ſenſum ſint contrarij, quod ſi adhuc prætendant Aduerſarij gloſſam ſuam in hac controuerſia eſſe de fide, contra oſtendam vitia recenſita in prima parte diſtinct. 1. eidem gloſſæ in eſſe.

ARTICVLVS V.

Rationes Theologicæ oſtendunt eandem Eccleſiæ viſibilitatem.

IN primis ab orbe condito omnes fidei diuinæ profeſſores erant viſibiles, vt ante diluuium Adam, & Eua, Abel, Seth. & alij: tempore diluuij Noe, & filij; poſt hos Abraham, Iſaac, Iacob, & alij articulo 2. enumerati, & ſynagoga ex duodecim tribus conflata ſub viſibilibus paſtoribus, Sacerdotibus, & Doctoribus directa, vſque ad aduentum Chriſti, qui cum ſuis Apoſtolis, Diſcipulis, & ſequacibus viſibililem conflauit Congregationem, viſam, & notam Hebræis, ergo nulla vnquam eccleſia fuit inuiſibilis, & ignota Societas.

Probatur 2. ad hominem contra Caluinum, illa eſt vera Eccleſia in qua intratur ad vitam, in qua aluntur, & gubernantur fideles vt fatetur Cal. lib. 4. inſtitut. cap. 1. n. 4. atqui hæc eſt eccleſia viſibilis ergo. 2. Deus alligauit Eccleſiam Magiſtris & prędicationi externæ vt fatetur Caluinus lib. 4. inſtitut. cap. 1. num. 5. ſed hæc ſunt ſigna viſibilis eccleſiæ, 3. deſignatio Miniſtrorum fit ab eccleſia vt docet Caluinus eodem lib. cap. 3. n. 14. atqui hoc conuenit Eccleſiæ viſibili, ergo.

Tertio Externa confeſſio fidei cum occaſio tulerit, eſt de neceſſitatę ſalutis Matth. 10. verſ. 32.

omnis ergo qui confitetur me coram hominibus(nota bene:)*cōfitebor,& ego eum coram Patre meo qui eſt in Cælis,qui autem negauerit me coram hominibus,negabo & ego eum coram Patre meo.*Sed externa confeſſio eſt ſenſibilis actio ex epiſt. ad Rom. 10.verſ.10. *corde creditur ad iuſtitiam, ore autem fit confeſſio ad ſalutem* non in occulto, non in latibulis imaginarijs, *ſed coram hominibus* ; ergo illa eccleſia quæ requirit externam & ſenſibilem confeſſionem ſuæ fidei, ſicut ſemper eam requirit vbi occaſio exigit, ita ſemper fuit & eſt viſibilis.

Quarto demus quod non fuerint, nec ſint niſi iſtæ eccleſiæ ſeu ſectæ ſcilicet ſciſmatica Græcorum, Lutherana, Caluiniſtica & Romana, tunc ſic vel datur vera eccleſia vel non? Si non, ergo nulla eſt vera eccleſia, adeoq; neque viſibilis, neque inuiſibilis erit: Si datur vel eſt vna ex dictis vel non? ſi non, ergo nulla prorſus datur, quia præter dictas ſuppono nullam aliam dari, vel ſi detur, dicant Sectarij quæ ſit, & eodem modo petam, ſi eſt vna ex illis, ergo cum dictæ ſenſibiles ſint, vera eccleſia viſibilis erit, iſtę enim omnes ſenſibiles ſunt vt intuenti patęt.

Item probatur ex ethymologia nominis, eccleſia enim dicitur, congregatio, ſocietas, conuocatio, cætus, ſed congregatio ſeu ſocietas fidelium in fide vnitorum eſt viſibilis, atqui eccleſia eſt congregatio in fide vnitorum iuxta illud act.4. verſ.32. *multitudinis credentium, erat cor vnum,& anima vna.* Item progreſſus eccleſiæ fuit viſibilis & ſoli conueniens eccleſiæ viſibili, iuxta illud act.2. verſ.41. *& appoſitæ ſunt die illa animæ circiter tria millia*, peto inſuper in qua eccleſia fuerint celebrata prima concilia generalia,Apoſtolorum act. 15. Nicænum primum, Conſtantinopolitanum, Epheſinum,Calcedonenſe? vtique in eccleſia viſibili.

Denique in Eccleſia à Chriſto inſtituta ſunt Diaconi,Sacerdotes, Epiſcopi, Paſtores,iuxta Apo-

ſtolum ad Eph.4.& 1. ad Corinth.12.qui omnes ſenſibile miniſterium exercent, atqui implicat, quod ſint ignoti, quia publicæ perſonæ ſunt, & iſti in eccleſia ſemper ſunt, ideo eccleſia ex hac parte erit viſibilis, deinde ſi eſſet inuiſibilis, & ignota vera eccleſia, quid faceret Paganus, quid Iudæus, quid totum humanum genus? quod tamen vult ſaluare Deus, *& ad agnitionem veritatis venire*, vbi quæret eccleſiam, quam nec agnoſcit, nec agnoſcere valet? Deinde cum inciderint graues de Religione quæſtiones, à quo decidentur? ab eccleſia: & vbi quærenda? ſi inuiſibilis & occulta, & tamen ſemper verificari debet illud *Dic Eccleſiæ*, vtique viſibili? ergo viſibilitatem eccleſiæ conuincit ſcriptura, conuincũt patres, conuincunt rationes, conuincit confeſſio aduerſariorum, qui nunquam oppoſitum oſtendent in ſcriptura expreſſa, neque in vlla legitima gloſſa, vel conſequentia.

QVÆSTIO III.

De indefectibili perpetuitate viſibilis Chriſtl Eccleſiæ.

Concedent ſectarij hactenus dicta probare primitiuam eccleſiam fuiſſe quidem viſibilem, cæterum ſucceſſu temporis defeciſſe, & latuiſſe abſconditam, mira tamen etiam hic fingunt, ambages quaſdam æquiuocas commentantur, proinde ne apertis ſcripturis de perpetua eccleſiæ duratione videantur aduerſarij, diſtingunt duplicem eccleſiam nempe viſibilem, & inuiſibilem, aiunt viſibilem defeciſſe, inuiſibilem verò perpetuo duraſſe ad hoc tamen ſuum commentitium figmentum probandum, ob quod ipſi veram deſeruerunt eccleſiam & in æternæ damnationis barathrum ſeſe præcipitant, nullam aliam adducunt rationem præter proprij cerebri nugas & battologiam; contra hoc inſanum delirium ſit.

ARTICVLVS I.

Vera, viſibilis Chriſti Eccleſia nunqum defecit, & conſequenter nunquam latuit abſcondita.

DIxi articulo primo præcedentis, Prophetas veteris Teſtamenti pronuntiaſſe de Chriſto, & eius eccleſia, quo poſito probatur aſſertio iſta. primo ex Iſaiæ cap.59. verſ.21. *Hoc fœdus meum cum eis dicit Dominus, Spiritus meus, qui eſt in te, & verba mea, quæ poſui in ore tuo non recedent de ore tuo, et de ore ſeminis tui, & de ore ſeminis ſeminis tui dicit Dominus à modo, & vſq; in ſempiternum.* Hunc textum intelligi de Chriſti eccleſia aſſerunt patres præſertim Hieronymus, fatenter Biblia Anglicana impreſſa anno 1613. In ſcolijs huius capitis, vel ergo defecit vera, & viſibilis Chriſti eccleſia, vel non? Si non, ergo nunquam defecit vera fides, vera Religio Chriſtiana, verus Dei cultus, cum hæc omnia ſint forma veræ Dei eccleſiæ, nam ſine vera fide, Religione, & Dei cultu, non datur vera eccleſia, alioquin Secta Turcarum quæ hæc non habet, eſſet vera eccleſia, quod eſt falſum: Si defecit vera, & viſibilis Chriſti eccleſia, ergo defecit ab illa Spiritus Dei poſitus in ore Chriſti, defecerunt verba de ore ſeminis illius, ergo falſa, & inanis eſt hæc prophetia, ſi dicas non defeciſſe per aliquot annos, defeciſſe tamen poſt aliquot ſæcula; contra, ergo tunc perierunt verba Dei de ore *ſeminis ſeminis Chriſti*; ergo non dabatur cõtinua ſucceſſio veræ fidei, & verborum Dei in progenie, & ſemine ſeminis Chriſti, quam tamen ſucceſſionẽ ſonat, & ſpõdet allatus textus, iterũ falſum dixit Deus per os huius prophetę quod eſt blaſphemũ, ſi dicas non defeciſſe de eccleſia inuiſibili, defeciſse tamen de eccleſia viſibili.

Secunda Probatio.

COntra inſtat idem Iſaias cap.61.v.8.& 9.*Fœdus perpetuum feriam eis,et ſcient in gentibus ſemẽ eorum,& germen eorum in medio populorum, omnes qui viderint eos, cognoſcent illos, quia iſti ſunt ſemen cui benedixit Dominus;* Quod ibi loquatur de Chriſto & eius ſemine teſtatur ipſe Chriſtus Lucæ 4.ver.17. *Traditus eſt illi liber Iſaiæ Prophetæ,& vt reuoluit librum, inuenit locum vbi ſcriptum erat Spiritus Domini &c.* Nempe hoc cap.61.& verſ 21. *Cæpit autem dicere ad illos,quia hodie impleta eſt hæc ſcriptura?* vel igitur vera, & viſibilis Chriſti eccleſia remanſit perpetuo, & indefectibiliter in vera fide, vel non? Si ſic, ergo vera & viſibilis Chriſti eccleſia nunquam defecit, cum tamdiu maneat vera Eccleſia quamdiu veram retinet fidem: Si non, ergo germen & ſemen Chriſti non fuit in medio Populorum ergo non cognoſcebant eos, qui illos videbant, cum ignoti non ſciantur, inuiſibiles non videantur; ergo ſimiliter falſa eſt hæc prophetia, falſoque eam citauit Chriſtus, quod omnem excedit blaſphemiam.

Tertia Probatio.

SI dicas ob peccata membrorum perijſſe eccleſiam, proinde culpam eſſe hominum, non Dei qui offenſus receſſit, contra inſtat Iſaias cap. 9.v.7. *Super filium Dauid & ſuper regnum eius ſedebit,vt confirmet illud & corroboret in iudicio & iuſtitia a modo vſque in ſempiternum.* Et hic locus citatur de Chriſto ab Angelo Lucę 1.& de ipſo intelligi aiunt Biblia Anglica in Scolio; ergo ſi vera eſt hæc prophetia ita Deus corroborauit & confirmauit eccleſiam in *Iuſtitia, & iudicio* vt nunquam ſic opprimeretur peccatis, vt ſucumberet infidelitati, quid eſt

enim

enim corroborare & confirmare in *Iuſtitia,& iudicio*, niſi aduerſus errores præmunire, huc faciunt alia loca, vt pſalm.44. *pro patribus tuis nati ſunt tibi filij* nempe generationes fideles ſibi inuicem ſemper ſuccedentes; *populi tui confitebuntur tibi in æternum, et in ſæculum ſæculi*, & pſal.86. *fundamenta eius in mõtibus ſanctis* & pſal.47. *Deus fundauit eam in æternũ* quæ loca D.Aug. exponit de perpetuitate viſibilis eccleſiæ, cui vtique potius credendum; quam Luthero vel Caluino.

Quarta Probatio.

ET loca huc vſque aſſignata probare non ſolùm viſibilitatem eccleſiæ, ſed etiam eiuſdem viſibilitatis perpetuitatem probant ipſa verba tam aperte, vt non niſi à proteruo negari poſſint, *Verba mea*, inquit Deus apud Iſaiã, *non recedent de ore tuo, et de ore ſeminis, ſeminis tui à modo vſque in ſempiternum* & cap.11.verſ.6. *ſalus autem mea in ſempiternũ erit*. Daniel 2.verſ.44. *ſuſcitabit Deus Cæli regnum, quod in æternum non diſſipabitur.* rurſus Iſaiæ 60.à verſ.1. *ambulabunt gentes in lumine tuo et reges in ſplendore ortus tui, &* v.11. *& aperientur portæ tuæ iugiter die ac nocte, non claudentur, vt afferatur ad te fortitudo gentium, & reges earum adducantur, gens enim & regnum quod non ſeruierit tibi peribit.* De eccleſia hûc locum intelligi aſſerit Cyrillus Alexandrinus, Hieronymus, Auguſtin. Theodoretus, Tertull., Ambroſius & alij, imo & Biblia Anglica in ſcolio huius capitis; tandem pſal.88.v.36. *Semel iuraui in ſãcto meo* (en iurat Deus) *Si Dauid mentiar, ſemen eius in æternum manebit, & thronus eius ſicut ſol in conſpectu meo, & ſicut luna perfecta in æternum, & teſtis in Cælo fidelis*, quid expreſſius de perpetua eccleſiæ viſibilitate dici poteſt? ſi viſibilem negas, ergo nec poterant, nec poſſunt gentes ambulare in lumine eius, ſi negas perpetuam, & indefectibilem ergo

por-

portæ eius non aperiebantur iugitur.ergo *nocte et die non patebant*, ergo fallit Deus per os Iſaiæ; minime inquies; fatere ergo cum Iſaia cap. 35. verſ. 8. *hæc erit vobis directa via, ita vt ſtulti non errent per eam*, & eam ſic perpetuo fuiſſe.

Accedunt teſtimonia noui Teſtamenti.

MAtth.16.verſ.18. *ſuper hanc petram ædificabo eccleſiam meam,et portæ inferi non præualebūt aduerſus eam.* Cui hic credam? an Chriſto,an vero, Luthero, Caluino, aut cuicumque alteri ſectario neganti perpetuitatem eccleſiæ: Chriſto inquies, vel ergo defecit aliquando viſibilis Chriſti eccleſia vel non? ſi non, ergo mentiuntur ſplendidiſſime qui eam defeciſſe, & tot cententis annis aſſerunt latuiſſe abſconditam, ſi defecit; ergo fallit, & fallitur Chriſtus, fallitur ipſius aſſiſtentia promiſſa quod eſt blaſphemum, non fallit inquies, quia hæc intelliguntur de inuiſibili eccleſia, quæ nunquam defecit & intelligi etiam poſſunt de viſibili, quæ aliquot centenis annis durauit,poſt vero defecit: contra eccleſiæ à ſe inſtitutæ promittit Chriſtus hanc perpetuitatem, ſed eccleſia inſtituta á Chriſto eſt & fuit viſibilis Matth.18. *dic Eccleſiæ* 1. ad Tim.3. *Vt ſcias quomodo oporteat te in domo Dei conuerſari, quæ eſt eccleſia Dei viui columna, & firmamentum veritatis:* illi eccleſiæ promittit Chriſtus, in qua ad Epheſ. 4. & 1. ad Corinth. 12. *poſuit Deus Doctores, Paſtores, Prophetas, in qua poſuit Apoſtolos*, quibus Matth. vltimo & eorum ſucceſſoribus promittit, *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad conſummationem ſæculi.*

Vlterior probatio.

SI autem defecit eccleſia viſibilis, ſic inſto, vel duæ propoſitiones contradictoriæ erunt ſimul

veræ

veræ, vel duæ propoſitiones vniuerſales à Chriſto prolatæ erunt ſimul falſæ, quod probo, *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſq;ad conſummationem ſæculi;*eſt propoſitio vniuerſalis affirmatiua *et ego vobiſcum non ſum omnibus diebus;*ijs ſcilicet quibus defecit eccleſia; eſt propoſitio negatiua,vnde ſi defecit eccleſia illa, cuius portæ die ac nocte erant apertę, iam vera eſt negatiua, nempe Chriſtum non fuiſſe cum illa omnibus diebus, atque adeo falſa eſt prima, *ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus,*Si dicas vniuerſalem Chriſti eſſe veram, & adhuc eccleſiam defeciſſe;contra ergo tunc duæ contradictoriæ erunt ſimul veræ, quod oſtenditur in altera propoſitione *portæ inferi non præualebunt,et portæ inferi præualebunt,*ſunt duæ contradictoriæ,ſi enim defecit eccleſia iam portę inferi præualuerunt aduerſum eam,cōſequenter vera eſt hæc ſecunda propoſitio, & falſa erit prima ſcilicet portæ inferi non præualebunt, nam eccleſiam defeciſſe,eſt portas inferi pręualuiſſe & aſſiſtentiam Chriſti defuiſſe, atqui ſicut ſub infallibili aſſiſtentia Spiritus Sancti, nunquam mentiri poſſunt prophetæ, ideo enim adeſt hæc aſſiſtentia,ne mentiantur:ita ſub infallibili aſſiſtentia Chriſti non eſt præſumendam eccleſiam poſſe deficere, vel ergo impingis mendacium Chriſto ſectarie,dum ais eccleſiam defeciſſe, vel dices duas contradictorias eſſe ſimul veras vt ſupra, vel neceſſario debebis negare illud tuum delirium,ſcilicet viſibilem eccleſiam vnquam defeciſſe.

Vltima probatio.

VIſibilem inquam, *cuius portæ debent eſſe apertæ iugiter die ac nocte,in cuius ſplendore & lumine gentes ambulent,in qua ſit ſemen ſeminisChriſti,quorū germen ſit in medio populorum, vt omnes qui viderint eos,cognoſcant illos;in qua verſari quis poſſit,*an de tenebris, de vmbris,de ſpatijs imaginarijs hæc dicuntur;

tur? de viſibili vtiq; alioquin quomodo erit vniuerſaliter verū, quod dicitur 1. ad Tim. 2. v. 4. *Deus vult omnes homines ſaluos fieri et ad agnitionem veritatis venire.* uult ergo ſemper hoc uel non? ſi non, ergo non uult omnes, quia ſemper ab initio fuerunt homines; Si vult omnes, ergo ſemper patuit aditus ad eccleſiā illam, de qua ſemper fuit verum *dic eccleſiæ* illi ſcilicet, in qua teſtes uocari, frater corripi poſſit & ſi eccleſiam non audierit habeatur ut Ethnicus, & publicanus, denique, uel ſectarij tenent de fide eccleſiam defeciſſe, uel non tenent? ſi non id tenent de fide ergo ſolum opinantur, & ob meram opinionem ſunt apoſtatæ & in certiſſimæ damnationis uia, ſi tenent de fide. oſtendant ubi id ſit expreſſe reuelatum? quo ſcripturæ loco? Si dicant colligi ex gloſſis uel conſequentijs ſcripturæ contra ſit.

ARTICVLVS II.

Perpetuam Eccleſiæ viſibilitatem, & exiſtentiam probant patres primitiuæ Eccleſiæ.

EX Grçcis Irenæus Epiſc. Lugdunenſis anno 180. lib. 4. cap. 43. *quapropter eis qui ſunt in eccleſia presbyteris ob audire oportet his qui ſucceſſionem habēt ab Apoſtolis, ſicut oſtendimus, qui cum Epiſcopatus ſucceſſione chariſma veritatis certum ſecundum placitum patris acceperunt.* Euſebius Cæſarienſis an. 320. de præparatione Euangelica lib. 1. cap. 3. *certum eſt igitur Saluatorem noſtrum prædixiſſe eccleſiā qua poſtea virtute ſua conſtituta eſt inuictam atq; inexpugnabilem fore, nec vnquam futurum vt à morte ſuperaretur, ſed firmam fore ſemper, & immobilem: cuius diuinationis effectus omnem impudentiſſimā linguam vanā contradicentem arcere poteſt.* Athanaſ. an. 340. oratione qua docet unum eſſe Chriſtum *Tu es Petrus? fidelis ſermo, et non vacillans promiſſio, et eccleſia inuicta res eſt, etiamſi infernus ipſe commoueatur,* Gregor. Nazian-

zianzenus anno 380.oratione prima in Iulianum, *Tune contra magnam Chriſti hæreditatem? magnam inquam, et haud ceſſaturã, ſed ſemper plus vltra progreſſuram, et altius exurrecturam, diuinis enim credo prædictionibus.* idem aſſerit Cyrill. Ieroſolymitanus anno 370. Cathecheſi 18. Ioannes Chryſoſtomus an. 400. ad cap. 2. Iſaiæ *vocat nomine montis eccleſiam, ſimul & inexpugnabilem dogmatum eius traditionem.* Item demonſtratione aduerſus gentes, quod Chriſtus ſit Deus, *conſtat eccleſia ſolida, & ſtabilis, ac inuicta, florens, ac fulgens,* plures alios taceo.

Ex latinis progreditur Martialis anno 100. epiſt. ad Burdegalenſes cap. 11. *Sed firma eccleſia Dei, & Chriſti, nec cadere, nec diſrumpi poterit vnquam.* Cyprianus anno 250. epiſt. ad Cornelium. *Eccleſia quæ in Chriſtum credit, et ſemel id quod cognouit tenet, nũquam ab eo omnino diſcedit & ij ſunt eccleſia, qui in domo Dei permanent.* Ambroſ. an. 370. ad c. 11. Lucæ *Regnum eccleſiæ manebit in æternum, quia indiuidua fides, corpus eſt vnum.* Hieronymus anno 390. ad caput 4. Iſaiæ. *ſuper petram fundata Eccleſia nulla tempeſtate concutitur, nullo turbine, ventiſq; ſubuertitur,* idem ad cap. 28. Matth. *Qui vſque ad conſummationem ſæculi cum diſcipulis ſe futurum eſſe promittit, et illos oſtendit ſemper eſſe victuros, & ſe nunquã à credentibus eſſe receſſurum.* Aug. an. 400. ad pſal. 47. *Quæ eſt ergo iſta Ciuitas videamus?* & infra, *Deus fundauit eam in æternum, quid times ne cadat firmamentum;* lib. 3. contra epiſt. Parmeniani cap. 3. *Extat eccleſia cunctis clara atq; conſpicua.* lib. 2. contra Creſconiũ cap. 36. *ipſa eſt quæ non in aliqua parte terrarum, ſed vbique notiſſima eſt, & lib. de vnitate eccleſiæ cap. 25. hinc fit vt eccleſia vera neminem lateat.* Hactenus ſancti Patres primitiuæ eccleſiæ, quibus vtique potius credendum quam nouatoribus.

AR-

ARTICVLVS III.

Eandem viſibilis eccleſiæ perpetuitatem probat dilemma Sancti Auguſtini & aliæ rationes Theologicæ.

NEruoſo dilemmate, ſic arguit S.Aug.lib.2. cōtra Gaudentium cap.8.tom.7. *Reſponde vtrum eccleſia (oriente Donato) perierit an non perierit? elige quod putaueris; ſi iam tum perierit; Donatum quæ peperit? Si autem tot in eam ſine baptiſmo aggregatis perire non potuit, reſponde, quæſo vt ab ea ſe tanquã malorum communionem deuitans pars Donati ſepararet, quæ dementia perſuaſit?* Ex quibus ſic ego etiam arguam, oriente Luthero, Caluino, & quouis alio nouatore vel eccleſia, veraq; fides perijt, vel non perijt? hæc enim duo neceſſario connexa ſunt, nempe vera fides, & vera eccleſia, adeo vt ſi in vno puncto erret à vera fide eccleſia, hæretica ſit oportet, nec eccleſia Dei, ſed Satanæ foret, ſicut priuatus quiſque, qui vel vnam hæreſim tuetur, licet in cæteris articulis recte credat, & alijs orthodoxis conſentiat, non orthodoxus, ſed hæreticus eſt.

Dico ergo oriente Luthero, Caluino, vel perijt eccleſia, vel non perijt? Si perijt adeoque perierit à tempore Gregorij Magni, vt delirant Sectarij, ergo per nongentos annos extincta fuit eccleſia, ergo Mundus per annos nongentos vera fide, Religione, Sacramentis eccleſię, ſaluteque caruit; ergo Chriſtus eccleſiam ſuam per nongentos annos deſeruit, ergo æternum Chriſti regnũ concidit, nam Chriſtus in eccleſia regnat: ergo aduerſus eccleſiam portæ inferi præualuerunt, ergo Caluinus, Lutherus, & alij ſectarij nati ſunt extra eccleſiam nec eccleſiæ membra fuerunt, ſed infideles hæretici, vel Pagani, ergo à populo non debuere recipi, ſed tanquam infideles reijci.

Si non perijt eccleſia, ſed in vera fide & eccle-

cleſia nati, baptizati, educati, inſtituti fuerunt Lutherus, & Caluinus, atque adeo, cum in Catholica, Apoſtolicâ Romana Eccleſia nati baptizati, & inſtituti fuerint, illa vtique erit vera eccleſia, veram habens fidem; ergo cum ab ea diſceſſerint, ac ſegregauerint ſe per ſua noua dogmata nouatores iſti à vera ſe fide, & eccleſia ſeparauerunt, atque apoſtatarunt: ergo cum alias eccleſias reformatas inſtituerint, non veram, & apoſtolicam, ſed apoſtaticam, ſciſmaticam, hæreticam; non fidei, ſed nouorum dogmatum, ſed hæreſum magiſtram, & ſcholam inſtituerunt, & ne iter. m ad ſuam inuiſiblem eccleſiam recurrant, ſit.

Probatio, ſecunda.

SI eccleſia eſſet latens & occulta, eſſet ſynagoga Satanæ, ſiue hæreticorum conuenticulum, non vera Chriſti eccleſia, atqui illa eccleſia quam fingunt hæretici, fuit occulta latens & ignota, ergo non fuit eccleſia Chriſti, ſed conuenticulum hæreticorum, minor eſt effugium hæreticorum; maior probatur, illa eccleſia inuiſibilis, vel profitebatur fidem Chriſti externe & vtebatur lauacro regenerationis, ac vſu Sacramentorum, & ſincera verbi Dei doctrina & prædicatione vel non? ſi primum, fuit ſemper viſibilis, illa enim inuiſibiliter fieri nequeunt: ſi ſecundum, non eſt eccleſia Chriſti, quomodo enim eſſet vera eccleſia, apud quam baptiſmus & cœna non eſt, apud quam verbum Dei non prædicatur. vrgeo vlterius, vel illa eccleſia externe profitebatur fidem Chriſti, vel non? Si primum, viſibilis fuit, ſi ſecundum non fuit vera eccleſia, cum de ratione veræ eccleſiæ ſit confeſſio fidei externa, quando opus fuerit: quod ſic probo, illa eccleſia inuiſibilis, quæ perſiſtebat, viſibili extincta, conſtabat membris occultis & latentibus per ſectarios, quæro ergo iterum, vel colebat palam

fidem catholicam, eamque profitebatur vel non? Si primum, ergo illa Eccleſia fuit viſibilis, qualis fuit tempore primitiuæ eccleſiæ, & Martyrum? Si ſecundum, ergo non fuit eccleſia vera, ſed Congregatio Satanæ, cum fidem, quam corde retinuit, ore, opereque non fuerit profeſſa, & ſic tota illa eccleſia fuit hæretica, cum abhorruerit Chriſtum coram hominibus confiteri: nam non minus eſt hæreticum Chriſtum interne non credere, quam nolle externe confiteri, exigente occaſione, quæ ſine dubio dabatur illis ſæculis quibus aiunt iſti latuiſſe eccleſiam. Vnde ſic inſto vel tunc aliquis pro fide mortuus eſt vel non? Si primum, certe tunc fuit martyr, & viſibilis Eccleſiæ, pro cuius confeſſione mortem oppetijt membrum, ſi ſecundum ergo, tunc nulla fuit Eccleſia, in qua nullus inueniretur, qui Chriſtum confiteretur.

Probatio Tertia.

EX inconuenientibus: primo quandiu vera, & viſibilis Chriſti eccleſia durauit, durauit vtique ex ſingulari Dei priuilegio, tunc ſic, vel Deus potuit deinceps illæſam ſeruare ſuam eccleſiam, prout promiſit toties vt vidimus, vel non potuit? Si ſecundum; ego parua eſt potentia Dei: ſi primum, cur non ſeruauit cum ſic promiſerit? cur dicit ſe ædificaſſe eccleſiam ſupra Petram, cum videatur ſi defecit, ædificaſſe ſupra arenam. Secundo ideo recurruunt ſectarij ad inuiſibilem vt ſaluent infallibilitatem promiſſam eccleſiæ, ſed ſic eſt quod infallitas iſta non ſubſiſtat in inuiſibili, ſi viſibilis eccleſia defecit, nam quando Lutherus, & Caluinus inceperunt, nullus interris erat viſibilis, vel inuiſibilis niſi Pagani, Turcæ, Hebræi, Sciſmatici, Neſtoriani, Ariani, Valdenſes, Huſſitæ, Romani, vel dicant ipſi qui alij, & quo Angulo latuerint? Si ergo omnes illi defecerunt, iam ipſa inuiſibilis eccleſia defecit,

quod

quod ſi ſic peto, quæ eccleſia genuit Lutherum, quos Doctores, Paſtores, Epiſcopos, quæ concilia habuit illa eccleſia? Quomodo fieret Paganorum conuerſio, hæreticorum damnatio, Sacramentorum adminiſtratio ſi fuiſſet eccleſia inuiſibilis?

QVÆSTIO IV.

De determinata vnitate Eccleſiæ illiuſque membris.

HVc vſque Aduerſarij in ſuis ſententijs de Eccleſia miras anguſtias paſſi, cum ſe viderent inter malleum, & incudem poſiti ex vna parte, ſi negarent omnem prorſus eccleſiam, hoc ipſo faterentur portas inferi præualuiſſe, ex altera parte, ſi agnoſcerent extitiſſe ante ſe Eccleſiam veram vtique, de hac enim ſola eſt difficultas, ſtatim, videbantur in Catholicorum retia incidere, cum hi vrgerent validiſſimis rationibus, & expreſſis ſcripturæ Textibus hanc debere eſſe viſibilem, proinde iterum ad latebras vt antea profugi dixere eam conſtare ex incognita electorum multitudine per orbem diſperſa, & confuſa, contra quos vt melius procedatur, & illos ex hoc etiam latibulo, & refugio detrudamus ſic deſcribo eccleſiam. *Eſt Congregatio fidelium vnitorum per aliquod ſignum viſibile in eadem fidei profeſſione, dicitur Congregatio.* Quia in vno non ſaluatur ratio eccleſiæ, dicitur *Fideliũ* quia ſine fide nullus ad eccleſiam pertineret, additur *Signum viſibile*, quia eccleſia viſibilis eſt & ſine aliquo ſigno viſibili nequit vera eccleſia dignoſci, denique requiritur eiuſdem fidei profeſſio externa, quia ſic vniuntur inter ſe fideles.

ARTICVLVS I.

Vera, & viſibilis Chriſti Eccleſia non eſt Congregatio ex ſolis electis, ſed malis etiam promixta conſtat.

PRobatur 1.ex Math.13. verſ.47.& deinceps *Simile eſt regnum Cælorum Sagenæ miſſæ in mare, et ex omni genere piſcium congreganti, quam cum impleta eſſet educentes, et ſecus littus ſedentes elegerunt bonos in vaſa, malos autem foras miſerunt. Sic erit in conſumatione ſæculi, exibunt Angeli, et ſeparabũt malos de medio iuſtorum, & mittent eos in caminũ ignis:* Hoc eſt illud regnum, de quo vaticinatus eſt Daniel 2.cap. *regnum quod in æternum non diſſipabitur,* Neque loquitur hic Chriſtus de eccleſia triumphante in Cœlis, in qua non inueniuntur mali, ſed vtique de militante in terris, in hac ergo ait Chriſtus contineri bonos, & malos, ideſt electos, & reprobos, vt patet in textu, *Separabunt malos de medio iuſtorum, & mittent eos in caminum ignis:* Alias comparatio facta ſagenæ continenti bonos, & malos piſces, non eſſet adæquata, ſic item intelligit D. Auguſtin. lib. de vnitate eccleſiæ cap.14. Et de Ciuitate Dei lib.18.cap.49.cuius expoſitio vtique præferenda eſt expoſitioni cuiuſcumque Sectarij, ſic intelligit Caluinus ipſe lib.4.inſtit.cap.1.nu.13. & Centuriatores Magdeburgenſes centuria prima lib.1.cap.4.

Secunda probatio.

MAth. 13. à verſ.25. *Simile factum eſt regnum Cœlorum homini qui ſeminauit bonũ ſemen in agro ſuo, venit inimicus homo, et ſuperſeminauit zizania in medi tritici.* Et infra. *Sinite vtraq; creſcere vſq; ad meſſem, et in tẽpore meſſis dicã meſſoribus, colligite primũ zizania, alligate in faſciculos ad comburendũ,* tri-

triticum autem congregate in borreum meum. De militante ecclesia continente bonos, & malos hunc locum intelligunt Patres Cyprianus Epiſt-51-Aug. lib. 2. contra Creſconium cap.34. Origenes homil. 21. in Ioſue: Optatus Mileuitanus lib. 7. contra Parmenianum; quorum expoſitioni deferendum potius, quam ſectarijs: ad hunc locum alludit Ioannes Baptiſta apud Math.cap. 3. verſ. 12. *Cuius ventilabrum in manu ſua, & permundabit aream, & congregabit triticum ſuum in borreum, paleas autem comburet igni inextinguibili.* De eccleſia intelligit D. Aug. tract.5. in Ioann. eandem comparat Chriſtus Decem Virginibus, quarum quinq; erant prudentes, & quinque fatuæ Matth. 25. Comparat eam domo. Apoſtolus 2. ad Tim. 2. verſ.10. *In magna autem domo non ſolum ſunt vaſa aurea, & argentea, ſed, & lignea, & fictilia, & quædam in honorem, quædam in contumeliam, ſi quis ergo emundauerit ſe ab iſtis, erit vas in honorem ſanctificatum.* Hanc domum eſſe Eccleſiam ait 1. ad Tim.3. *Vt ſcias quomodo oporteat te in domo Dei conuerſari quæ eſt eccleſia; ergo* In hac ſunt boni, & mali, ſic intelligunt Cyprianus, & Auguſtinus.

Tertia probatio.

IDem eſt vocatus ac fidelis, & Chriſtianus, ſic enim Apoſtolus Chriſtianos deſcribit 1. ad Cor. 1. *Eccleſiæ Dei quæ eſt Corinthi vocatis Sanctis* Ad Rom.1.verſ.7. *In quibus eſtis, & vos vocati IeſuChriſti.* Sed ſic eſt quod Chriſtus ait Math.20. verſ. 16. *Multi ſunt vocati pauci vero electi*, nempe multi fideles, ſed pauci ſaluabuntur: ergo in eccleſia ſunt prædeſtinati, & reprobi, item poſtquam Apoſtolus 1. ad Corinth.1. *Dixit Paulus vocatus Apoſtolus Ieſu Chriſti Eccleſiæ Dei, quæ eſt Corinthi Sanctificatis in Chriſto Ieſu vocatis Sanctis.* Dicit cap.3.verſ.3. *Cum enim ſit inter Vos zelus, & contentio nonne carnales*

nales eſtis? Et cap.5.verſ.1.*Omnino auditur inter vos fornicatio,& talis fornicatio qualis nec inter gentes, ita vt vxorem patris ſui quis habeat*. Ergo in Eccleſia ſunt boni, & mali, electi, & reprobi, licet Apoſtolus recenſeat huiuſmodi malos apud eccleſiam Corinthiorum, eam tamen vocat Eccleſiam Dei, item, & Galatas quibus titulum eccleſiæ tribuit in ſua epiſtola ad eoſdem, acriter reprehendit, ſimiliter Apocalip. 2. reprehenduntur Epiſcopi ſeptem eccleſiarum, qui tamen fuerunt membra eccleſiæ; ergo.

Vnde peto an Sectarij teneant de fide contra citatos Textus eccleſiam Dei conſtare ex ſolis electis nec ne? Si non, ergo ſolum opinantur ita eſſe atque adeo de aſſertione ſua non ſunt infallibiliter certi:Si vero de fide teneant eccleſiam conſtare ex ſolis prædiſtinatis, oſtendant in puro, & expreſſo Dei verbo ſine additiones diminutione, gloſſa, vel conſequentia vbi id ſit reuelatum? quo libro,Capite, verſu? ſi recurrant ad gloſſas, & conſequentias opponam vitia prima parte numerata.

ARTICVLVS II.

Hæc viſibilis eccleſia non eſt,nec fuit confuſa multitudo, ſed vnus ac determinatus fidelium cætus.

PRobatur 1. ex Ioannis 11. verſ. 51. *Hoc autem à ſemetipſo non dixit,ſed cum eſſet Pontifex anni illius prophetauit quod Ieſus moriturus erat pro gente,& non tantum pro gente, ſed vt filios Dei, qui erant diſperſi congregaret in vnum,* & cap. 10.eiuſdē verſ.16.& alias *Oues habeo quę non ſunt ex hoc ouili, & illas oportet me adducere,& vocem meam audient, & fiet vnum ouile,& vnus paſtor,* vbi nota quod non omnes electi ſint intra eccleſiam priuſquam vocentur vt patet ex textu ibi, *& alias oues habeo, quas oportet me adducere,ſi* Autem eſſent intra eccleſiam,

quare

quare eſſent adducendæ, vel vocandæ? confr. ex Iſaiæ 3. verſ. 8. *Hæc erit vobis directa via, ita vt ſtulti non errent per eam*. Sed ſic eſt, quod errarent in via veritatis inuenienda ſi eccleſia non poſſet diſcerni, ergo vt cognoſcatur debet eſſe determinata ſenſibilis ac vna, quod probatur aperte ex illo Math. 18. *Dic eccleſiæ ſi eccleſiam non audierit &c.* Quomodo autem poſſet dicere quidquam eccleſiæ confuſæ ac indeterminatæ; quomodo audiri poſſet incognita, & diſperſa eccleſia?

Hanc determinatam vnitatem ſæpius inculcat Apoſtolus, & inprimis ad Rom. 12. verſ. 4. *Sicut enim in vno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent, ita multi vnum corpus ſumus in Chriſto, ſinguli autem alter alterius membra*. Arguit Apoſtolus à corpore humano ad eccleſiam, quid magis vnitum corpore? quid magis determinatum? quid magis ordinatum? ergo ſimiliter eccleſia debet eſſe determinata, & vna, alioquin paritas Apoſtoli non curreret, ergo ſicut á perfecto corpore omnis confuſio debet abeſſe, ita etiam abeſſe debet ab eccleſia: hinc proſequitur eandem vnitatem Apoſtolus ad Epheſ. 4. *Vnum corpus, vnus Deus, vna fides, vnum baptiſma, donec occurramus omnes in vnitatem fidei, & agnitionis filij Dei in virum perfectum, vt iam non ſimus paruuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ*, commendat vnitatem fidei vt ad Philipp. 2. verſ. 2. *Idem ſapiatis vnanimes idem ſentientes*, ergo eccleſia eſt vnum corpus in vna fide. De qua vnitate fuſius infra diſt. 5. & 9. q. 1.

ARTICVLVS III.

Eccleſiam non fuiſſe,nec eſſe confuſam, & incognitam electorum multitudinem, ſed determinatum cætum malis etiam permixtum probant Patres.

EX Græcis Origines homil.21.in Ioſue, *Sicut ergo in Euangelio permittuntur zizania ſimul cū tritico creſcere,eodem modo hic in Ieruſalem,hoc eſt in eccleſia*, & ibidem *Neq; enim poſſibile eſt ad liquidum purgari eccleſiam dum in terris eſt,vt neque impius in ea quiſque, nec peccator reſidere videatur, ſed ſint in ea omnes Sancti, & beati.*

Chryſoſtomus in pſal.39. *Nec ex perfectis vniuerſa quidem conſtat eccleſia,ſed habet eos qui, & diſſolutam vitam amplectuntur, & libenter ſeruiunt voluptatibus.* Et homil.49.in cap.24.Math. *In die Iudicij lugebunt,& Chriſtiani peccatores,qui magis dilexerunt mundum quam Chriſtum*,ergo ex Chriſtianis aliqui ſunt peccatores, & reprobi.

Ex Latinis Cyprianus lib.3.epiſt.7. *Quoniam zizanias eſſe in eccleſia cernimus ipſi de eccleſia non recedamus. Hieronymus* ſuper pſal.30. *Quoniam defecit in dolore, quia eccleſia non poteſt emendare malos,nec ſegregare malos à Sanctis vſque in finem,vnde Dominus dixit ſinite vtraque ad meſſem.*

Gloſſa Ambroſio aſcripta in epiſt.2.ad Tim.c.2 tom.3. *Hoc dicto ſignificauit in eccleſia diuerſos eſſe homines, quoſdam bonos,& ſummos viros,quos in auro intelligi vult, quoſdam bonos tantum, quos in argento deſignat,alios vero non bonos quos quaſi ligna & fictilia appellat.* Aug.tract.6. in Ioann. poſt medium *Nos fatemur in Eccleſia Catholica,& bonos, & malos eſſe, ſed tanquam grana, & paleam*, & lib 2. contra epiſt. Parmen. cap.7. *Dicant quid Sancto ſecundum ſalutem ſpiritualem obfuerit, vel in Sacerdotibus, vel inter Populum conſtituto malus aut maculatus Sacer-*

dos? vbi erat Moyſes, & Aaron, ibi murmuratores ſacrilegi, vbi erant Caiphas, & cæteri tales, ibi Zacharias, ibi Simeon, & cæteri boni, vbi Saul, ibi Dauid, vbi Hieremias, vbi Iſaias, vbi Daniel, vbi Ezechiel, ibi Sacerdotes mali, & populi mali, ſed ſarcinam ſuam vnuſquiſque portabit. Hæc Patres illi de malorum cum bonis, & reproborum cum electis permixtione in vna, eademque eccleſia.

Eccleſiæ determinatam vnitatem probant etiã, & inprimis S. Ignatius epiſt. ad Tharſenſes *Vna itaq; eccleſia etiam eſſe debet, & vna fides quæ in Chriſto eſt.* Cyprianus *lib. de vnitate eccleſiæ: vt vnitatem eccleſiæ manifeſtaret, vnam Cathedram conſtituit* Tertull. lib. de velandis virginibus cap. 2. *Vna nobis & illis fides, vnus Deus, idem Chriſtus, vna Eccleſia ſumus.* Aug. in vers illum pſalm. 44. *flumen Dei repletum eſt aquis, quomodo vnum flumen ſi plura flumina? multæ eccleſiæ, & vna eccleſia, multi fideles, & vna ſponſa Chriſti, ſic multa flumina, & vnus fluuius,* & in pſalm. 106. *poſuit ſicut oues familias, multæ familiæ, multæ eccleſiæ vna eccleſia, vna plebs, vna familia, vna ouis eſt.* Quid coram tali authoritate valeant nugæ Sectariorum!

ARTICVLVS IV.

Eandem Eccleſiæ vnitatem ex malis, & electis probant rationes Theologicæ.

ARguo 1. ex illo act. 9. vbi Paulus ſpirans minarum, & cædis in diſcipulos Domini narratur accepiſſe Epiſtolas vt eos vinctos perduceret in Ieruſalem, vt ipſe teſtatur 1. ad Corinth. 15. verſ. 9. *perſecutus ſum eccleſiam Dei.* Sed Paulus tunc, & ab æterno fuit prædeſtinatus, tunc ſic, vel tunc Paulus fuit membrum eccleſiæ vel non? ſi non: ergo non omnis electus hoc ipſo quod ſit predeſtinatus eſt actuale membrum eccleſiæ: ſi fuit: ergo quan-

tumuis negauerit imo, & impugnauerit apertè fidem Chriſti, adhuc tamen fuit in eccleſia, ergo etiam licet non fuerit baptizatus fuit tamen Chriſtianus, & ſic fruſtra baptizatus fuit, cum tamen ſine baptiſmo nemo poſſit eſſe membrum eccleſiæ Chriſti Ioann. 3. verſ. 5. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non poteſt introire in regnum Dei*, Fruſtra inſtrueretur in fide Chriſti, contra illud ad Rom. 8. verſ. 9. *Si quis autem Spiritum Chriſti non habet hic non eſt eius.* Ergo ſi tunc Paulus fuit membrum eccleſiæ poteſt quis ſine fide, baptiſmo, & obſeruantia Euangelij eſſe in eccleſia Chriſti, quod eſt falſum.

Arguo 2. Iudas aſcriptus à Chriſto in numerum Apoſt. & conſequenter membrum eccleſiæ fuit reprobus: item fuere Simon Magus, & Nicolaus Diaconus, quia fuerunt baptizati, & additi eccleſiæ, ſed fuerunt reprobi, hinc D. Aug. tract. 45. in Ioan. *Secundum ergo iſtam præſcientiam Dei, & prædeſtinationem, quam multæ oues foris, quam multi lupi intus, & quam multæ oues intus, & quam multi lupi foris.* Foris vtique fuit Paulus, foris Cornelius, foris tria illa millia quæ act. 2. receperunt ſermonem Petri, pergit Aug. ibid. *quam multi blaſphemant Chriſtum, credituri in Chriſtum: item quam multi intus laudant, blaſphematuri.* Hinc inſto vlterius ex hac authoritate, quia ex oppoſito Infideles, Pagani, Iudæi, Turcæ futuri aliquando fideles, erunt membra eccleſiæ etiam dum blaſphemi in Chriſtum ſuas impias ſectas ſequuntur, quo nihil abſurdius: quomodo enim erit membrum eccleſiæ, qui nullum cum eccleſia commercium habet, qui fidem Chriſti non profitetur, qui lauacro regenerationis per baptiſmum qui eſt ianua eccleſiæ, non eſt ablutus? quomodo filius qui non eſt renatus ex aqua, & Spiritu Sancto? quare ſicut, vt infra dicam diſt. 7. Nemo extra eccleſiam ſaluatur, ita etiam ſine baptiſmo nemo ſaluatur; ergo ſi nullus extra eccleſiam ſaluatur, & nul-

nullus ſine baptiſmo etiam ſaluatur, ita nullus ſine baptiſmo eſt in eccleſia, ergo prædeſtinati hoc ipſo quod ſint prædeſtinati, non ſunt in eccleſia, niſi baptizentur ergo multi ſunt lupi intus, multæ oues foris.

Arguo 3. ad hominem, & peto an peccent vnquam ſectarij, nec ne? putant enim iſti ſe eſſe in eccleſia, ſi nunquam peccant, grande priuilegium, ſed nullibi in ſcriptura demonſtrabile, quæ dicit epiſt. 1. Ioann. cap. 1. verſic. 6. *Si dixerimus quia peccatum non habemus ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt:* Idem dicam de ſectarijs: ſi peccent peto an tunc ſint membra iſtius ſuæ imaginariæ eccleſiæ nec ne? ſi non, ergo ſunt Ethnici, & publicani, nec corrigendi à ſuis Paſtoribus, ſi quos habent iuxta monitum Apoſtoli 1. ad Corinth. 5. verſic. 12. *Quid mihi de ijs qui foris ſunt iudicare?* Denique cum de ratione eccleſiæ ſit habere Paſtores, & Doctores, quos Populus audiat, vel ergo omnes iſti ſunt prædeſtinati vel non? primum non eſt euidens, nec nobis vllo modo certum, imo potius incertum: ſi ſecundum dubitabunt an ſint prædeſtinati, & ſic negabunt eos eſſe Paſtores, cum non conſtet eos eſſe membra eccleſiæ, negabunt eis obedientiam, præſertim ſi incidant in peccatum contra illud D. Petri 1. cap. 3. *Subditi eſtote dominis etiam diſcolis.*

Quarto denique arguo etiam ad hominem ideo tenebriones iſti recurrunt ad eccleſiam illam incognitam electoruml, ne cogantur eccleſiam viſibilem fateri, tunc ſic dato, & nunquam conceſſo, quod omnes qui ſunt in eccleſia eſſent prædeſtinati, peto vel de iſta prædeſtinatorum eccleſia intelligitur illud Chriſti Math. 18. *Dic eccleſiæ, ſi eccleſiam non audierit ſit tibi ſicut Ethnicus, & publicanus,* Vel non? ſi non ergo prædeſtinatorum Congregatio non erit eccleſia Chriſti: ſi intelligatur de illa Textus citatus, vel illa erit nota, vel ignota? ſi ignota, impoſ-

poſſibile eſt eam audire,illi ſe præſentare,illius ſententiam percipere, ſicut mihi modo impoſſibile eſt audire vocem hominis mortui, vel nondum nati, aut in remotiſſimis partibus exiſtentis: ſi nota eſt, ergo adhuc ſuppoſito, & nunquam conceſſo, quod eccleſia conſtaret ex ſolis electis eſſet vna determinata, viſibilis, ac ſenſibilis hominum viſibilium, congregatio, cum apud eos neceſſe foret dari actiones quaſdam externas, vt publicum Dei cultum, ſenſibilem Euangelij prædicationem, tum infidelibus; tum rudibus, tum pueris & alijs, adminiſtrationem Sacramentorum &c. ergo à primo ad vltimum,vnam determinatam viſibilem ac perpetuam eccleſiam probant ſcripturæ; Patres,rationes Theologicæ, nec oppoſitum vnquam oſtendent Sectarij expreſſe in ſcriptura aut Patribus, neque gloſſas, aut conſequentias adducent pro hoc ſuo delirio, quæ fundent fidem diuinam.

QVÆSTIO V.

Soluuntur obiectiones.

ARTICVLVS I.

Soluuntur obiectiones contra viſibilitatem Eccleſiæ.

IN vna omnes eorum obiectiones includo, obijciunt ergo multipliciter, credo Sanctam Eccleſiam,quod autem creditur non videtur: ergo eccleſia eſt inuiſibilis, item Lucæ 17. verſ.20. *Non venit Regnum Dei cum obſeruatione, neq; dicent ecce hic, aut ecce illic; ecce enim regnum Dei intra vos eſt.* Ioan.4. verſ.23.*veri Adoratores adorabunt Patrem in Spiritu, & veritate* Ad Hæbræos 12.verſ.22.*Non enim acceſſiſtis ad tractabilem Montem,ſed ad Sion Montem, & Ciuitatem Dei viuentis* 1. Petri verſ. 5. *Et ipſi tanquam lapides viui ſuper ædificamini domus Spiritualis.*

lis. Ieremiæ 31.verſ.23. *Dabo legem meam in viſceribus eorum,& in corde eorum ſcribam eam*. Alia loca ad eundem finem adducunt, ex quibus omnibus deducunt hanc ridiculam cõſequentiam, ergo eccleſia Chriſti eſt inuiſibilis,nec exterius diſcerni poteſt.

Reſpondeo Primo retorquendo argumentum: primitiua eccleſia tempore Apoſtolorum fuit viſibilis tunc ſic ſi hi Textus intelligantur præciſe de eccleſia inuiſibili,ergo illa non fuit vera eccleſia,ſi illa fuit vera, ergo hi textus non intelliguntur de inuiſibili vlla eccleſia.

Reſpondeo 2. deducendo argumentum ad impoſſibile opponendo 1. omnes textus á me allatos pro viſibilitate eccleſię,tunc ſic vel ſcriptura fallitur in meis vel in aduerſarij textibus, vel duo contradictoria erunt ſimul vera, nempe eccleſiam eſſe viſibilem per meos textus, & inuiſibilem per textus Aduerſarij, ſed ſcriptura nec fallit, nec fallitur;nec duo contradictoria erunt ſimul vera atque adeo textus aduerſarij petunt exponi, ſicut meos expoſui iuxta primitiuæ eccleſiæ ſenſum,qui præferendus eſt Sectariorum gloſſæ.

Ad primum ergo credo eccleſiam, ideſt credo eam habere veram fidem, quæ fides inuiſibilis ſtat cum viſibilitate eccleſiæ, ſicut inuiſibilis diuinitas Chriſti cum ipſius viſibili corpore. Regnum Dei intra vos eſt, ideſt regnum quod eſt pax, iuſtitia, gaudium in Spiritu Sancto, ad locum Ioannis, non ſolum fideles debent externe colere Deum, ſed etiam interne, & in Spiritu ac veritate. Ad locum Petri fideles ſunt domus ſpirituales, quatenus in eis ſunt vera fides, charitas, ſpes, & cæteræ virtutes, & hæc eſt lex iſta, de qua Ieremias, deinde hæc omnia verificabantur de eccleſia tempore Apoſtolorum, quæ tamen fuit viſibilis, prætendent ſectarij ſe hæc omnia habere,& tamen ſunt ſectę viſibiles ergo hæc ipſis non fauent.

ARTICVLVS II.

Soluuntur obiectiones, contra perpetuitatem Eccleſiæ.

OMnes ſimul colligo, obijciunt igitur, Aaron cum toto populo vitulum adorauit Exod. 32. Item tempore Eliæ ipſo ſolo ſtante tota Synagoga defecit 3. Reg. 19. *Derelictus ſum ego ſolus*. Danielis 9. *Deficiet hoſtia, & ſacrificium* Lucæ 18. *cum venerit filius hominis putas inueniet fidem in terra?* 2. ad Theſſal. 3. *Niſi venerit diſceſſio primum*, ideſt inquiunt Sectarij, *defectio à fide, & reuelatus fuerit homo peccati* Ideſt Antichriſtus, & alia ſimilia addunt, ſubiungunt etiam authoritatem Hieronymi, & Hilarij conquerentium, quod Arianiſmus inundauerit totam eccleſiæ faciem, item iam inde à temporibus Gregorij Magni defectum eccleſiæ notabiliter contigiſſe, ex quibus deducunt eccleſiam defeciſſe, vna ſolutione iugulo omnes has obiectiones.

Reſpondeo ergo 1. me prædictos texus admittere in illis tamen non lego expreſſe eccleſiam Chriſti debuiſſe deficere, ſi autem aduerſarius velit per gloſſas, & conſequentias ex illis inferre ſuam aſſertionem, nego ipſius gloſſam aut conſequentiam eſſe de fide, primo quia nullibi reuelata in ſcriptura. 2. Quia ſcriptura non certificat me aut illum de eius veritate. 3. quia non eſt infallibilis cum deducatur à fallibili ipſius ingenio. 4. quia non aſſignat Sectarius competentem iudicem qui ferat ſententtam de ipſius conſequentiæ bonitate. 5. quia tota primitiua eccleſia dictæ conſequentiæ opponitur, cuius authoritas apud me plus ponderat, quam tota Sectariorum colluuies, hæc reſponſio ſit ad hominem pro Sectarijs, qui nihil volunt credere, niſi quod continetur expreſſe in ſcriptura.

Reſpondeo 2 retorquedo prædicta loca in aduerſarium per oppoſitionem omnium textuum

qui pro perpetuitate eccleſiæ ſunt allati, & inſto; vel ſcriptura fallitur in vno vel altero loco, vel duo contradictoria ſunt ſimul vera, cum textus omnes à me citati ibi ſint contradictorie oppoſiti, textibus hic allatis, ſi intelligantur ad mentem Sectariorum; ſed ſcriptura non fallitur, nec duo contradictoria ſunt ſimul vera, atque adeo termini debent aliter, & aliter accipi.

Ergo ad locum de Elia reſpondet D. Paulus ad Rom. 10. verſ. 3. *An neſcitis in Elia quid dicit Scriptura? reliqui mihi ſeptem millia virorũ, qui non curuauerunt genua ante Baal?* Ergo falſum eſt quod tota ſynagoga defecerit, ad illud de Aaron reſpondet ipſa ſcriptura ibidẽ verſ. 25. *Videns ergo Moyſes &c. & ſtans in porta caſtrorum, ait ſi quis eſt Domini iungatur mihi congregatiq; ſunt ad eum omnes filij Leui.* Ergo hi non conſenſerunt Idololatriæ, vnde apparet Sectariorum vel cæcitas, vel malitia nolentium vel indagare veritatem, vel citare fideliter ſcripturas. Ad Danielem Reſpondet D. Hieronymus eum loqui de Ciuitate Ieroſolima, vel etiam de temporibus Antichriſti, vbi ob perſecutiones, publicæ functiones non ita libere fient, ſicut nec palam, & libere fiebant in primitiua eccleſia, & ſic intelligitur locus D. Pauli, nunquam tamen ſequitur fidem receſſuram ab eccleſia: Chriſtus loquitur de vltimis temporibus, quando fides viua quæ eſt coniuncta cum charitate à multis deficiet, iuxta illud Math. 24. verſic. 12. *Refrigeſcet multorum charitas. Denique ſtat veritas horum textuum, portæ Inferi non præualebunt aduerſus eam, ego vobiſcum ſum omnibus diebus*, vel non ſtat? Si non, ergo fallit, & fallitur Chriſtus quod eſt blaſphemum, ſi ſtat, textus allati non intelliguntur ad mentem Sectariorum.

Ad D. Hieronymum, Hilarium, & ſimiles antequam reſpondeam, peto vel ideo credunt Sectarij defeciſſe eccleſiam, quia Hilarius, Hieronymus, & alij ſimiles Patres aut hiſtorici id dicunt, vel non ideo

ideo? ſi ideo, ergo iam credunt aliquid, quod non eſt in ſcriptura contra ſuas confeſſiones, idque ob meram authoritatem humanam Patrum, & Doctorum eccleſiæ, quibus toties renuntiarunt; ſi non ideo, cur ergo pro ſuo articulo fidei ſtabiliendo citant hos Patres vel vllam authoritatem humanam? & per hanc reſponſionem eludes omnia alia argumenta quæ nugatores iſti afferunt ex patribus, eos deducendo ad contradictionem, nam in ſuis articulis eis renuntiant, & pro ſuis articulis ſtabiliendis eos iterum citant. Reſpondeo ergo tunc celebrata fuiſſe Concilia æcumenica Epheſinum, & Calcedonenſe, ſtetit Romana, Antiochena, Ieroſolimitana eccleſia, ſcripſit tunc Hilarius Catholicis Epiſcopis Germania, Galliæ, Belgij, Floruere multi Patres, Monachi, martyres, vt conſtat ex annalibus eccleſiæ, quæ omnia probant ſtabilitatem fidei.

ARTICVLVS III.

Soluuntur obiectiones contra permixtionem reproborum cum electis in Eccleſia.

OBijciunt plura, 1. Eccleſia dicitur ouile Ioan. 10 Sed electi tantũ ſunt oues iuxta illud Mat. 25. *Statuet oues à dextris,* & illud Ioann. 10. *alias oues habeo quas oportet me adducere, & act. 3. crediderunt quotquot præordinati fuerunt ad vitam æternam.* Item omnia membra eccleſię dicuntur filij Dei iuxta illud Ioann. 5. *Omnis qui facit peccatum ſeruus eſt peccati, filius autem manet in æternum,* peccatores autem non ſunt filij, ergo nec membra. Item peccatores ſunt filij diaboli Ioann. 8. *vos ex Patre diabolo eſtis,* ergo non ſunt membra eccleſiæ. Item ad Rom. 8. *Quicumque Spiritu Dei aguntur ij ſunt filij eius,* ex his, & ſimilibus inferunt Sectarij ſolos iuſtos, & prædeſtinatos pertinere ad eccleſiam.

Reſpon-

Reſpondeo primo retorquendo argumentum, in primitiua Eccleſia, & Collegio Apoſtolico, vbi fuerunt electi, & reprobi, iuſti, & peccatores, vt patet de Iuda, Simone Mago, Nicolao, patet ex epiſtolis D. Pauli inquibus reprehendit Corinthios, & Galatas ob ſua vitia, deinde Sectarij nullum nobis expreſſum ſcripturæ textum proferunt, qui dicat ipſos eſſe certiſſime prædeſtinatos, multo minus eſſe iuſtos, cum habeant etiam Sectarij ſua vitia, & crimina, apud ſe tamen prætendunt eſſe Eccleſiam.

Reſpondeo 2. in præfatis Textibus non legi expreſſe articulum Sectarij, deinde oppono Textus à me allatos, & peto vt ſupra, vel duæ contradictiones erunt ſimul veræ, vel iſta loca patiuntur diuerſum ſenſum. Ad primum ergo, ſermo eſt de eccleſia triumphante vt patet ex Textu. Secundus locus ſoluit ſeipſum, dum enim ait Chriſtus, *alias oues habeo, & illas oportet me adducere*. Oſtendit non omnes prædeſtinatos eſſe actu in eccleſia, antequam eos per ſuam gratiam adducat. Ex 3. loco ſequeretur omnes qui credunt, ſaluari, quod falſum eſt in Iuda, Simone Mago, Anania, & Saphira, præordinantur ergo credentes ratione fidei ad vitam æternam, licet poſtea defectu bonorum operum poſſint damnari, ad alia loca fideles sũt filij ratione baptiſmi, non ſemper tamen per gratiam habitualem; peccatores ſunt ex diabolo per imitationem cum quo ſtat quod poſſint eſſe in eccleſia, vt oſtendi multis ſupra.

DISTINCTIO II.

De priuilegio non errandi, ſeu de infallibilitate Eccleſiæ in doctrina fidei, & morum.

HActenus probauimus vnam, viſibilem, perpetuam, ac determinatam Eccleſiam, iam accedimus ad cardinem totius difficultatis, ſcilicet ad infallibilitatem Eccleſiæ in doctrina fidei, & morum, definire enim ſolet eccleſia, non ſolum quæ ad fidem ſpectant, ſed etiam quæ ad mores: ſic in Concilio Nicæno primo definita fuit conſubſtantialitas filij, & hæc quoad fidem: ibidem ordinatum fuit ne Diaconi adminiſtrarent communionem presbyteris, vtque fierent Concilia Prouincialia, & hæc quoad mores.

Vbi nota dum quærimus an eccleſia poſſit errare, id intelligi, nempe de errore vniuerſali, vel errore particulari, error vniuerſalis eſt reſpectu totius eccleſiæ, error particularis intelligitur reſpectu cuiuslibet priuati membri vt olim errarunt Simon Magus, Nicolaus, Arius &c. contendo ergo hic probare eccleſiam non poſſe errare in doctrina fidei, declarando de fide aliquid quod eſſet contra Verbum Dei, neque in doctrina morum approbando publica authoritate aliquid, & illud proponendo fidelibus omnibus quod à recta ratione, & morum honeſtate, lege diuina, vel naturali alienum eſſet, quo ſemel ſtatuto, ſequetur amplectendum eſſe quidquid ipſa credendum proponit, & reijcendum tanquam ſpurium, & erroneum quidquid ipſa reijcit: nomine autem eccleſiæ quæ ſic errare non poteſt, non intelliguntur ſingula eccleſiæ membra,

ſed

ſed ipſa eccleſia vt repræſentata in ſuis paſtoribus vt infra ſuo loco diſt. 4.

QVÆSTIO I.

De natura, conceſſione, et perpetuitate huius priuilegij.

ARTICVLVS I.

De natura priuilegij non errandi.

HOc priuilegium, *Eſt facultas non errandi in rebus fidei, ac morum, Eccleſiæ catholicæ conceſſa*. Hęc autem facultas dupliciter intelligi poteſt alicui conuenire. Nempe vel per propriam naturam, & hoc conuenit ſoli Deo, vel per gratiam ab aliquo ſuperiore collatam alicui, & hæc gratia dicitur *Priuilegium non errandi*, Ad denotandum ad quid ſit conceſſum, nempe vt non erret eccleſia. Dicitur *In rebus fidei, & morum*, Vt magis explicetur obiectum huius priuilegij, quod eſt vel veritas fidei, vel diſciplina morum, ſeu lex, & præcepta, quibus dirigitur homo, & gubernatur in ordine ad ſuum finem. Dicitur *Catholicæ*, per quod innuitur, cui hoc priuilegium ſit conceſſum, dicitur *Eccleſiæ*, ad excludendos homines particulares. Dicitur *Catholicæ*, ad excludendas eccleſias particulares.

Quia vero eccleſia ipſa componitur ex ouibus, & paſtoribus; hinc circa hoc priuilegium nota 1. donum infallibilitatis dupliciter poſſe conſiderari, nempe paſſiue, & actiue; paſſiue quidem, quatenus quis in errorem induci non poteſt: actiue vero, quatenus alios in errorem inducere non poteſt, notandum 2. infallibilitatem diuerſo modo, à Chriſto conceſſam eſſe corpori eccleſiæ, & eius paſtoribus in concilio æcumenico congregatis, & aliquid definientibus: corpori enim eccleſiæ, ſeu collectioni ouium conceſſa eſt paſſiue, quatenus collectiue

ſumptæ, vi promiſſionum Chriſti, & perpetuæ Spiritus Sancti aſſiſtentiæ, falſum pro vero nunquam poterunt acceptare, Concilio autem Oecumenico conceſſa eſt etiam actiue, quatenus nunquam falſum pro vero in definiendo credendum, vel obſeruandum obtrudet, vt diſt. ſequenti probabo. Quod autem corpori eccleſiæ, ſeu collectioni ouium, prout à concilio diſtinguitur, infallibilitas tantum paſſiua conueniat, patet; quia eccleſia hoc modo conſiderata nihil definit, nullas leges condit, nulla reſponſa, ad emergentia dubia reddit, ſed tantum definitiones, & leges à ſuis paſtoribus, ſeu concilio factas amplectitur, obſeruatque, vnde cum ſua illi non ſit deneganda infallibilitas, eſt enim in hoc ſenſu accepta, *Columna, & firmamentum veritatis, & portæ inferi nunquam præualebunt aduerſus eam*. Alia tamen à paſſiua eſſe, non poteſt: actiua ſiquidem Concilio Oecumenico competit.

Vtitur autem Eccleſia hoc priuilegio circa tria obiecta, primum obiectum eſt Verbum Dei ſcriptum, & non ſcriptum: ad eccleſiam enim pertinet hoc determinare, alias nemo poſſet certo ſcire quodnam ſit Verbum Dei. Secundum obiectum eſt vera intelligentia, & interpretatio Verbi Dei, nam ſine certa hac cognitione tota doctrina reuelata in dubio foret, hoc ſenſu quod eſſet dubium, quæ nam eſſet doctrina reuelata, quæ non, quæue Verbi Dei interprætatio: tertium obiectum eſt res per Verbum Dei ſignificata; hæc autem res eſt completa ſumma ſancti Euangelij, ideſt, ſumma completa veritatum fidei, & ſumma completa diſciplinæ morum, quæ ſumma eſt res principaliter contenta in Verbo Dei. circa hæc tria præſertim circa tertium, nempe rem ſignificatam, eccleſia ita procedit, primo examinat Verbum Dei, ſignificationem, & rem ſignificatam. Sit v.g. hic textus *Hoc eſt corpus meum*. De hoc Verbo examinat ſignificationem, an figuratiue, an vero realiter hæc Verba ſignificent. Secun-

cundo an res ſignificata ſcilicet Corpus Chriſti ſit ſub ſpeciebus, & hinc indicat quid tenendum.

De ratione autem huius priuilegij eſt, quod habeat annexam certitudinem fidei : non poſſe enim errare dicit certitudinem cognitionis; certitudo tamen poteſt habere annexum periculum errandi, nam quilibet fidelis, dum fidelis eſt, habet certitudinem fidei, & tamen poteſt contingere, quod erret in fide, & euadat infidelis. Habent ergo fideles certitudinem quidem fidei, ſed ſi ſigillatim conſiderentur non habent priuilegium non errandi, licet id habeant ſimul ſumpti, loquendo de tota collectione fidelium, & in hoc olim Apoſtoli diſtinguebantur ab alijs, quia Apoſtoli cum certitudine fidei habebant coniunctum priuilegium infallibilitatis, ſecus erat de alijs fidelibus ſigillatim ſumptis. Licet ergo verum ſit hoc priuilegium ineſſe toti corpori fidelium collectiue, non tamen ineſt ſingulis ſeorſim. Hæc itaque duplex infallibitas maximum fidei catholicæ robur, & firmitatem arguit. Nam per actiuam paſtores in definiendo fallere, aut falli nequeunt : Per paſſiuam corpus eccleſiæ erroribus infici non poteſt. Hæc autem paſſiua infallibilitas ſemper in eccleſia remanet, etiam ceſſante Concilio, & ſede vacante; tunc enim nunquam illa poteſt falſum pro vero acceptare, aut ſequi ob perpetuam Spiritus Sancti aſſiſtentiam. De hac igitur eccleſiæ infallibilitate generatim in hac diſt. agam.

ARTICVLVS II.

Chriſtus viſibili ſuæ Eccleſiæ conceſſit infallibilitatis priuilegium in Doctrina fidei, & morum.

Prima probatio.

PRobatur ergo primo Matth. 16. verſ. 18. *Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduerſus eam.* Per petram hic mira commentantur Sectarij, alij Chriſtum, alij fidem Chriſti, quidquid ſit contra eccleſiam ædificatam ſuper petram quæcumque illa ſit, non præualituras portas inferi promittit Chriſtus. Vnde ſic arguo, vel vera, & viſibilis Chriſti eccleſia poteſt errare in doctrina fidei, & morum, vel non? Si non, ergo concluſum eſt contra Sectarios; ſi poteſt, vel de facto errat, & errauit, vel de facto, nec errat, nec errauit, ſi nec errat, nec errauit, vtique hoc eſt ex priuilegio à Deo illi conceſso, quod eſt affirmare hoc priuilegium, ſi de facto errat, vel errauit, vtique hic error erit vel circa fidem, vel circa mores, ſi circa fidem; ergo docebit falſa, ſi circa mores, ergo docebit iniuſta, ſed diabolus eſt pater mendacij, & eccleſiam toto conatu impugnat, ergo ſi facit eccleſiam errare in doctrina fidei, & morum, iam portę inferi præualuerunt, & præualent aduerſus illam, vel ergo Chriſtus falſum dixit, quod eſt impoſſibile, vel eccleſia non poteſt errare.

Nec valet reſpondere 1. cum Sectarijs, quod peccata eccleſię fuerint cauſa vt hoc priuilegium non duraret: nam contra eſt quod Chriſtus promittens hanc infallibilitatem, perfectiſſime præuiderit omnia peccata futura in eccleſia, adhuc tamen abſolute promittit, vnde promiſſio Chriſti non eſt conditionata ſi peccent vel non peccent membra eccleſiæ, ſed eſt abſolutiſſima vt patet ex ipſis verbis, nec

item

item valet reſpondere 2. cum ijſdem hæc intelligi de eccleſia inuiſibili, non vero viſibili, nam hoc delirium ſatis ſuperque refutatum eſt diſtinctione præcedenti: nec tandem tertio valet reſpondere cum eis, debere intelligi de collectione confuſa prædeſtinatorum, hoc enim refugium retortum eſt in illos etiam diſtin. præced.

Probatio Secunda.

PRobatur 2. Matth. 18. verſ. 17. *Dic Eccleſiæ, si eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus, & publicanus,* ſic arguo, vel eccleſia viſibilis, de qua hic loquitur Chriſtus errauit, aut errat docendo falſa, & iniuſta, vel non? Si non, ergo habet priuilegium non errandi: ſi errauit, & errare poteſt viſibilis eccleſia, vel vult Chriſtus vt ſemper audiatur etiam cum errat, vel non vult vt audiatur ſemper eccleſia, cur ergo ait, *Sit ſicut Ethnicus, & publicanus?* Tanta pœna imponitur à Chriſto illi, qui errantem eccleſiam non vult audire? Sic ne tam grauibus pœnis coget homines ad errandum? Hoc nefas eſt dicere: ſi dicas ſequendam eccleſiam quando non errat, dic vbi Chriſtus aſſeruerit eccleſiam aliquando erraturam, aliquando vero non erraturam, portas inferi præualituras? dic vbi Chriſtus ſibi contradicat in his ſuis promiſſionibus, & in præcepto illo generali de audienda eccleſia? dic vbi reuocauit hoc præceptum? dic vbi ait non audiendam eccleſiam? Nullibi, ergo vel eccleſia errare non poteſt, vel præceptum Chriſti de audienda eccleſia verum aut iuſtum non eſt, quod eſt blaſphemum.

Probatio Tertia.

IOan. 14. verſ. 26. *Paraclitus autem Spiritus Sanctus Quem pater mittet in nomine meo ille vos docebit*

omnia & ſuggeret vobis omnia, & cap. 16. verſ. 13. *Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. Vtique per vos* Intelligit cætum fidelium, qui veram fidem ſequuntur, eccleſia vero eſt congregatio dictorum fidelium: nunc ergo ex prædictis locis ſic arguo, vel eccleſia errat, vel non errat, nec errare poteſt? Si non errat, ergo habet priuilegum non errandi: Si errat, aut errare poteſt, ergo Spiritus Sanctus non docet eccleſiam omnem veritatem, prout promiſit Chriſtus, quod probo, vbi eſt error, ibi neceſſario deeſt aliqua veritas, error enim veritati aduerſatur, & quod non opponitur veritati non eſt error, ſi ergo eccleſia errat, iam ab vna veritate recedit, ergo aliqua veritas deeſt ipſi, & ſic in aliqua veritate deficit, ergo Spiritus Sanctus non docet eccleſiam omnem veritatem, nam docere omnem veritatem, & non docere ſingulas veritates, ſunt contradictoria, ergo ſi ſingulas veritates non docet, iam non docet omnem veritatem, vel ſi omnem? ergo ſingulas, ergo ſi Chriſtus verum dixit, Eccleſia ſub hac aſſiſtentia non errat.

Vltima probatio.

PRimæ ad Tim. 3. verſ. 14. *Hæc tibi ſcribo, ſperans me venire &c. vt ſcias quomodo oporteat te in domo Dei conuerſari, quæ eſt eccleſia Dei viui columna, & firmamentum veritatis*. Vnde ſic arguo, illud eſt firmamentum veritatis, quod veritatem firmat, & firmare veritatem eſt illam certam facere, ſola enim certitudo firmitatem in cognitione dicit, in rebus autem fidei certitudo fundatur tantum in dicto illius, qui non poteſt errare; vel ergo eccleſia poteſt errare vel non? ſi non poteſt; bene firmat veritatem; ſi poteſt errare, impoſſibile eſt quod ſit firmamentum veritatis, vel ergo non poteſt errare, vel Sanctus Paulus falſo eam dixit columnam, & fir-

ma-

mamentum veritatis, quod eſt impoſſibile, ergo ecclesia non errat.

Nunc autem peto an Sectarij teneant tanquam articulum fidei, quod viſibilis Chriſti eccleſia errauerit, & errare poſſit nec ne? Si non, ergo non niſi opinantur tantum, atque adeo non ſunt infallibiliter certi an errauerit, vel errare poſſit, & conſequenter ob incertiſſimam opinionem exponunt & expoſuerunt ſe certiſſimo damnationis periculo deſerendo eccleſiam: Si hoc ſuum articulum tenent de fide, peto vbi ſit reuelatus ille articulus? quo Scripturæ loco? Id oſtendant ſine gloſſa, conſequentia vel mutatione, Si dicant primitiuam eccleſiam non erraſſe, ſucceſſu tamen temporis incidiſſe in errores, contra ſit.

ARTICVLVS III.

Priuilegium hoc in eccleſia viſibili ſemper durauit durabitque vſque ad diem Iudicij.

HIc repeto breuiter quæ dixi diſtin. præc. quæſtione 2. artic. 1. ex Iſaiæ cap. 59. verſ. 21. *hoc fœdus meum cum eis dicit Dominus, Spiritus meus qui eſt in te & verba mea quæ poſui in ore tuo, non recedent de ore tuo, & de ore ſeminis tui, & de ore ſeminis ſeminis tui dicit Dominus a modo vſq; in ſempiternum.* Sicut autem hic textus probat ibi indefectibilitatem eccleſiæ, ita probat hic perpetuitatem infallibilitatis illi conceſſæ: vnde ſic arguo vel receſſit hoc priuilegium non errandi ab eccleſia aliquando vel non? Si non, ergo ſemper ab initio eccleſiæ durauit ſine vlla interruptione, quod intendimus? Si receſſit vera fides, religio, & cultus Dei à ſemine Chriſti; ergo totum genus humanum caruit vera eccleſia, vero ſalutis remedio, caruit ſemine ſeminis Chriſti, Paſtoribus, Doctoribus; vel ergo errauit eccleſia viſibilis vel non; Si ſic, omnes prædictæ conſe-

quen

quentiæ ſunt veræ & ſequitur, quod hæc prophetia ſit mera fabula, quod eſt impium dicere, ſi negas illas conſequentias, vera ergo erit prophetia, verum erit etiam quod eccleſia nunquam errauerit nec errare poſſit.

Probatur 2. Matth. 28. verſ. 20. *Et ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad conſummationem ſæculi*, vel durauit, & durat continuo, & ſine vlla interruptione hæc Chriſti aſſiſtentia fidelium cætui ſeu viſibili eccleſiæ promiſſa, vel non? ſi continuo durat & durauit, ergo ſemper permanſit, & permanet in eccleſia priuilegium non errandi, quod habetur ex illa infallibili Chriſti aſſiſtentia: ſi non ſemper durauit & durat, ergo Chriſtus non ſtetit promiſſis; ergo deſeruit eccleſiam ſuam; ergo reliquit totum Mundum ſine vera fide, Sacramentis ſine vero ſalutis remedio; ergo reliquit eccleſiam in peiori ſtatu, quam vnquam fuerit ſynagoga, ergo infœliciſſime actum eſt cum Chriſto, quod poſt tot labores, poſt tantam ſuam ſollicitudinem fundauerit, labilem, futilem, fallacem & inſtabilem eccleſiam; has omnes blaſphemias admittunt in Chriſtum, qui dicunt eum non ſemper aſtitiſſe ſuæ viſibili Eccleſiæ ne erraret, eumque fallaciæ & deceptionis arguunt; certe ſi non aſtitit eccleſiæ ſingulis diebus, non erit vniuerſaliter verum, quod aſtiterit omnibus diebus, adeſſe enim omnibus diebus, & non adeſſe ſingulis diebus, ſunt contradictoria, ſi ergo fuit cum cætu fidelium, & eſt omnibus diebus, certe ſemper & ſingulis diebus adeſt, & aderit, ne erret eccleſia viſibilis, & conſequenter verum erit quod priuilegium non errandi ſemper permanſerit in eccleſia ſine vlla interruptione, alioquin redibunt omnes illæ blaſphemiæ, & conſequentiæ.

Probatur Tertio Ioan. 14. ver. 16. *Ego rogabo Patrem & alium paraclitum dabit vobis vt maneat vobiſcum in æternum*, vel ergo impleta eſt, & impletur quo-

quotidie hæc Chriſti promiſſio, vel non? ſi non, ergo futilem, inutilemque fundauit eccleſiam, cui nullam reliquit Spiritus Sancti aſſiſtentiam, nullum donum, nullam certitudinem vel infallibilitatem: hæc enim omnia veram conſtituunt eccleſiam, eamque diſtingunt à Synagoga Satanæ, à Turcarum Secta, quæ ideo in fœdiſſima quæque errorum & vitiorum monſtra delabitur, quod non diuino, ſed humano tantum excæcati intellectus ductu regatur, ſi ergo Chriſtus non ſtetit promiſſis, ſi hac aſſiſtentia deſtitutam reliquit eccleſiam, iam potius Synagogam Satanæ plantauit omnibus erroribus obnoxiam, quam eccleſiam Dei, columnam & firmamentum veritatis. Si autem vera eſt Chriſti promiſſio, vti eſt veriſſima; ergo Spiritus Sanctus viſibilem eccleſiam nunquam deſeruit, ergo nunquam ſub hac illius infallibili aſſiſtentia, defuit eccleſiæ, priuilegium infallibilitatis in doctrina fidei & morum.

Deinde ſi Aduerſarius tenet oppoſitum noſtræ aſſertionis de fide, peto vt oſtendat vbi id habet expreſſe reuelatum? quo ſcripturæ loco? quo capite, verſu? ſi recurrat ad gloſſas & conſequentias pro ſtabilienda ſua aſſertione, in ſingulis inueniam vitia ſæpius recenſita quæ annullent aſſertionem ipſius.

ARTICVLVS IV.

Blaſphemat contra Deum, Chriſtum, Scripturam, qui dicit priuilegium nõ errandi in rebus fidei, et morum, in vera, & viſibili Chriſti Eccleſia aliquando defeciſſe, & in ea continuo non remanſiſſe.

SIſtat hic veſana Sectariorum temeritas, & animum aduertant, dum mendacium & errores affingunt viſibili eccleſiæ, in blaſphemias contra

Deum, Chriſtum, & infallibile Dei Verbum ſe impingere: quod probo ſic, promiſit Deus per prophetas ſuos, vt vidimus infallibilitatis priuilegium eccleſiæ, hoc ipſum loquens in filio promiſit eidem vt etiam vidimus, ſed impoſſibile eſt Deum mentiri, aut in ſuis promiſſis fallere & falli poſſe, ergo qui dicit promiſſam eccleſiæ infallibilitatem ab illa receſſiſſe, dicit Deum fallere & falli, hoc autem qui dicit, blaſphemat in Deum, Chriſtum, & Verbum Dei.

Maior ſyllogiſmi probata eſt duobus præcedentibus articulis, & vlterius probatur Iſaiæ 54. *Lætare ſterilis quæ non paris*, & ſequitur, *dilata locũ tentorij tui, & pelles tabernaculorum tuorum extende ne parcas, longe fac funiculos tuos & clauos tuos conſolida.* pergit infra verſ. 9. *ſicut in diebus Noe iſtud mihi eſt, cui iuraui ne inducam aquas Noe vltra ſuper terram, ſic iuraui vt non iraſcar tibi & non increpem te montes enim commouebuntur, & colles contremiſcent, miſericordia autem mea non recedet a te, & fœdus pacis meæ non mouebitur, dixit miſerator tuus Dominus, Ecce ego ſternam per ordinem lapides tuos & fundabo te in Saphiris, & ponam Iaſpidem propugnacula tua.* De eccleſia autem Chriſti in terris ibi loqui Iſaiam, aſſerit locupletiſſimus omnium teſtis, D. Paulus ad Gal. 4. verſ. 27. vbi hoc ipſum caput citat proprijs ipſius Iſaiæ verbis, *lætare ſterilis quia multi filij deſertæ*, & infra ſubiungit verſ. 28. *Nos fratres ſecundũ Iſaac promiſſionis filij ſumus.* Teſtatur ibi Apoſtolus Iſaiam loqui de fidelibus Chriſti, ex quibus conflatur eccleſia, idẽ aiunt Biblia Anglica.

Huic autem eccleſiæ per os Iſaiæ promittit Deus ibi perpetuam infallibilitatis priuilegium, idque iuramento interpoſito, ſicut iurauit in diebus Noe, ſed ſic eſt quod iuramentum & promiſſio facta Noe de nunquam futuro diluuio, ſemper inuiolabiliter ſteterit, nunquam enim auditum eſt poſt diluuium Noe, veniſſe aliud vniuerſale diluuium, ergo

ergo ſimiliter iuramentum,& promiſſio facta eccleſiæ Chriſti de perpetua infallibilitate nunquam defecerunt aut deficient, id quod elicitur ex ipſis verbis, *Clauos tuos conſolida*, quia ſcilicet eccleſia in vera fide perpetuo & indefectibiliter durauit, *non confunderis*, inquit Iſaias ibidem: nec vnquam confuſa eſt per errorum ignominiam, aut tenebras eccleſia,& rationem dat, *nam ſicut in diebus Noe iſtud eſt mihi*, ideſt iſtud meum iuramentum de inhibendo deinceps diluuio,firmum eſt & æternum,ſeu perpetuo tempore; inquit iſtud iuramentum & pactum meum, de perpetua duratione infallibilis eccleſiæ quod Sanciam per Chriſtum cum gentibus, & eccleſia,erit firmum & æternum *Montes enim commouebuntur*, ideſt citius transferentur quam ego deſinam tui miſerere,*quare miſericordia mea non recedet a te*,nunquam aſſiſtentia mea recedet à te, quia fundabo te in Saphiris *& ponam Iaſpidem propugnacula tua*, ideſt ædificaberis ſupra petram,vt nunquam concutiantur muri fidei tuę.

Huc alluſit Chriſtus *Super hanc petram edificabo eccleſiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduerſus eam*, huc Apoſtolus Paulus 1. ad Tim. 3. *eccleſia Dei firmamentum veritatis*, alludit item Chriſtus ad illud aliud *miſericordia mea non recedet à te, ego vobiſcum ſum omnibus diebus, alium paraclitum dabit vobis vt maneat vobiſcum in æternum.* hic habemus promiſſionem à Deo, à filio Dei, de perpetua infallibilitate eccleſiæ,hac enim deficiente iam non eſſet vera eccleſia Chriſti, ſicut nec ſecta Mahometica aut Hæbrea,ob defectum veræ fidei & infallibilitatis in doctrina ſalutis,ſunt veræ eccleſię.

Nunc probo minorem,Deum nempe non poſſe mentiri,aut in ſuis promiſſis fallere aut falli ex epiſt. ad Hebræos cap.6. *homines per maiorem ſui iurant*, & infra *in quo abundantius volens Deus oſtendere pollicitationis hæredibus immobilitatem Conſilij ſui interpoſuit iuſiurandum, vt per duas res immobiles*

qui-

quibus impoſſiblle eſt mentiri Deum, firmiſſimum ſolatium habemus. Per duas res immobiles intelligit hic D. Paulus promiſſionem & iuramentum, vt patet ex ipſius verbis: ſed iam promiſſionem videmus tota diſtinctione præced. & art. 2. & 3. huius quæſtionis, & hic ex Iſaia iterum habemus promiſſum, & iuramentum, promiſſum item Chriſti; ergo ſi impoſſibile eſt Deum in ſuis promiſſis, aut dictis mentiri, impoſſibile eſt priuilegium non errandi in doctrina fidei & morum receſſiſſe ab eccleſia.

Hinc deduco conſequentiam ſyllogiſmi primo facti ſic arguendo, vel defecit aliquando in eccleſia viſibili Chriſti hæc infallibilitas, vel non? Si non, ergo ſtat, & ſtetit ſemper ſuis promiſsis Deus, ergo ſtat ſemper iuramentum & promiſſum Dei; ergo ſemper ſtetit immobiliter in hac viſibili Chriſti eccleſia priuilegium non errandi in doctrina fidei & morum: ſi defecit aliquando in eccleſia viſibili hoc priuilegium; ergo promiſſum & iuramentum Dei non eſt immobile, nec Deus ſtetit promiſſis; qui autem dicit Deum in dictis fallere vel falli quique ei iuranti non credit, blaſphemat vt per ſe patet; ergo ſi credimus dictis Dei, credendum nobis eſt eius promiſſa de infallibilitate eccleſię nunquam fefelliſſe. probo 2. primam conſequentiam, qui enim aſſerit priuilegium non errandi defeciſſe aliquando in eccleſia viſibili, aſſerit conſequenter portas inferi præualuiſſe aduerſus eam, atque adeo illam ſcripturam eſſe falſam, aſſerit Chriſtum non manſiſſe cum illa omnibus diebus, adeoque defuiſſe promiſſis, aſſerit Spiritum Sanctum nō manſiſſe item cum illa in ęternum, & hic etiam Chriſtum fefelliſſe, aſſerit Deum vtroque illo loco Iſaiæ non ſtetiſſe promiſsis, ergo qui negat priuilegium continuum non errandi in eccleſia blaſphemat in Deum, Chriſtum, & Dei Verbum, dic ergo potius eccleſiam nunquam erraſſe.

AR-

ARTICVLVS V.

Eandem Eccleſiæ infallibilitatem probant rationes Theologicæ.

NE ſim fuſus, loca Patrum prò perpetuitate eccleſiæ diſt.præced.adducta, hanc etiam aſſertionem probant, cum eccleſiam eſſe indefectibilem idem ſit ac eſſe in fide ſtabilem, & deficere idem ſit, ac à fide recedere, addo tamen hic antequam ad rationes accedam, nonnulla loca. Origenes ſub finem dialogi tertij, *hæc ſola eccleſia vere & iuſte & piè & ſanctè adminiſtratur.* Cyprianus lib. de vnit. Eccleſiæ *adulterari non poteſt ſponſa Chriſti, incurrupta eſt.* Lactantius firmianus diuinarum inſtitut. cap. 4. *Sola igitur Catholica eccleſia eſt, quæ verum cultum retinet, hic eſt fons veritatis, hoc eſt domicilium fidei;* Chryſoſtomus homil. 2. de verbis Iſaiæ. *facilius eſt ſolem extinguere quam eccleſiam obſcurari.* Hieronymus ad cap. 60. Iſaiæ. *Surge, illuminare vt nequaquā habeat erroris tenebras.* his certe quilibet Chriſtianus credere potius debet de infallibilitate eccleſiæ, quam perfidis Sectarijs.

Arguo primo vel viſibilis Chriſti eccleſia in terris habet & habuit ſemper veram fidem vel non? ſi non, ergo non eſt nec fuit vera eccleſia, ſi habuit, vel ergo omnes fideles tenentur ſequi illam vel non? ſi non, ergo non eſt vna fides contra Apoſtolum ad Epheſ. 4. verſ. 5. *Vnus Dominus, vna fides, vnum baptiſma,* quia ſic fides fidelium à fide eccleſiæ diſſona eſſet; tenetur illam ſequi, ergo fides eccleſiæ eſt vera & certa regula credendi ad omnes fideles, ſi certa, ergo habet priuilegium non errandi, alioqum nemo poſſet certo ſequi ipſius fidem.

Quod ſic probo, ſi eccleſia non haberet hoc priuilegium, tunc fides non eſſet certa, ſi enim ſupponamus eccleſiam poſſe errare in fide, tunc impoſſibile

eſt,

eſt,quod eccleſia certa ſit, quod ſua fides ſit vera, vbi enim poteſt eſſe error, ibi non poteſt eſſe certitudo firma,& infallibilis, ſed ſi fides eccleſiæ incerta ſit multo magis fides ſingulorum fidelium, qui fidem eccleſiæ ſequuntur, incerta erit, ergo qui in eccleſia negat priuilegium non errandi, certitudinem fidei omninò deſtruit, ſed in eccleſia Chriſti, *quæ eſt columna & firmamentum veritatis*, hæc certitudo eſt maxime neceſſaria,ergo & priuilegium non errandi.

Arguo 2. ſi eccleſia non eſt infallibilis, quomodo poſſumus infallibiliter ſcire vllam ſcripturæ partem eſſe puram & incorruptam? Epiſtolam ad Romanos eſſe canonicam, & epiſtolam ad Leodicenſes non eſſe? hunc eſse verum ſcripturæ ſenſum, illum vero non eſse? & ſi ſemel dubitemus hanc eſſe veram ſcripturam,poſſumus dubitare etiam hanc eſse veram ſcripturę expoſitionem, & ſi de hac dubitetur, erit etiam dubium de omnibns quæ ex illa ſequuntur, & ſic dubium erit de tota ſcriptura;ne ergo de his omnibus dubitemus.

Peto vnde habebimus certitudinem? hanc litem non dirimit ſcriptura illa, nam Euangelium Sancti Ioannis nullam mentionem facit Euangelij SS.Matth. Marci, vel Lucæ,neque in prima Epiſtola D.Paulus facit mentionem cæterarum,deinde ſcriptura nullibi dicit hunc ſenſum eſſe litteralem,illum alium eſſe metaphoricum, ſi recurras ad motionem internam, ſeu ſpiritum priuatum, hunc vertiginis Spiritum refutabo diſtin.4. atque adeo impoſsibile eſt haberi certitudinem fidei de præſatis omnibus, niſi pro fundamento ſtatuatur dictum illius qui priuilegium habet non errandi, idque ſit publicum & tale, vt omnes illi credere teneantur, hoc autem de ſola eccleſia affirmari poteſt; ergo omninò neceſsarium eſt, vt in vera & viſibili Chriſti eccleſia detur hoc priuilegium, vnde ratio ipſa conſonat ſcripturæ, quod hoc priuilegium viſibili eccleſiæ ſit datum.

Arguo

Arguo 3. aliqua eccleſia eſt & fuit ſemper à tempore Chriſti infallibilis vt patet ex dictis, ſed illa non fuit eccleſia inuiſibilis, neque incognita prædeſtinatorum collectio, cum omnes ſectæ ſemper fuerint viſibiles vt diſtinct. præced. probaui, ergo vel omnes in mundo fideles defecerunt & errauerunt à fide, vel vera, & viſibilis Chriſti eccleſia ſemper fuit infallibilis, & quidquid ad hæc dixerint Sectarij non ſe tantum, ſed omnes primos hæreſiarchas defendent. Item vera eccleſia eſt illa quæ veram fidem, & verum habet Euangelium,& non errat circa hoc, vel illam, ſi enim ſemel erret,iam non eſt vera eccleſia, quæ veram non habet fidem,implicat enim quod ſit vera eccleſia ſine vera fide, cum per hanc diſtinguatur à ſecta infidelium, vbi vero eſt error, ibi vtique non eſt vera fides; hinc dicere quod vera eccleſia erret, eſt affirmare contradictoria, nempe quod ſit & non ſit vera eccleſia.

Si dicas eam non poſſe errare in omnibus articulis fidei, poſſe tamen in aliquibus: contra ſi ita eſſet,ſequeretur nullam fidem adſcribendam eſſe eccleſiæ, probo, nam ſi ſemel mentiri poteſt, & fallere,quis nos certiores facit mendacium eſſe circa hunc,vel illum articulum & non circa omnes, vel enim eſt ſemper infallibilis,vel non? Si primum non admittit, nec admittere poteſt errores. Si ſecundum, omnes admittere poteſt, ergo non eſt vera eccleſia, nam ratio conſtitutiua eccleſiæ eſt fides & veritas; ergo non poteſt eſſe vera eccleſia ſimul & errare.

Ideo Sectarij putant ſectas ſuas reformatas,& de nouo erectas eſse veram eccleſiam, quia putant vt olim putauit & ſplendidiſſimo mendacio dixit Mahometus,veram eccleſiam defeciſſe & erraſſe, & in hac aſſertione fundant Sectarij ſuam fidem, & ſalutem heu infelicem & perditam: tunc ſic, ad hoc vt ſint ſecuri ſe bene facere in ſequenda noua illa ſua religione,debent eſſe infallibiliter certi veram & viſibi-

ſibilem Chriſti eccleſiam erraſſe, peto nunc vbi id habent reuelatum? quo ſcripturæ loco? nullibibi, ſi tantum opinantur, ergo interim ob meram opinionem, currunt in æternæ damnationis præcipitium, nulla certa fide nixi, an prætextus ſuæ imaginariæ reformationis ſit verus.

ARTICVLVS VI.

Argumentis ad hominem vlterius probatur eccleſiæ infallibilitas.

IN primis comparo religionem Chriſtianam cum Turcica, Hebraica, Paganica; tunc ſic, vel religioni chriſtianæ in ijs quæ docet eſſe de neceſſitate ſalutis credenda, poteſt ſubeſſe falſum, vel non? eligant quod voluerint aduerſarij: Si non poteſt religioni chriſtianæ in prædictis ſubeſſe falſum, ergo habet donum infallibilitatis in ijs, quæ ordinantur ad hominis ſalutem: ſi autem ei poteſt ſubeſſe falſum, ergo non maiorem habet prærogatiuam quoad doctrinæ ſuæ certitudinem iſta religio, quam Turcica, Hebraica, Paganica: ergo non eſt eligibilior aut magis conducens ad verum Dei cultum, & æternam ſalutem, quam prædictæ ſectæ, quæ meris tantum hominum coniecturis, & figmentis innituntur: ego non potius ſectanda Chriſti documenta, quam Mahometi, Rabbinorum, & gentilium deliramenta, ergo tandem nulla in mundo datur vera religio, quod eſt accuſare infinitam Dei prouidentiam, negare Chriſti veracitatem, & promiſſam aſſiſtentiam, & conſpirare cum Mahometo, aſſerente legem chriſtianam vſque ad ſuum aduentum duraſſe & fuiſſe bonam, tunc tamen defeciſse ac denique in ſententiam Æpicuri & Atheiſtarum pedibus ire.

Explico rurſus eandem ratiocinationem, quando primitiua eccleſia poſt Chriſti mortem, diſpu-

tabat

tabat cum ſynagoga interpretando textus veteris teſtamenti de aduentu Meſſiæ, vel interpretatio præfatæ eccleſiæ oppoſita expoſitioni ſynagogæ erat infallibiliter certa, vel non? ſi erat infallibiliter certa, igitur habuit à Deo infallibilitatis donum, ne in exponendo, & tradendo vero ſcripturæ ſenſu erraret: ſi non erat infallibiliter certa, ergo incerta fuit an Verbum fuerit incarnatum, an Chriſtus fuerit verus Meſſias, an mundi redemptor: ergo perinde fuit tunc vel perfidiam Iudaicam, vel Chriſtianam religionem ſequi, quod eſt iterum blaſphemare Chriſtum.

Idem argumentum formo de eccleſia deinceps progrediente: vel eccleſia itaque in ſuo progreſſu dum concertabat cum Iudæis, & gentilibus, dum ſuam doctrinam per orbem propagabat, habuit ſemper veram fidem vel non? ſi non, ergo nulla dabatur in mundo vel Chriſtiana religio, vel vera eccleſia, vel vllum ſalutis medium, cuius tamen oppoſitum conſtat ex dictis: ſi habuit veram fidem vel omnes & ſinguli fideles tenebantur ſequi illã fidẽ tantis vbique miraculis confirmatam, tot martyrum ſanguine obſignatam, vel non? ſi eam non tenebantur ſequi, ergo non fuit vna Chriſti Fides, quia tunc fides eccleſiæ, à fide fidelium diſſona fuit, ſi tenebantur eam ſequi; ergo fides eccleſiæ fuit ſemper vera, & certa regula credendi omnibus fidelibus, ſi certa, ergo habuit ſemper priuilegium non errandi: ergo vnitas fidei in hoc poſita eſt, quod omnes fideles, eccleſiæ fidem ſequi teneantur, ne ſcilicet ſit liberum ſingulis fidelibus, credere quod placet, adeoque diuerſa & contraria ſentire, neue ſic excuſaretur Arius, & alij ſimiles credendo quod libuit, & lubuit.

Vrgeo iterum eundem eccleſiæ progreſſum, fides, inquit Apoſtolus ad Rom. 10. *ex auditu, auditus autem per verbum Chriſti*, ſi ex auditu, auditus vtique ſupponit loquentem, cui credat, & certo cre-

 dat,

dat, atque adeo fideles ab aliquo, cui certo credendum ſit, docendi erunt: quinam autem ſint iſti doctores, declarat Chriſtus ſæpius, præcipitque eis obediendum. *Dic eccleſiæ, ſi eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut ethnicus, & publicanus, qui vos audit, me audit, qui vos ſpernit, me ſpernit*(Lucæ 10.)*obedite præpoſitis veſtris, ipſi enim vigilant quaſi rationem pro animabus veſtris reddituri.*ad Heb.13.

Nunc ſi Deus ex ſua infinita bonitate, non poteſt obligare totum corpus eccleſiæ, vt aſſentiatur falſitati, vel contradicat reuelatæ veritati: atqui ſi omnes eccleſiæ paſtores poſſunt falli tam in docenda, quam in tradenda,& exponenda ſacra doctrina, Deus tam indifferenter obligaret nos, ad aſſentiendum falſitati, quam ad diſſentiendum reuelatæ veritati: ergo vel Deus non obligat fideles ad obediendum eccleſiæ, contra citatos textus, vel ſi obligat, & hi poſſint fallere & falli,obligat ad aſſentiendum falſitati, ac diſsentiendum veritati reuelatæ, maiorem admittent aduerſarij, fatebuntur enim repugnare diuinæ bonitati obligare homines ſub damnatione æterna, credere tanquam infallibiliter verum, quod eſt reuera falſum. quod tamen id ſequatur ex principijs aduerſariorum oſtendo: quod eſt poſſibile poteſt reduci ad actum; ſed poſſibile eſt inquiunt aduerſarij, quod omnes eccleſiæ paſtores errent in tradenda ſacra doctrina, & dato quod ſic errent, adhuc debemus eis obedire iuxta Chriſti, & Apoſtoli pręceptum: ergo debemus eis aſsentiri quantumuis fallantur, & fallant, ergo ſic Deus nos obligat ad credendam falſitatem; vel certe debemus admittere hoc certiſſimum principium, Deum ſcilicet conceſſiſse eccleſiæ per aſſiſtentiam Spiritus Sancti, donum infallibilitatis ne in tradenda ſacra doctrina erret, alias chriſtiana religio eſset mera fabula.

Quæritur ergo an poſtquam Chriſtus tradidit ſuam infallibilem doctrinam, tam per ſe, quam

per

per ſuos Apoſtolos, an inquam ſequentibus ſæculis abſtulerit hanc infallibilitatem de traditione ſuæ doctrinæ nec ne? ſi non abſtulit, delirant aduerſarij: ſi abſtulit, chriſtiana religio eſt fabula innixa opinatiuis mortalium coniecturis, quæ quam ſint debiles, oſtendit ignorantia etiam in multis rebus naturalibus, vt percurrenti omnia patet. denique vel dictum veræ eccleſiæ eſt certius fundamentum chriſtianis illam audientibus, quam ſit dictum Sectarum infidelium reſpectu ſuorum ſequacium, vel non? ſi primum, ergo hoc dictum eſt dotatum infallibilitatis priuilegio, ne in tradenda ſua doctrina erret: ſi hoc dictum non ſit certius, ergo ei poteſt ſubeſse falſum, ergo dictum totius veræ Chriſti eccleſiæ poteſt eſse mendacium; cuius oppoſitum hactenus probaui: quod ſi poſset illud dictum eſſe falſum: ergo iam ad hominem, licet ſectarij putent ſe eſse in vera eccleſia, eorum doctrina non eſt niſi fabula, mendacium, & impoſtura, cum ſit dictum fallibile, eccleſiæ fallibilis, ergo non maiorem habet certitudinem, quam deliramenta Turcarum, vel perfidia Iudæorum: ergo nullus mortalium in negotio ſalutis debet magis eis credere, quam Turcis, vel Hebræis. vt quid ergo vexant, ſpoliant, mactantque Romanos Catholicos, quod fallacem eorum doctrinam & impoſturas nolint acceptare: reflectant ergo quam ſit neceſſarium admittere infallibilem Chriſti eccleſiam.

QVÆSTIO IV.

Præcuduntur Sectariorum effugia contra infallibilitatem Eccleſiæ, & ſoluuntur obiectiones.

ARTICVLVS I.

Primum effugium petitum ex Sacra ſcriptura dans infallibilitatem Eccleſiæ tantum dum ex illa recitat, præcluditur.

CAluinus & alij ſequaces, ne omnem ab Eccleſia auferrent infallibilitatem contra expreſſam ſcripturam, hanc infallibilitatem ipſi ſcripturæ alligarunt, vt tunc tantum eccleſia cenſeatur infallibilis dum ex illa recitat: ſed contra hoc effugium ſic inſto, in primis deſtruit ſeipſum quod probo, quia ſtante hoc effugio nihil omninò credendum eſt, vt probo ad hominem, ſecundum hos tunc tantum eccleſia eſt infallibilis, quando fideliter recitat ex ſcriptura, atque adeo inquiunt nullum dogma ab eccleſia propoſitum non recitatum ex ſcriptura eſt infallibilis authoritatis, ſed ipſam ſcripturam eſse Verbum Dei, non habetur in ſcriptura, ergo quando quidem eccleſia hunc articulum non recitet ex ſcriptura, hic articulus non erit infallibilis authoritatis, ergo ſecundum illos hic articulus non eſt dogma fidei, ergo dum eccleſia dicit ſcripturam eſse Verbum Dei, iam non eſt certa de hoc dogmate, ergo ſecundum eoſdem nihil iam certi datur, ergo nihil omnino credendum eſt, quia omnia credibilia ſecundum eos habentur in ſola ſcriptura, ſed ipſam eſse Verbum Dei non recitat, nec recitare poteſt eccleſia ex ſcriptura, cum nullibi ſacra pagina dicat ſeipſam eſse Verbum Dei, ergo ſi continens non ſit de fide, ipſa contenta non erunt de fide & ſic nihil credendum erit.

In-

Inſto 2. Arius, & Ariani prætendebant ſibi infallibilitatem dum ſolam ſcripturam audiendam, & adhibendam clamabant, & pro erroris ſui fundamento allegabant illud Ioan. 14. verſ. 25. *Pater maior me eſt* exponentes illud Ioan. 10. verſ. 28. *Ego, & Pater vnum ſumus* per illud Act 4. verſ. 32. *Credentium erat cor vnum, & anima vna:* hæc Arius & ſui recitabant ex ſcriptura ad negandam diuinitatem Chriſti, peto ergo, vel errarunt vel non? Si non, ergo impune, & ſine vllo errore quis poteſt negare myſterium Trinitatis, quod eſt blaſpemum. Si errarunt ergo poteſt quis recitare ex ſcriptura & illam ſequi, & adhuc errare; deinde ipſa ſcriptura non aſſerit ſe intelligi in ſenſu litterali, vel metaphorico, vnde quæſo habebimus infallibiliter ſenſum ſcripturæ? non ex ſcriptura, quæ nihil dicit, vbi quæſo in ſcriptura habetur, quod hæc verba *hoc eſt Corpus meum* intelligantur litteraliter, vel figuratiue? nullibi, ergo ipſi Sectarij proponunt aliqua, quæ non ſunt in ſcriptura, ergo præter ſcripturam requiritur alia authoritas, quæ infallibiliter proponat canonem & ſenſum ſcripturæ.

Tertio contra eos, qui ſcripturæ addunt traditionem vniuerſalem; nam conditionata hæc infallibilitas, non plus tribuit eccleſiæ Dei, quam pueris, amentibus, & Hebræis, hi enim omnes poſsunt recitare ex ſcriptura, & dum puer vel ſtultus dicit *Infantes eſſe baptizandos*, Nihil in hoc dicit contra ſcripturam, vel vniuerſalem traditionem, ergo puer & ſtultus, tam eſt infallibilis, ac tota eccleſia Dei, tam poterit ſedere pro tribunali, tam iudicare cauſas fidei, quam Concilium Nicænum, Epheſinum, Calcedonenſe, imo, & Apoſtolorum. deinde Hebræi legunt vetus Teſtamentum, Euoluunt Prophetas, vel ergo iſti errant, vel non? Si non, ergo impune, & ſine culpa negant Chriſtum, quod eſt falſum; ſi errant, ego poteſt quis recitare ex ſcriptura, & adhuc errare. Deinde peto vbi ſcriptura facit

mentionem de hac diſtinctione conditionatæ infallibilitatis? quo loco, libro, capite? nullibi. item dum eccleſia nobis proponit ipſam Scripturam, & traditionem vniuerſalem eſse Verbum Dei, hoc non recitat ex ſcriptura, vbi enim hæc traditio *Infantes ſunt baptizandi* Dicit ſeipſam eſse Verbum Dei? vbi Geneſis, libri regum, quatuor Euangelia dicunt ſe eſse Verbum Dei? ergo cum eccleſia dicit ſcripturam eſse Verbum Dei, ſi erret ex hoc quod hunc articulum non recitet ex ipſa ſcriptura, errat conſequenter dicendo ſcripturam eſse Verbum Dei, ergo iuxta principia aduerſariorum errat quicumq; alius id credendo, en labyrinthum.

ARTICVLVS II.

Præcluditur ſecundum effugium ex incognita electorum Congregatione petitum.

VOlunt Sectarij, omnia loca Scripturæ agentia de infallibilitate eccleſiæ, intelligi non de viſibili, ſed de inuiſibili, & incognita electorum multitudine: contra primo, hoc toties eſt reiectum, & iterũ reijcitur, quia ſi eccleſia inuiſibilis ſola eſt infallibilis, viſibilis vero erroribus obnoxia, vel hoc habet ratione viſibilitatis, vel ex alio Capite? ſi primũ, ergo tunc nunquam eccleſia viſibilis fuiſſet eccleſia Chriſti, cum tamen eccleſia viſibilis inſtituta fuerit à Chriſto, & eius ac Apoſtolorum tempore fuerit viſibilis, & ſic durauerit ſecundum pleroſque Sectarios per quingentos annos, ergo non eſt fallibilis, quia viſibilis præciſe, & deinde hinc neceſſario debent fateri Sectarij, ſe eſſe fallibiles cum ſint viſibiles ſectæ: Si ſecundum, oſtendant Caput, ob quod eccleſia viſibilis ſit falſa, & fallax, non ratione viſibilitatis, non ob errores in doctrina fidei, & morum vt probaui.

Secundo illa inuiſibilis, & incognita electo-

rum eccleſia, vel eſt totum aliquod diſtinctum à viſibili eccleſia, vel pars eccleſiæ viſibilis; ſi primum, contra quia conſtat ex hominibus qui pro hoc ſtatu ſunt viſibiles. Si ſecundum, ergo abſolute eſt viſibilis, quia totum compoſitum ex duabus partibus, quarum vna eſt viſibilis, alia inuiſibilis, eſt abſolute viſibile, vt patet in homine compoſito ex anima inuiſibili, & corpore viſibili, deinde non datur talis inuiſibilis eccleſia; ergo vel nulla datur infallibilitas contra expreſſa Chriſti teſtimonia, vel dabitur in ſola eccleſia viſibili, cum vel nulla detur eccleſia in terris, vel illa ſemper fuerit viſibilis, vt oſtenſum eſt.

Tandem nullibi expreſſe in ſcriptura habetur nugatoria hæc diſtinctio inter eccleſiam viſibilem, & inuiſibilem, nec vllibi in verbo Dei expreſſe legitur priuilegium non errandi conceſſum fuiſſe eccleſiæ conflatæ ex ſolis electis, cum vera Chriſti eccleſia conſtet ex bonis & malis, electis, & reprobis, ergo fruſtra recurrunt Sectarij ad Congregationem electorum ad ſaluandam infallibilitatem, in illa enim eccleſia ſola debet dari infallibilitas, á qua debet peti canon, & ſenſus ſcripturæ, á qua debet fieri prædicatio verbi, adminiſtratio Sacramentorum, conuerſio Infidelium, profeſsio externa fidei, hæc autem in ſola eccleſia viſibili fiunt, ergo in illa ſola, & non in incognita electorum Congregatione dabitur infallibilitas, deinde multi Turcæ, Pagani, Hebræi ſunt defacto prædeſtinati, ergo iſti defacto ſi credimus Sectarijs, ſunt infallibiles in fide Chriſti, quam tamen vel ignorant, vel impugnant. Item ſunt ne Sectarij prædeſtinati? dicent ita: peto vbi id oſtendent nobis expreſſe in Verbo Dei? Nullibi, ergo fruſtra pro infallibilitate recurrunt ad incognitam eccleſiam.

ARTICVLVS III.

Præcluditur Tertium effugium petitum ex futili diſtinctione de articulis fundamentalibus, & non fundamentalibus.

FVtilem dixi diſtinctionem iſtam, quia nullo nititur fundamento certo, vel probabili, nam in toto ſcripturæ volumine ne verbum quidem habetur de tali diſtinctione, vnde inſto, vel hunc ipſum articulum, dari nempe, *Talem articulorum fundamentalium, & non fundamentalium diſtinctionem*, tenent Sectarij de fide, vel non. Si non, ergo in re grauiſſimi momenti, & ex qua pendet æterna ſalus, nempe de infallibilitate eccleſiæ, meras Chimæras cudunt, & fingunt Sectarij, ob futilem ſuam opinionem, illudentes oraculis æternæ veritatis, indiſcriminatim aſſerentibus priuilegium non errandi conceſſum eſſe eccleſiæ: ſi hunc ſuum articulum de fide tenent, rogo quo ſcripturæ loco, quo libro, quo Capite ſit reuelata iſta diſtinctio, vt ſciamus certo quando eccleſia eſt infallibilis, quando non? nam res tanti momenti debet eſſe certa certitudine fidei, cum quilibet Chriſtianus adultus teneatur ſcire quænam ſint neceſſaria ad æternam ſalutem, & quænam myſteria ſint neceſſario credenda.

Deinde Sectarij in hac ſua diſtinctione de infallibilitate eccleſiæ conditionata, in fundamentalibus ſcilicet, ſeipſos magis confundunt, perinde enim ſonat hæc diſtinctio, ac eccleſiam poſſe falli in aliquibus, in alijs vero non, nam dubium tunc eſset vbi, quando, & in quibus eccleſia eſſet infallibilis, nam ſi errat in aliquo, & dubium ſit in quo, poſset dubitari eam falli in hoc, & illo, & ſic in omnibus atque adeo nullo modo eſse infallibilem

lem, quemadmodum ſi in ſcriptura admitteretur ſemel minimus error etiam in rebus minimis, non poſſemus eſſe certi quin erraret in rebus maioris momenti, ſic ſi admittamus, quod eccleſia poſſit errare, ſaltem in aliquibus, nec ipſa, nec nos poſſumus eſse certi an dicat verum in vllo articulo: quod ſic probo, vel volunt Sectarij, quod in omnibus eccleſiæ dictis poſſit dari error, vel in aliquibus tantum, ſi in omnibus, ergo nullum dictum eccleſiæ eſt certum, vbi enim poteſt eſse error, ibi non poteſt eſse firma certitudo, Si in aliquibus ſic, in aliquibus non, vel poteſt ſciri quænam eccleſiæ dicta cum errore, & quænam ſine errore ſint, vel non? Si non, ergo de nullo eccleſiæ dicto habebitur certitudo: ſi poteſt certo ſciri, quæro quomodo ſciatur, & quænam ſit cauſa prima, & immediata, cur in vno poſſit eſse error, & non in altero?

Reſpondet Chillinuorth apud Doctorem van, quod licet eccleſia ſit fallibilis in quibuſdam, non tamen ſequi quin ſit infallibilis in aliquibus alijs, vt ſicut Iudex licet poſſit errare hic, & nunc in iudicio, non ſequitur poſſe errare in omni iudicio, & ſicut viator poſſet hic, & nunc errare in ſuo itinere, non tamen ſemper. Contra quia non valet paritas ab obiecto ſenſus ad obiectum fidei, quod æqualiter ſuperat captum noſtrum, quod proinde non poſſumus attingere ſine aliorum auxilio, quibus neceſsario debemus credere, qui ſi ſemel ſint ſuſpecti de falſo, non poſſemus eſſe certi an vnquam verum dicant: de iudice dico ſicut poteſt errare, vel ex ignorantia, negligentia, vel libertate, ita non eſse certiorem de veritate huius iudicij, quam de ſua ratione naturali, quæ res fidei non attingit; De viatore dico, ſi non eſt certior de vno tramite quam de alio, poſſe errare in vno, & altero, ſi non habet ducem.

Tandem multi Sectarij aggreſſi ſunt dare Catalogum articulorum fundamentalium, & non fun-

damentalium, adhuc tamen hærent, nec ſciunt vbi pedem figant, vt proinde repentina præuentus morte ſuperintendens Cantaurienſis anno 164. Id ſolum vociferaretur, *Bone Deus quando ſciemus, quid credere debeamus,* De hac religione verum eſt illud; *Quid exiſtis videre? Arundinem vento agitatam.* O quam difficile eſt equitare in lubricæ iſtius religionis arundine; interim hæc eorum diſtinctio in rebus credendis omnem prorſus confuſionem generat, cum nullam certam credendi regulam nobis relinquat, & tamen deberemus certo, diſtincte, & ſpeciatim ſcire, in quibus rebus eccleſia non poſſit errare, & in quibus poſſit, ne aliquando credamus, quæ non ſunt credenda, & non credamus, quæ credenda, quare cum eccleſia habeat infallibilem aſſiſtentiam Chriſti, & Spiritus Sancti, ſicut eſt infallibilis in vno, ita in reliquis omnibus vt probatum eſt.

Obijciunt aduerſarij eccleſiam ab initio mundi per lapſum primorum Parentum erraſſe, tempore Noe Geneſ. 6. Tempore Paſſionis Chriſti, cum Apoſtoli videbantur in fide vacillaſse. Reſpondeo ad primum multos negare quod primi parentes peccauerint contra fidem, ſed potius commiſerunt aliud diſtinctum peccatum, nempe inobedientiæ ſicut fideles quotidie peccant ſine iactura fidei. Ad ſecundum dico, Noe cum tota familia coluiſſe fidem, & fuiſse cætum fidelium, & fuiſse eccleſiam, nec omnes qui diluuio perierunt fuere infideles; hinc D. Auguſt. aduertit ſcripturam ſæpius vti Senecdoche vt ibi *Omnis quippe caro corruperat viam ſuam,* Quare dat hanc regulam lib. contra Donatiſtas poſt collationem contra eos cap. 20. *More ſuo ſcriptura loquitur, quæ ſic arguit malos tanquam omnes ibi tales ſint, ſit exemplum* Ezechielis 3. *Omnis domus Iſrael atrita fronte eſt,* Et tamen cap. 9. Multos inuenit gementes abominationes illas. Ad Apoſtolos nego eos erraſ-

ſe in fide, ſed ad ſummum in facto, quia noluerunt credere mulieribus, quarum dictum forte non videbatur ipſis ſufficiens fundamentum credendi. Deinde Lucæ 24. verſic. 33. Dicitur, Petrum, & alios habuiſse reuelationem eo die de Reſurrectione, alia ſunt ſoluta diſtinct. præceden. & ſoluentur in fra de Concilijs.

DISTINCTIO III.

De Concilijs Oecumenicis.

QVÆSTIO I.

De Conciliorum generalium infallibilitate.

ARTICVLVS I.

Quid ſit, & in quo conſiſtat infallibitas Conciliorum?

NOmine vniuerſalis Eccleſiæ dotatæ priuilegio non errandi, intelligitur non tantum vniuerſitas fidelium, ſed etiam Concilium generale, *Quod eſt congregatio maiorum eccleſiæ prælatorum, legitime conuocata, & aprobata, in qua ſolemniter, & communi intentione tractatur, & definitur aliquid ſpectans, ad religionem Chriſtianam.* Huic autem Concilio, ſeu congregationi, ſpecialiter conuenit infallibilitas actiua, qua ſcilicet in definiendis veritatibus fidei, & ferendis legibus, nec errare poteſt, nec alios in errorem inducere, aut falſum pro vero obtrudere. Vt autem intelligatur in quo conſiſtat huiuſmodi infallibilitas actiua, qua Spiritus Sanctus adeſt Concilio definienti.

Nota cum Duuallio ex Abulenſi quæſt. 12. in cap. 8. 1. Reg. quadruplicem ſtatui poſſe extraordinariam illuminationem, vnam viſibilem, ſeu ocularem; alteram vocalem, ſeu auricularem; tertiam imaginariam, quartam vero intellectualem. Viſibilis eſt, qua Deus vel Angelus in aliena quadam ſpecie ſe viuentium oculis obijcit, ſic Iſaiæ 6. dicitur *vidi Dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum, & eleua-*

eleuatum &c. Sic Ioſue 6. Angelus Domini apparuit Ioſue. Vocalis eſt, qua nihil Dei videtur ſed vox ipſa formata percipitur, ſicut locutus eſt Angelus de columna nubis ad Mariam, & Aaron ad oſtium tabernaculi. Num. 12. Imaginaria eſt, qua Deus ſe nunc vigilantibus, nunc etiam ſomno correptis, per ſimulacra, quæ in phantaſia concipiuntur, inſinuat, vt habetur num. 12. *Si quis fuerit Propheta Domini in viſione apparebo ei, vel per ſomnium loquar ad illũ.* Intellectualis tandem eſt, quæ menti, & intellectui offertur; vt patet de Eliſæo 4. Reg. 3.

His poſitis conſtat Spiritum Sanctum per immediatam, & expreſsam illuminationem Concilio non adeſse, tum quia huiuſmodi illuminatio eſt miraculoſa, nulla autem neceſſitas eſt ſtatuendi tale miraculum, cum alia via, de qua, tum infra ſtatim, tum quæſt. 2. art. 3. dicam, concilio ſuppetat, nullo enim illuminandi modo ex prædictis afficitur concilium, cum eſt in procinctu ad aliquid definiendum, totique eccleſiæ proponendum; non enim fit illi quædam apparitio, nec vox aliqua corporea in aures illorum patrum inſuſurratur, nec ſimulacrum aliquod eorum phantaſias exagitat nec denique in eorum intellectibus quidquam miraculoſe efformatur, vt ad aliquid de nouo intelligendum eleuentur, quod aliter non poterant intelligere, cum hæc ipſa eleuatio, ex præfato Abulenſi dupliciter contingat, ſcilicet aliquando cum raptu, ſeu extaſi, ſicut Apoſtolo Paulo 2. ad Corinth. 12. Aliquando ſine extaſi, vt Eliſæo 4. Reg. 13. Conſtat autem Patres concilij ad definiendum ſe accingentes, nõ agi in extaſim, aut rapi. Tandem qui diceret prædictos Patres per immediatam, & expreſsam reuelationem, ſuas definitiones habere, videretur, accedere ad eorum partes, qui dicunt ſe ſpiritu priuato afflari. Deinde non magis cætera concilia cenſentur à Spiritu Sancto illuminari, quam primum omnium Conciliorum, quod Apoſtoli Ieroſolymis celebrarunt, hoc enim tempore Spiritus

San-

Sanctus viſibiliter in credentes, deſcendebat; at vero in illo concilio, Apoſtoli exortam de legalibus quæſtionem per expreſſam, & immediatam illuminationem non definierunt, ſed per ſeriam conquiſitionem & diſcuſſionem.

Quapropter dicendum infallibilitatis priuilegium, & donum concilijs conceſſum, in hoc conſiſtere, quod Spiritus Sanctus per maturam diſcuſſionem, & exactam conſultationem concilio ita adſit, vt ſine errore definiat, *Non enim*, vt bene notat Vincentius Lirinenſis in ſuo commonitorio; *Noua fidei dogmata ſtatuit eccleſia, ſed vetera eruit*. Eruere autem, eſt rem ex ſuis principijs indagare, & perquirere, quod maxime fit peritos adhibendo in conſilium, qui rem definiendam mature examinent, & ſerio perpendant, idque iuxta regulas à Chriſto eccleſiæ relictas, nempe ſcripturam, diuinas traditiones, conciliorum definitiones, vnanimem patrum conſenſum. Neque aliter concilio adeſt Spiritus Sanctus, tum quia ſic ſe geſſerunt Apoſtoli, quando controuerſiam de legalibus Ieroſolymis terminarũt, Act. 15. *Cum autem magna conquiſitio fieret*. Qui locus oſtendit ante definitionem, præceſſiſſe diligentiſſimam conſultationem; tum quia hæc eſt, fuitque ſemper continua eccleſiæ praxis, vt ſcilicet veritas antequam fidelibus credenda proponeretur, vltro, citroque prius diſcuteretur, & examinaretur: tum quia dogmata fidei non condit eccleſia, ſed vt ſupra diximus, ea quæ iam ſunt, inueſtigat, inueſtigare autem diſcuſſionem ſonat, ſecundum regulas ſuperius dictas; atqui illuminatio ſpecialis, & immediata nullis vinculis regulariter circumſcribitur, ſicut ipſa conquiſitio. Igitur Concilium Oecumenicum, in decernendo, & definiendo, vti debet conſilio, examine, & diſcuſſione præuia, vt illi Spiritus Sanctus adſit, qui dictum concilium in hac diſcuſſione, & finali tandem definitione nunquam ſinet fallere, aut falli, vt mox probabo.

AR-

ARTICVLVS II.

De conditionibus, aliȳſque rebus, ad Conciliorum generalium, tum celebrationem, tum notitiam ſpectantibus.

PRimum omnium generale Concilium celebratum fuit Ieroſolymis ab Apoſtolis, in quo acta fuit cauſa Chriſtianiſmi, contra Iudaiſmum Act. 15. deinde anno Chriſti 325. celebratum fuit ſecundum generale concilium, nempe Nicænum primum, in quo acta eſt cauſa diuinitatis Chriſti contra Arium. anno autem 381. celebratum eſt tertium concilium Oecumenicum, puta Conſtantinopolitanum primum, in quo acta eſt cauſa diuinitatis Spiritus Sancti, contra Macedonium, quartum generale concilium fuit Epheſinum anno 430. in quo acta eſt cauſa vnius perſonæ in Chriſto, contra Neſtorium. Quintum fuit Calcedonenſe ann. Domini 451. in quo acta eſt cauſa duarum naturarum in Chriſto, contra Eutychetem. ſequuntur deinceps alia Oecumenica concilia, nempe Conſtantinopolitanum ſecundum, & tertium, Nicęnum ſecundum, Conſtantinopolitanum quartum; Lateranenſe primum, ſecundum, tertium, quartum; Lugdunenſe primum, & ſecundum; Viennenſe, Florentinum, Lateranenſe quintum, & tandem Tridentinum, quæ omnia, incipiendo à Nicæno primo ſunt octodecim, reliqua vel ſunt reprobata, vel partim aprobata, partim reprobata, vnde nomen concilij generalis non merentur, vt notat Bellarminus lib. de Concilijs.

Vtilitates autem conciliorum ſunt multæ; prima eſt exſtirpatio hæreſum; ſecunda, reformatio generalis abuſuum & vitiorum; quæ ex humana fragilitate ſerpunt inter fideles. Tertia eſt ablatio ſciſmatum, quarta eſt deciſio controuerſiarum hinc.

Dico primo Concilium generale non poſſe eſſe

 ele-

electorum, ſeu prædeſtinatorum tantum congregationem patet ex dictis, cum eccleſia conſtet ex bonis & malis, reprobis & electis nam vt ait Eccleſiaſtes cap. 9. *Neſcit homo vtrum amore, vel odio dignus ſit, ſed omnia in futurum ſeruantur incerta, eo quod vniuerſa æque euaniant iuſto, & impio, bono & malo,* vnde difficile eſt abſque ſpeciali reuelatione dignoſcere, qui ſint prædeſtinati, concilium autem debet eſſe notum.

Dico ſecundo neque plebem Chriſtianam ſumptam pro ipſis ouibus eccleſiæ, neque Principes temporales habere vllum ius decidendi in concilijs; plebs enim vt dixi ſunt oues, ad oues autem ſpectat potius paſci, & doceri, quam paſcere, & docere, ergo ad plebem non ſpectat decidere, patet Act. 20. *Attendite vobis & vniuerſo gregi in quo, vos Spiritus Sanctus poſuit Epiſcopos, regere eccleſiam Dei,* & ad Epheſ 4. *ipſe dedit quoſdam Apoſtolos, alios autem Paſtores, & doctores*, & infra, *vt non ſimus paruuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ,* & ad Heb. 13. *obedite præpoſitis veſtris, ipſi enim vigilant quaſi rationem pro animabus veſtris redditurí*. Si autem quilibet fidelis eſſet paſtor, doctor, Epiſcopus, quænam eſſent oues? qui ſubditi?

Hinc etiam excluduntur à iure decidendi in Concilijs principes temporales, non enim illis. Sed Petro, Ioan. vltimo dicitur. *Paſce agnos meos, paſce oues meas,* & Matth. 18. *quæcumque alligaueritis ſuper terram, erunt ligata, & in Cælo.* Non enim Principes ſæculares, ſed Epiſcopi ſuccedunt Apoſtolis, quos ibi alloquitur Chriſtus.

Nec obſtat quod in Concilio Calcedonenſi, & reliquis Synodis generalibus in Oriente celebratis, dicantur præfata Concilia conueniſſe ex decreto Imperatorum: nam Imperatores illi rogarunt tantum vt conuenirent patres, non autem mandarunt. quod vt melius intelligatur, nota pro præſenti difficultate, triplicem a doctoribus aſſignari authorita-

ritatem, nempe hortatoriam, executoriam, & præceptoriam: per hortatoriam petierunt ſubinde Principes chriſtiani, vt conuenirent Epiſcopi ad pacem eccleſiaſticam reſarciendam, & fouendam: ſic Martianus Imperator conuocauit Calcedonenſe concilium, vt conſtat ex eiuſdem Epiſtola in *Calcedonenſem Ciuitatem*, inquit, *venire dignemini*. Authoritatem autem executoriam, quæ ad ius facti vt aiunt pertinet, principibus competere concedunt Theologi, principes enim ſunt executores legum Eccleſiaſticarum, & iurium eccleſiæ defenſores, quod magno honori ſibi ducere debent. Et per huiuſmodi authoritatem præfatus Imperator Martianus explorata Sancti Leonis Papæ voluntate eius nutu & iuſſu, Epiſcopos Orientis conuocauit Calcedonem, vt conſtat ex actibus eiuſdem Synodi; ſic Conſtantinus & Irene profitentur ſe Romani Pontificis hortatu, & iuſſu Epiſcopos ad ſeptimam Synodum generalem congregaſſe. Ex authoritate vero præceptoria indicere concilia non Principibus vel Imperatoribus, ſed capiti duntaxat eccleſiæ conuenit.

Ex alio etiam capite fiebat mentio Imperatoriæ authoritatis, idque iuſtis de cauſis: primo, quia tunc vigebat illa lex prohibens ſine Imperatoris licentia, fieri Congregationes, & Collegia. l. 1. ff. *de collegijs*. Secundo licet nulla talis lex eſſet, quia tamen Imperatores maximam orbis partem poſſidebant, concilia fiebant in aliqua Imperiali ciuitate vnde debebat adeſſe licentia Imperatoris. Tertio, quia concilia fiebant ſæpe expenſis publicis, vt notant Euſebius, & Teodoretus. Quarto Papa temporali Imperatorum poteſtate vtebatur, ita vt illi executoria authoritate conuocauerint hic & nunc prælatos eccleſiæ, vt dictum eſt ſupra; ſæculares autem, qui nonunquam interſunt concilijs, ad ſummum non niſi votum conſultiuum habent, non autem deciſiuum, & licet Imperatores ipſi aliquan-

do adfuerint, nullum fere legimus ſubſcripſiſſe definitionibus Concilij Oecumenici, quibus ſoli paſtores leguntur ſubſcripti; vt percurrenti Synodos generales patet.

Dico tertio ad concilium generale ſufficere, & requiri, vt Epiſcopi omnes Orthodoxi citentur, & compareant, vel per ſe, vel per ſuos procuratores aut ſuum conſenſum per litteras mittant; in quo caſu, ſiue concilium ſit magnæ, ſiue moderatæ magnitudinis modo ſit legitime congregatum, generale dicetur patet ex concilio Apoſtolorum, quod cęterorum norma eſt, in quo tantum Apoſtoli, & ſeniores conuenerunt, cui Paulus & Barnabas licet Apoſtoli, adhuc etiam vt procuratores interfuerunt, miſſi Ieroſolymas á chriſtianis Antiochenis, vt habetur Act. 15. *ad Apoſtolos & presbyteros ſuper hac quæſtione*. Ex quo loco habetur 1. pro decidenda quæſtione habitum fuiſſe recurſum, non ad ſæculares, ſed ad Apoſtolos, & presbyteros; 2. quod miſſi fuerint procuratores, non plebei, ſed Apoſtoli duo; 3. quod conuocatum fuerit concilium ex maioribus eccleſiæ. Cætera huc ſpectantia videri poſſunt apud controuerſiſtas.

ARTICVLVS III.

Concilium generale legitime conuocatum, & approbatum in ſuis definitionibut eſt infallibile.

Licet iſta propoſitio ex dictis huc vſque abunde probata ſit, per ea quibus probauimus infallibilitatem eccleſiæ, eam tamen iterum ſtabilio per diuerſas probationum claſſes, ex ſcripturis deſumptas. Vnde ſit.

Prima probationum Claſſis.

Depromitur ex Matth. 18. verſ. 18. *Amen dico vobis, quæcumque alligaueritis ſuper terram*

erunt ligata & in Cælo, & quæcumque ſolueritis ſuper terram erunt ſoluta & in Cælo: iterũ dico vobis, quia ſi duo ex vobis conſenſerint ſuper terram, de omni re, quamcumque petierint, fiet illis a patre meo, qui eſt in Cælis, vbi enim ſunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum. Hunc locum de concilijs Oecumenicis intelligit Cyrillus in expoſitione ſymboli Nicæni circa principium. Cæleſtinus in epiſtola ad concilium Epheſinum, Calcedonenſe concilium ab aduerſarijs admiſſum, in epiſtola ad S. Leonem. Sexta ſynodus generalis Act. 18. ligare autem, & ſoluere, ſignificant decernendi, iudicandi, & definiendi poteſtatem, iuxta illud Matth. 23. *Super cathedram Moyſi ſederunt Scribæ & Phariſæi, omnia ergo quæcumque dixerint vobis facite;* & infra, *alligant onera grauia;* & Matth. 16. *quodcumque ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in Cælo, &c.* Congregari autem nomine Chriſti, eſt congregari eius authoritate ex 1. ad Corinth. 5. *Iudicaui in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti tradere huiuſmodi ſatanæ.* Ideſt authoritate Chriſti, *ibi ſum in medio eorum.* Nimis aperte declarat aſſiſtentiam Chriſti.

Hic Chriſtus ponit mutuam correſpondentiam inter Cælum, & Eccleſiam, vt fideles intelligant quidquid ſibi ab eccleſia in concilio Oecumenico congregata, vel credendum, vel obſeruandum proponitur, hoc in Cælo ratum & alligatum fore, & illud ipſum ab eccleſia decerni, ſeu alligari, & ſolui, quod in Cælo alligatur & ſoluitur. Ita vt perinde ſit, hic quęrere an eccleſia, vel concilium Oecumenicum quatenus ſubeſt aſſiſtentiæ Spiritus Sancti poſſit errare, ac an prædeſtinatus, qua connexus cum ſua prædeſtinatione, poſſit damnari, ſicut enim actualis prædeſtinatio ſic ſe habet ad prędeſtinatum, vt excludat, ab eo actualem damnationem; ita hæc infallibilis aſſiſtentia ſic ſe habet ad concilium Oecumenicum, vt ab eius definitionibus omnem prorſus errorem

excludat. Vnde ſicut actualis damnatio eſt incompoſſibilis cum actuali prædeſtinatione, ita actualis quicumque error, eſt incompoſſibilis cum definitionibus concilij Oecumenici habentis actualiter infallibilem aſſiſtentiam Spiritus Sancti. Et in hoc ſenſu Prophetæ, ac ſcriptores canonici, quatenus non ſolum habebant ſpecialem illuſtrationem: ſed etiam aſſiſtentiam Dei in ſcribenda, & tradenda doctrina ſacra, erant ſic infallibiles, vt errare non potuerint, iuxta illud Exod. 4. verſ. 12. *Ego ero in ore tuo, doceboque te quid loqueris.* & Matth. 10. *dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini, nō enim vos eſtis, qui loquimini, ſed Spiritus patris veſtri, qui loquitur in vobis.*

Nunc ſic argumentor, iudicium definitiuum concilij Oecumenici eſt ratum, & approbatum in Cælo, ex ipſo textu ſupra citato, ob aſſiſtentiam, & mutuam correſpondentiam à Chriſto promiſſam, vel ergo huic definitiuo concilij iudicio poteſt ſubeſſe falſum, vel non? ſi non, ergo concilium generale in definiendo habet priuilegium infallibilitatis ex infallibili Spiritus Sancti aſſiſtentia; ſi autem prædictum concilij iudicium poteſt eſſe falſum; ergo falleretur etiam quatenus habet præfatam Spiritus Sancti aſſiſtentiam: ergo hæc ipſa aſſiſtentia permitteret concilium labi in errorem dum definiret, quod eſt blaſphemum, ſupponimus enim ex textu Spiritū Sanctum aſſiſtere concilijs Oecumenicis repræſentantibus totius viſibilis eccleſiæ corpus; & concilium aliter non eſſet verum, Oecumenicum, aut legitimum, niſi vt hanc habet aſſiſtentiam; ſed hanc promiſſit Chriſtus concilijs generalibus: ergo ſicut certo promiſit, ita certiſſimum eſt, Hanc eiſdem ſemper adeſſe, ne Deus in ſuis promiſſis falleret: contra illud num. 23. *Non eſt Deus quaſi homo vt mentiatur, nec vt filius hominis, vt mutetur. Dixit ergo, & non faciet? locutus eſt, & non implebit?* Quaſi diceret non, promiſit autem Deus aſſiſtere concilijs, quid ergo, hanc ſuam promiſſionem

non implebit? hoc dicere iterum eſſet blaſphemum.

Subſumo, ſed ideo credimus Prophetas, Apoſtolos, & ſcriptores canonicos in ſcribenda, & tradenda doctrina reuelata non erraſſe, quia habebant hanc aſſiſtentiam, iuxta illud 2. Petri 1. *Spiritu Sancto inſpirati, locuti ſunt Sancti Dei homines*. Ergo ſimiliter concilia generalia ſub pari aſſiſtentia non poſſunt errare in ſuis definitionibus, quibus eandem doctrinam reuelatam declarant, exponunt, expoſitamque proponunt credendam. Si enim concilia quatenus ſubſunt etiam tali aſſiſtentiæ errarent, nihil certi de prophetarum oraculis, de Apoſtolorum doctrina, de toto Dei verbo haberemus. Eatenus enim hæc vera eſſe credimus, quatenus certo perſuaſum habemus ſcriptores ſacri canonis in eo ſcribendo, & tradendo, hac Dei aſſiſtentia, & illuſtratione munitos fuiſſe. Si autem ipſi ſub hac aſſiſtentia falli non poterant vt omnes veri chriſtiani certo credunt, nec ſimiliter concilia in ſuis definitionibus ſub eadem aſſiſtentia falli poterunt.

Secunda Probationum Claſſis.

ARguo ſecondo vel licet Concilio Oecumenico definire ac decidere res fidei, & morum, vel non? Si non ergo fruſtra dixit Chriſtus, *quæcumq; alligaueritis ſuper terram, erunt ligata, & in Cælo*. Ergo fruſtra ibidem remittit fideles ad iudicium eccleſiæ, *Dic eccleſiæ ſi eccleſiam non audierit ſit tibi ſicut Ethnicus, & Publicanus*. Si liceat eccleſiæ diſcutere, & definire controuerſias in concilio Oecumenico, peto vel tunc concilium in iudicando poteſt falli, vel non? Si non, habemus intentum: & conſequenter nihil vnquam erit alligatum in tali cōgregatiône, quod non erit etiam ligatum in Cœlo, & ſicut in Cœlo nihil erroneum in doctrina fidei, & morum poteſt eſſe ratum, approbatum, & ligatum, ita ab ĳs qui in concilĳs Oecumenicis congregantur,

nihil vnquam erroneum quoad doctrinam fidei, & morum poteſt alligari aut ſolui ſuper terram: Si concilium Oecumenicum poteſt falli, tunc peto iterum: vel hoc ſuppoſuit Chriſtus, vel non? Si non, ergo Chriſtus deceptus fuit, cum contra ipſius promiſſionem, concilium poſſit falli, & conſequenter ligare quæ non ligabuntur in Cœlo: Si ſuppoſuit fallibilitatem concilij, ergo decepit in ſua promisſione Chriſtus, ſi ſic, ergo vel vult Chriſtus quod in Cœlo approbentur errores, quod eſt impoſsibile, vel vult quod nihil eorum quæ alligantur, & ſoluuntur ſuper terram, ſit vnquam alligatum, aut ſolutum in Cœlo, & ſic implicat in terminis Chriſtus, nempe alliganda eſſe in terris, & in Cœlo quæ nunquam alligari poterunt, cum errores alligari ibi non poſſint, ergo fruſtra promiſit Chriſtus alligata, & ſoluta in concilijs, alliganda, & ſoluenda in Cœlo, ergo fruſtra compromiſit iudicium Cœli concurſurum cum iudicio eccleſiæ in ſuis concilijs, ſi illa non ſint infallibilia, ne ergo has blaſphemias admittant Sectarij, admittant infallibilitatem conciliorum.

Arguo Tertio. *Vbi ſunt duo vel tres* inquit Chriſtus *ibi ſum in medio eorum*. Vel ſub hac Chriſti aſſiſtentia poſſunt falli, & fallere concilia in ſuis definitionibus vel non? Si non ergo concilia Oecumenica habent priuilegium non errandi quod intendimus: ſi poteſt falli concilium, ergo iam fallit aſſiſtentia Chriſti, ergo fruſtra eſt in medio eorum, ergo fruſtra congregantur in nomine eius; ergo perinde eſt habere, vel non habere hanc Chriſti aſſiſtentiam, ſi non fruſtra, ergo hæc aſſiſtentia tam boni præceptoris, facit ne fallantur aut errent in ſuis definitionibus concilia, idque conſtat argumento Chriſti à minori ad maius facto, ſi enim hoc facit aſſiſtentia eius duobus vel tribus, quanto magis adeſt vniuerſæ eccleſiæ in concilio Oecumenico congregatæ & repræſentatæ?

Ter-

Tertia probationum claſſis.

PRobatur quarto Matth. vlt. *Ego vobiſcum ſum omnibus diebus*. Ioan. 4. *Rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis, vt maneat vobiſcum in æternum.* Ioan. 16. *Spiritus veritatis docebit vos omnem veritatem.* Hæc loca vti probant infallibilitatem vniuerſalis eccleſiæ, ita, & conciliorum, quæ vniuerſam repræſentant eccleſiam: Si ergo ex ſcripturis veriſſimum, & certiſſimum eſt, eccleſiam eſſe infallibilem ſub aſſiſtentia Chriſti, & Spiritus Sancti, atque adeo etiam concilia, ergo eadem certitudine plane certiſſimum eſt, non falli actu in ſuis definitionibus, nihil enim eſt magis repugnans, quam vnum, & idem eſſe ſimul infallibile, & actu falli, ſeu eſſe infallibile, & non infallibile, atqui eccleſiā eſſe infallibilem conuincunt ſcripturæ toties citatæ *Portæ inferi non præualebunt aduerſus eam, eccleſia Dei viui columna, & firmamentum veritatis*, Ergo ſimiliter concilia. Confirmatur Act. 15. verſ. 28. *Viſum eſt Spiritui Sancto, & nobis.* Hic rurſus monemur intelligere, quidquid nobis ab eccleſia vel credendum vel obſeruandnm proponitur, hoc Spiritui Sancto videri, quod eccleſiæ videtur, & illud ipſum eccleſiæ videri, quod Spiritui ſancto videtur, qui autem blaſphemauerit Spiritum ſanctum, neque in hoc ſæculo ei remittetur, neque in futuro.

Vrgetur iſta Probatio.

NVnc ſic vrgeo, decreta Concilij Oecumenici ſunt à Spiritu ſancto vt innuit allatus Textus tunc ſic, vel ergo decreta concilij generalis ſunt infallibilia vel non? Si ſic ergo habemus intentum, nempe concilia Oecumenica in ſuis definitionibus non poſſe errare: Si non, ergo Spiritus ſanctus dictat eccleſiæ fallibiles definitiones, quod eſt blaſphemum:

mum: ergo Spiritus ſanctus non docet eccleſiam, & præſertim concilia quæ totum corpus eccleſiæ repręſentant, omnem veritatem; ſi dicas non conſtare eum aſſiſtere ſemper concilijs: contra, ergo non manet in æternum cum eccleſia contra Textus allatos: ergo Chriſtus non adeſt eccleſiæ *Omnibus diebus vſque ad conſummationem ſæculi* contra eius expreſſam promiſſionem. Iterum Chriſtus, & Spiritus ſanctus ſéper aſſiſtunt eccleſiæ, & præſertim concilijs, vel aliquaudo ita, aliquando non; ſi ſemper aſſiſtunt, ergo impoſſibile eſt ſub hac aſſiſtentia falli concilia; ſi aliquando ita, aliquando non; ergo non eſt continua, & nunquam interrupta aſſiſtentia contra illud, *Ego vobiſcum ſum omnibus diebus*, non hoc vel illo indeterminato die, *Sed omnibus diebus, alium paraclitum dabit vobis vt maneat vobiſcum in æternum*, non hoc vel illo indetermiuato tempore ſed in æternum.

Vrgetur Secundo.

TAndem eccleſia ex dictis, *eſt Firmamentum veritatis, & aduerſus eam portæ inferi non præualebunt, & vbi duo vel tres congregati ſunt*, Deliberantes vtique, & decidentes res ſpectantes ad religionem Chriſtianam, ibi Chriſtus eſt, ex quibus, & ex hactenus dictis eccleſia eſt infallibilis, tunc ſic vel eccleſia dum definit eſt actu infallibilis vel non? ſi ſic, ergo in ſuis definitionibus non fallitur: ſi non eſt actu infallibilis, ergo eſt ſimul infallibilis, & non infallibilis quod probo, nam ex dictis eſt infallibilis, & per ſectarios non eſt actu infallibilis, ergo ſic ſimul eſt, & non eſt infallibilis quod implicat, ſicut implicat eſſe quidem verum, ſed non eſſe actu verum, cum ergo eccleſia ſit infallibilis ſemper, & actu erit talis.

Vltima claſſis Rationum.

PRobatur vltimo à paritate ex veteri Teſtamento Deut.17.verſ.8. *Si difficile & ambiguum apud te iudicium eſſe perſpexeris ſurge, & aſcende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus, venieſque ad Sacerdotes Leuitici generis, & ad Iudicem qui fuerit illo tempore, quæreſque ab eis qui iudicabunt Iudicij veritatem, & facies quodcumque dixerint,* & infra, *qui autem ſuperbierit nolens obedire Sacerdotis imperio &c. morietur homo ille.* En prætorium veteris Teſtamenti in quo decidi debebant, non tantum ceremonialia, ſed alia quæcumque ad fidem ſpectantia, iuxta illud 2. Paralipomenon cap. 19. verſ.10. *Omnem cauſam quæ venerit ad vos, vbicumque queſtio eſt de lege, de ceremonijs, de iuſtificationibus, oſtendite eis ne peccent in Dominum, Amarias autem Sacerdos, & Pontifex veſter in his quæ ad Deum pertinent, præſidebit.* Hic pro difficultatibus remittuntur fideles non ad ſcripturam, non adipſam legem in ſcriptura expreſſe traditam, ſed ad Sacerdotes Leuitici generis, ergo decuit vt Chriſtus in eccleſia inſtitueret etiam Tribunal penes maiores eccleſiæ, in quo omnes controuerſiæ inter fideles ortæ deciderentur.

Si dicas non conſtare in eccleſia Chriſti, ſimile prætorium inſtitutum eſſe. Contra, in lege Euangelica aperte habetur, & de iudice quidem Math.16 *Tibi dabo claues Regni Cœlorum, quodcumque ligaueris ſuper terram, erit ligatum, & in Cœlo,* & Ioan. 21. *paſce agnos meos, paſce oues meas.* En Iudicem, & Matth. 18. *Si te non audierit dic eccleſiæ.* En Tribunal, ibidem *quæcumque alligaueritis,* en Apoſtolos, Epiſcopos, Sacerdotes. *Si eccleſiam non audierit ſit tibi ſicut Ethnicus, & publicanus.* En pœnam ſimilem illi quæ intelligitur ſupra Deut.17. Ergo à primo ad vltimum ſicut eccleſia vniuerſalis eſt infallibilis,

bilis, ita,& concilia eccleſiam repræſentantia etiam ſunt infallibilia,& ſicut Tribunal Synagogæ habuit hanc prærogatiuam, cur non, & eccleſia Chriſti ?

ARTICVLVS IV.

Conciliorum authoritatem probant Patres.

EX Græcis Athanaſius in Epiſtola ad Epiſcopos Affricanos,*Verbum Domini per Oecumenicam, Niceæ Synodum manet in æternum* ? Ergo decreta concilij generalis ſunt à Deo. Gregorius Nazianzenus orat. 21. Quæ eſt in laudem Athanaſij, *Atque idcirco primum in concilio Niceæ habito, atque illo trecentorum atque duo de viginti lectiſſimorum virorum numero, quos Spiritus Sanctus in vnum coegerat* (nota bene) *quantum cum ipſis fuit morbum compreſſit.* Ergo Spiritus ſanctus aſſiſtit concilijs Oecumenicis, & conſequenter ſub tali aſſiſtentia non poſſunt falli. Cyrillus Alexandrinus Epiſtola ad Anaſtaſium Alexandrinum editionis Baſilienſis *Apoſtolorum veſtigia ſequi ſtatuerunt celeberrimi Patres, qui venerabile, & vniuerſale fidei decreuerunt ſymbolum in Nicea olim congregati, quibus ſane & ipſe Chriſtus aſſedit qui dixit,* vbi fuerint duo vel tres in nomine meo congregati, ibi ſum in medio eorum.

Ex latinis Tertull. aduerſus Pſychios cap. 13. *Aguntur præcepta per Græcias illas certis in locis concilia in vniuerſis eccleſijs per quæ, & altiora quæq; in communi tractantur, & ipſa repræſentatio totius nominis Chriſtiani magna veneratione celebratur.* Ambroſius in proemio lib. 1. de fide ad Gratianum *De concilijs id potiſſimum ſequar &c.* & infra, *vt mihi videatur hoc eſſe diuinum, quod eodem numero in concilijs, fidei habemus oraculum, quo in hiſtoria pietatis exemplum.* Aug. lib. 7. contr. Donatiſt. cap. 53. *Nobis tutum eſt in ea non progredi aliqua temeritate ſententiæ, quæ nullo in concilio regionali concepta, nullo ple-*

nario

nario concilio terminata ſunt, id autem fiducia ſecura vocis aſſerere, quod in gubernatione Domini noſtri, & Saluatoris Ieſu Chriſti vniuerſalis eccleſiæ conſenſione roboratum eſt, en quomodo Aug. dicat ſecure credendum eſſe, quod à plenario concilio determinatum, eſt, & quod talia à Chriſto Gubernatore roborentur. Cœleſtinus primus Epiſt. ad Synodum Epheſinã *Spiritus Sancti teſtatur præſentiam congregatio Sacerdotum, certum eſt enim quod legimus, quia nec poteſt veritas noſtra mentiri, cuius iſta ſententia eſt, vbi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, ibi ego ſum in medio eorum, quod cum ita ſit, ſi nec huic tam breui numero Spiritus Sanctus deeſt, quanto magis eũ nunc intereſſe credamus, quando in vnum conuenit tanta turba Sanctorum, Sanctum namque eſt pro debita veneratione concilium &c.* Hæc integerrimi, vetuſtiſſimi, & ſinceriſſimi ſcripturæ interpretes pro conciliorum infallibili authoritate, quibus vtiq; credendum potius, quam prætenſis reformatis heſternum aſſerentibus commentum.

ARTICVLVS V.

Eandem Conciliorum infallibilitatem probant rationes Theologicæ.

PRimo, ſi Conciliã generalia legitima non ſunt infallibilia, ergo primum Apoſtolorum concilium non fuit infallibile, ergo nec infallibilia quatuor ſubſequentia nempe Nicænum, Conſtantinopolitanum, Epheſinum, Calcedonenſe, ſi ſic, quomodo probabitur definitiones iſtorum conciliorum eſſe de fide? quomodo conuincentur Ariani, Neſtoriani, & ſimiles de hæreſi, vel ergo iſti fuerunt legitime à concilis iſtis damnati, vel non? Si non, ergo male illa concilia definierunt eſſe de fide Trinitatis, & Incarnationis myſteria, Spiritus ſancti Diuinitatem, vnitatem Perſonæ, & duas naturas in Chriſto, ſi autem

iſti hæretici fuerunt legitime damnati, ergo definitiones conciliorum ſunt infallibiles, & conſequenter concilia Oecumenica pollent infallibilitatis priuilegio.

Secundo, ſi concilia generalia non ſunt infallibilia, ergo prima illa concilia inciderunt in errores intolerabiles, quod propoſuerint orbi res de quibus poteſt eſſe dubium, vtrum veræ eſſent, nec ne? quod Sectarij non libenter admittunt, potiſsimum de 4. primis concilijs, deque eorum definitionibus contra Arium, Neſtorium, Macedonium, & alios hereticos, & ſi prima illa quatuor ſint infallibilia, cur non reliqua? cur potius concilium Apoſtolorum quam alia, cum Chriſtus promiſerit ſe futurum cum eccleſia omnibus diebus vſque ad conſumationem ſæculi? vel probent Sectarij ex ſcriptura, quod infallibilitas ſit promiſſa huic particulari concilio, & non iſti. Deinde ſic arguo, vel concilia Oecumenica poſſunt errare, vel non? ſi non, ergo gaudent infallibilitatatis priuilegio. Si ſint fallibilia, ergo non ſunt admittendæ definitiones primorum conciliorum, quod ſi ſic tunc cum Ario negare licebit myſterium Trinitatis, & cũ alijs hereticis alia myſteria, quod eſt blaſphemum, vel ſi admittimus prima illa concilia fuiſſe infallibilia, idem admittendum erit de alijs, vel ex ſcriptura oſtendendum eſt oppoſitum, quod nunquã facient ſectarij.

Tertio vera, & viſibilis Chriſti eccleſia gaudet infallibilitatis priuilegio, ſed nomine eccleſiæ debet etiam intelligi concilium Oecumenicum, quod ſine dubio totam eccleſiam repræſentat, ſicut concilium Apoſtolorum ſuo tempore repræſentauit eccleſiam, & comitia regni totum regnum? ergo ſi vt hactenus luculenter, probauimus vera, & viſibilis Chriſti eccleſia, non poſſit errare, certe neque concilium generale legitimum poteſt errare, ſicut nec errauit concilium Apoſtolorum; quod ſic probo, eccleſia Chriſti perpetuo, & indefectibiliter durauit huc

vſque,

vſque, & durat; ſed eccleſiæ ſuæ viſibili, promiſit Chriſtus ſuam aſſiſtentiam continuam: ergo ſicut nullo vnquam tempore poterat viſibilis hæc eccleſia deficere à vera fide; ita nullum concilium Oecumenicum quocumque tempore habitum potuit vnquam errare in definitionibus fidei & morum, alioquin eccleſia aliquando deficeret, ſed eccleſia non defecit ob infallibilem Chriſti, & Spiritus ſancti aſſiſtentiam, vt late probatum eſt, ergo nunquam concilia generalia, ſeu Oecumenica & eccleſiam repræſentantia defecerunt à fide, alias infallibitatis priuilegium viſibili eccleſiæ conceſſum, eſſet interruptum, quod eſt impoſſibile vt probaui.

QVÆSTIO II.

De effugijs, & obiectionibus Sectariorum.

ARTICVLVS I.

Præcluduntur Sectariorum effugia.

PRimum effugium eſt quod Scriptura ſacra ſufficiat pro iudice, ergo non eſt opus iudicio eccleſiæ, neque concilijs generalibus. contra 1. Synagoga habuit Scripturam ſacram in lege, iudicialibus, & cæremonialibus valde apertam, & tamen præcepit Deus vt habens difficultatem aſcenderet ad Iudicem, & ſacerdotes Leuitici generis deut. 17. Contra 2. In lege Euangelica Chriſtus remittit habentes quæſtionem ad iudicium eccleſiæ Matth. 18. *Dic Eccleſiæ*, deinde tempore Apoſtolorum fideles habentes quæſtionem de legalibus Moyſi miſerunt *Ad Apoſtolos, & Presbyteros in Ieruſalem ſuper hac quæſtione* Act 15. Quando quæſo hic modus dicitur mutatus in ſcriptura, aut vbi? Nullibi.

Secundum effugium eſt hoc Tribunal non reſi-

dere penes maiores Prælatos Eccleſiæ, ſed penes totam multitudinem. Contra 1. ex Deut. 17. Citato, non ad multitudinem, ſed ad Iudicem, & Sacerdotes remittebantur grauiores quæſtiones, contra 2. Matth. 18. *Si peccauerit in te frater tuus &c. Si autem te non audierit &c. dic eccleſiæ*, Cur eccleſiæ ſi penes multitudinem eſſet hoc Tribunal? cur non ſufficerent illi duo Teſtes, quos adhibendos monet Chriſtus, cur ergo ait *Dic Eccleſiæ* ſi penes multitudinem ſit hæc poteſtas, cur multitudo Chriſtianorum Antiochiæ apud ſe non deciderit ortam quæſtionem? cur ſtatuerunt, vt aſcenderent Paulus, & Barnabas ad Apoſtolos, & Presbyteros in Ieruſalem ſuper hac quæſtione? cur ad Epheſ. 4. poſuit Deus in eccleſia *Apoſtolos, Doctores, Paſtores vt non ſimus paruuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ*. Si omnes ſunt Iudices, Paſtores, Doctores?

Tertium effugium ſupra refutatum eſt, quod eccleſia, & concilia non poſſunt errare in articulis fundamentalibus, poſſe tamen errare in veritatibus non fundamentalibus. Contra primo, Sectarij tenent nihil credendum, niſi quod habetur in ſcriptura, hanc diſtinctionem credunt, eam tamen non recitant ex ſcriptura, quæ nullibi de illa mentionem facit, ergo ſe ipſos iugulant. Contra ſecundo Matth. vltimo dicitur generaliter, *Docentes eos ſeruare omnia quæcumque mandaui vobis*. Vbi nunc illa diſtinctio, fateor non omnia quæ habentur in Verbo Dei eſſe explicite credenda, illa tamen omnia ſunt credenda implicite, & quæ aliquando credebantur implicite tantum, ſunt credenda explicite, quando credenda proponuntur ab eccleſia.

Deinde hæc deceptoria diſtinctio præcipitat fideles omnes in deſperationis, & maximæ incertitudinis barathrum; non enim poſſunt eſſe certi, an vnquam eccleſia dicat, vel dixerit verum, donec omnes, & ſinguli prius examinent quæ ſint verita-

tes

tes fundamentales, quæ non, ſed has nullus adhuc nobis determinauit ex ſcriptura, ergo ſeipſum implicat hoc effugium, & fingitur ad hoc vt cuilibet liceat quoſque articulos negare prohibitu, & ſic negare quis poterit modo Trinitatis myſterium, modo illum ſcripturæ librum, dicendo hæc non eſſe fundamentalia.

Quartum effugium ſupra etiam refutatum eſt, concilia non poſſe errare, dum proponunt dogmata in Verbo Dei tantum contenta. Contra primo, ergo dum concilia determinant *Tot eſſe libros canonicos Scripturæ, nec plures, nec pauciores, ipſam Scripturam eſſe Verbum Dei*, Hæc dogmata non erunt credenda, quia non recitantor ex Verbo Dei, neque hæc determinantur, aut definiuntur ab ipſo Dei Verbo, vbi enim hæc dogmata proponit? nullibi. Contra ſecundo vt ſupra dixi non plus authoritatis aut infallibilitatis dat hæc diſtinctio concilijs, quam pueris, amentibus, Hebræis, hi enim omnes recitare poſſunt dogmata contenta in Verbo Dei. Contra tertio, ſtante fallaci hac diſtinctione nunquam ſciri poteſt an vllum concilium in Nomine Chriſti conueniſſet, nam ad examinandum vtrum aliquid non ex Verbo Dei decreuiſſet, alio concilio opus eſſet, & ad hoc etiam concilium examinandum, alio rurſus opus eſſet, & ſic nunquam fides gradum figeret, deinde nunquam concilia decernunt aliquid contra Verbum Dei.

ARTICVLVS II.

Soluuntur obiectiones.

OBijcies Primo multa concilia erraſſe, & vnum ex illis alteri contradixiſſe, vnumq; per aliud reformarum fuiſſe, idque contigit in veteri, & noua lege, & palam inquit Caluinus in eo coucilio, in quo Principes Sacerdotũ condemnarunt Chriſtum

Matth. 26. reſpon. Aduerſar. non poſſe probare id quod dicunt de vllo concilio Oecumenico, ſi vllum enim adduxerint concilium, vel illud non erit generale, & legitimum, vel erit aliquod priuatum, & nationale; Reſpondeo ad exemplum concilij ſacerdotum non eſſe ad rem, nam licet Synagoga habuerit infallibilitatem ante illa tempora, tamen tempore Chriſti amiſit illud priuilegium iuxta illud Danielis 9. verſ. 26. *Poſt hebdomadas ſexaginta duas occidetur Chriſtus, & non erit eius populus qui eum negaturus eſt*, & idem vaticinatus eſt Chriſtus ipſe Matth. 20. *Filius hominis tradetur Principibus Sacerdotum, & condemnabunt eum morte.* Vnde illud concilium non fuit verum, nec legitimum, & conſequenter infallibilitas Synagogæ tranſiuit ad eccleſiam, quid ergo illud exemplum contra nos?

Obijcies ſecundo licet admitteretur concilia generalia eſſe infallibilia, non eſt certum an hoc vel illud concilium fuerit legitime congregatum in Spiritu ſancto, an res bene examinauerit, an non facta fuerit ſubordinatio, vel coactio partium. Reſpondeo 1. Id poſſe etiam opponi conciliijs, quorum definitiones iam omnes communiter admittunt. Reſpondeo 2. Eſſe de fide Oecumenicum, & legitimum concilium habere omnes conditiones ad infallitatem requiſitas, implicat enim quod ſit legitimũ, & tamen non habeat iſtas conditiones, ſicut quod hæc hominum collectio quæ hodie in terris eſt eccleſia Chriſti ſit vera eccleſia, & tamen non habeat veram fidem, & reliqua requiſita.

Dices quod concilia habuerint illa requiſita non conſtat niſi ex fide Hiſtoricorum, hi autem exceptis Diuinis non raro mentiuntur, certe firmam & infallibilem fidem non faciunt; ergo conciliorum decreta ſunt omnino dubia: priuſquam reſpondeam, quæro vnde es tu? filius Ionathæ inquies, nego, quis dicit? Ciues mei inquies, nego hoc quod dicis, vel admitte Conciues etiam noſtros, deinde

Sa-

Sacram Scripturam eſſe à Deo alij dicunt, nego eam talem eſſe, quis dicit? totus Mundus inquies, & ego, ergo pro me; Reſpondeo ergo nos credere hoc extrinſece ob traditionem illam humanam, intrinſece vero ob Verbum Dei.

Obijces 3. in omni congregatione ſæpè maior pars vincit meliorem, ergo in concilijs eccleſiæ, vbi omnia definiuntur iuxta maiorem ſuffragiorum numerum facile erit erroneum quid ſtabilire. Reſpondeo in congregationibus ob humanos tantum fines habitis id euenire poſſe, non autem in concilijs Oecumenicis, quibus adeſt infallibilis aſſiſtentia Chriſti. Inſtabis, non conſtat an omnes Epiſcopi preſentes in concilio habeant veram fidem, & conſequenter an bene definiant. Reſpondeo eandem eſſe difficultatem de quatuor primis concilijs, deinde dico Epiſcopos in concilio congregatos fidem Catholicam externe profiteri, ideo eccleſiam Chriſti repreſentant, ſi quis autem interne fidem neget ſibi nocet, dum autem externe illam profitetur, erit membrum eccleſiæ & vt Miniſter in ordine ad commune illius regimen, dirigetur à Deo qui eidem eccleſiæ aſſiſtit.

Obijces 4. quod vnum concilium decernit aliud ſubſequens ſubinde mutat: ergo concilia ſibi inuicem repugnant. Reſpondeo in concilijs definiri aliqua quoad fidem, alia quoad mores, nunquam mutantur illa quæ ſpectant ad fidem, licet ſalua fidei integritate mutentur aliquando moralia prout temporum, hominum, & locorum ratio poſtulat, vt patet ex concilio Apoſtolorum vbi decretum de abſtinendo à ſanguine, & ſuffocato mutatum eſt & abolitum.

ARTICVLVS III.

Reſoluuntur dubia huc ſpectantia.

QVæres 1. an articuli fidei ſucceſſu temporis creuerint vel creſcant, ſeù an admittendæ ſint nouæ fidei reuelationes in eccleſiæ & conciliorum definitionibus? Reſpondeo, dum eccleſia, declarat aut definit & proponit nouum aliquem articulum, non fieri tunc nouam vllam reuelationem, ſed ex reuelatione antiquitus facta, & in eccleſiæ Theſauro repoſita, quę proinde ab Apoſtolo 2. ad Tim. 1. ver. 14 vocatur *depoſitum*, ex illa inquam aliæ veritates eruuntur, pro vt tempus, & occaſio petunt, reſponſio fundatur in verbis Chriſti Ioan. 15. verſ. 15. *Omnia quaecumque audiui a Patre meo nota feci vobis*. Sed audiuit vtique filius ex patre omnes veritates ad ſtatum eccleſię neceſſarias, & ab eccleſia neceſſario credendas, cum ergo has omnes notas fecerit Apoſtolis, conſequenter Apoſtolis fuerunt communicata omnia myſteria, quod deducitur 2. ex illo Ioann. 14. verſ. 26. *Spiritus ſanctus docebit vos omnia, & ſuggeret vobis omnia:* Ergo Apoſtoli erant plene inſtructi de omnibus veritatibus fidei, adeo vt habuerint perfectiſſimam notitiam omnium myſteriorum, alioquin imperfectiorem articulorum notitiā haberent Apoſtoli, quam poſt eorum tempora cæteri Chriſtiani, ſicut autem Chriſtus, & Spiritus ſanctus communicauit Apoſtolis omnia myſteria fidei, ita Apoſtoli communicarunt eadem cæteris fidelibus, vt conſtat ex illo Act. 20. verſ. 27. *Non enim ſubterfugi quominus annuntiarem omne Conſilium Dei vobis*. Et primæ ad Corinth. 1. verſ. 4. *gratias ago Deo meo ſemper pro vobis in gratia Dei, quod in omnibus diuites facti eſtis in illo, in omni verbo, & omni ſcientia ita vt nihil deſit vobis in vlla gratia*. Ex quibus habetur Apoſtolos communicaſſe fidelibus omnes arti-

articulos fidei ſaltem in ſubſtantia, quos modo credit eccleſia & conſequenter nulla fidei myſteria de nouo reuelantur, quę iam olim non fuerunt reuelata.

Deinde ſi detur noua reuelatio, peto vel illa nota fuit primitiuæ eccleſiæ vel non? ſi fuit nota iam noua non eſt: ſi non, ergo Pater non inſtruxit filium, nec Filius, & Spiritus ſanctus Apoſtolos, nec Apoſtoli alios fideles inſtruxerunt in fide aduerſus futuras hæreſes inſurgentes, contra allatos Textus; & confirmatur ex Vincentio Lirinenſi cap. 32. *Contra hæreſes; Chriſti eccleſia ſedula & cauta depoſitorum apud ſe dogmatum cuſtos nihil in eis vnquam permutat, nihil minuit, nihil addit*, infra, *denique quid vnquam conciliorum de cretis eniſa eſt, niſi quod prius a maioribus ſola traditione acceperat, hac deinde poſteris etiam per ſcripturæ Chirographum conſignaret, quod antea ſimpliciter credebatur, iam diligentius crederetur.*

Quæres 2. quo fundamento procedant concilia, dum aliquid de nouo definiunt? Reſpondeo eccleſiam aut concilia nihil definire de fide, niſi quod in Verbo Dei ſcripto, vel tradito formaliter vel virtualiter continetur. Vbi nota aliud eſſe veritatem aliquam definiri aliud vero reuelari, vnde licet aliqua veritas de nouo definiatur, non ſequitur tamen hanc fuiſſe de nouo reuelatam, hinc in concilio Nicæno conſubſtantialitas filij cum Patre fuit de nouo definita ſeu declarata, non tamen ibi de nouo reuelata, cum antea fuerit reuelata in illo Ioan. 10. *Ego & Pater vnum ſumus*. Nota 2. continere aliquid formaliter, eſt illud continere ſecundum propriam entitatem, ſic ignis continet calorem, continere virtualiter eſt habere virtutem productiuam talis rei, ſic piper virtualiter eſt calidum, quia habet virtutem producendi calorem; vel magis ad rem in hac propoſitione, *Chriſtus eſt homo*, continetur formaliter hæc altera, *ergo conſtat corpore & anima*, hæc autem alia tantum virtualiter, *ergo Chriſtus eſt riſibilis*.

Nota 3. ſicut in principijs cuiuslibet ſcientiæ diuerſæ veritates continentur, & ex illis per diuerſas concluſiones deduci poſſunt, quæ quidem in ſeipſis erant veræ, licet nobis ſubinde non appareant, donec videamus connectionem earum cum præmiſſis; ſic in primis principijs noſtræ fidei à Deo immediate reuelatis, & eccleſiæ communicatis continentur omnes veritates, quæ aliquomodo ad noſtram fidem attinent, non fuit tamen neceſſe vt omnes & ſingulæ illæ veritates ſic in præfatis principijs contentæ manifeſtarentur ab eccleſia, in primo cuiuslibet concilij conſeſſu, ſed illæ tantum, quas occaſio talis conſeſſus tunc requirit, qualis ſolet eſſe aliqua hæreſis nouiter orta, & prout pullulant & creſcunt ſic hæreſes, ſic creſcunt nouæ declarationes & definitiones antiquæ fidei. Quas dum producit & edit eccleſia, non poteſt dici procudere nouam fidem, aut antiquam mutare, ſed eruit & educit ex antiquis fundamentis, eiuſmodi definitiones, quæ deſtruant hæreſes, & monſtrent eas eſſe contrarias veteri fidei, & ſic multi articuli quæ antea credebantur a fidelibus tantum implicite, accedente eccleſiæ definitione, & propoſitione creduntur explicite, & hoc modo & gradatim augetur eccleſia acquirendo, manifeſtando, ac declarando notitiam multarum veritatum ex ſuis primis principijs, erutarum: ſic imitatur Chriſtum ſuum ſponſum de quo dicitur Luc. 2. verſ. 52. *Ieſus proficiebat ſapientia, & ætate, & gratia apud Deum & homines*. Non quod minimum gratiæ vel cognitionis receperit ab inſtanti ſuæ conceptionis, ſed quia gratiam & ſapientiam ſuam magis magiſque oſtendebat.

Nunc breuiter patet reſponſio, ex praxi continua Patrum, ac Doctorum eccleſiæ, recurrentium ſemper in ſuis definitionibus ad Verbum Dei ſcriptum, vel traditum, ſic in concilio Apoſtolorum lis fuit deciſa ex traditione, cum tunc Euangelium non eſſet ſcriptum, vt patet ex Textu Act. 15.

cum

cum magna conquiſito fieret dixit Petrus, *Deus elegit per os meum audire gentes*. Hic recurritur ad traditionem, qua conſtabat gentes debuiſſe audire Petrum 2. in concilio Epheſino, lis fuit deciſa ex traditione Apoſtolica, vti & in concilio Calcedonenſi, vt conſtat ex actibus vtriuſque concilij & probat Lyrinenſis cap. penultim.

QVÆSTIO III.

De Conſectarÿs quæ ex vtraque hac diſtinctione inferuntur.

ARTICVLVS I.

Infertur primum Conſectarium, nempè ſicut Eccleſia ſemper habuit perpetuam infallibilitatis priuilegium, ita nullum vnquam erroris næuum in doctrina fidei, & morum contraxiſſe.

PRima pars abunde probata eſt vtraque hac diſtinctione, vnde aperte ſequitur ſecunda pars, & vlterius probatur ex Epiſt. ad Epheſ. cap. 5. verſic.25. *Chriſtus dilexit eccleſiam, & ſeipſum tradidit pro ea, vt illam ſanctificaret mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ, vt exhiberet ipſe ſibi glorioſam eccleſiam nō habentem maculam aut rugā, aut aliquid huiuſmodi, ſed ſit ſancta & immaculata.* Hæc autem eccleſia Chriſti ſemper ab initio ſtetit, durauit, & vſque ad diem Iudicij durabit, vt diſtinctione 1. probaui, nec vnquam deſiuit eſſe eius eccleſia, ſicut nec veram eius fidem amiſit.

Vnde ſic arguo, vel ergo vera, & viſibilis Chriſti eccleſia aliquando & ſucceſſu temporis contraxit aliquos errores in doctrina fidei, & morum;

vel non contraxit? ſi non, ergo habeo intentum, nempe nunquam fuiſſe maculatam vllo erroris næuo: ſi contraxit, ergo non eſt ſancta & immaculata nam implicat contradictionem, quod ſimul ſit immaculata, & tamen habeat maculam aut rugam, ſi ergo habuit huiuſmodi, ergo non eam ſanctificauit perfectè Chriſtus, nec mundauit lauacro aquæ *in Verbo vitæ*, ſi enim vel in vno qualicumque articulo aliquando errauit, iam contraxit maculam & rugam, & ſic fruſtra negaret Apoſtolus eam habuiſſe aliquid huiuſmodi, fruſtra diceret Chriſtum exhibuiſſe ſibi glorioſam eccleſiam, habere enim erroris maculam, & non habere aliquid huiuſmodi repugnant, vnde ſi hæc affirmatiua eſſet vera, ſcilicet eccleſiam aliquando habuiſſe maculam, tunc negatiua Apoſtoli eſſet falſa, non habere maculam, aut rugam, aut aliquid huiuſmodi, ne ergo iſta contradictoria admittantur, concedendum, quod eccleſia nunquam contraxerit erroris næuum, aut rugam in vllo qualicumque articulo, cum propoſitio Apoſtoli ſit ſimpliciter negatiua generaliter excludens omnem maculam, & conſequenter ſicut ſemper fuit, & durauit vera & viſibilis Chriſti eccleſia ſine vlla indefectibilitatis, aut perpetuitatis ſuæ interruptione, ita ſemper fuit glorioſa, non habens maculam aut rugam, ſed ſemper ſancta & immaculata.

ARTICVLVS II.

Infertur ſecundum Conſectarium, nempe quod infallibilitas Eccleſiæ ſtet, & ſtare poſſit cum curruptis moribus particularium membrorum Eccleſiæ.

IN hoc maxime vel ex malignitate hallucinantur, & delirant Sectarij dum mores cum religione confundunt, & ex corrupta viuendi ratione in-

inferunt corruptelam doctrinæ, peſſima quidem conſequentia, & quæ in ſuos Authores, tanquam argumentum ad hominem retorqueri poteſt, Sectarij enim prætendunt apud ſe eſſe incorruptam doctrinam, & purum putum Dei Verbum, non obſtante tamen ambitioſa hac prætenſione apud ipſos videmus eſſe adulteros, fornicatores, bibaces, epulones, auaros & huiuſmodi, quibus hoc genus hominum ſcatet, & ſemper ſcatebat, peto ergo antequam vlterius progrediar, ſtat ne apud ipſos cum huiuſmodi ſceleribus pura doctrina, vel non ſtat? ſi non, ergo ex propria eorum confeſſione ſunt hæretici, & infideles, cum talibus vitijs ſatis ſuperque abundent: ſi cum corruptis moribus ſtat integritas doctrinæ, quid exprobrant alijs, ea quibus ipſi ſcatent, *Hypocrita, eijce primum trabem ex oculo tuo.* Abuſus ergo à fide & religione diſtinguamus, nam in bona religione male multi viuunt, in mala autem multi modeſte, cum hoc diſcrimine quod apud Orthodoxos aliqui inueniantur ſancti, apud Heterodoxos nulli.

Probo nunc Conſectarium Matth. 23. verſic. 2. *Super Cathedram Moyſi ſederunt Scribæ & Phariſæi omnia ergo quæcumque dixerint vobis, ſeruate & facite, ſecundum opera vero eorum nolite facere, dicunt enim & non faciunt.* Hic Chriſtus aperte diſtinguit doctrinam a moribus, nunc ita vrgeo, vel ſtat integritas doctrinæ cum corruptis moribus ipſorum prælatorum, vel non? ſi non, ergo Chriſtus mandat nobis ſequi corruptam doctrinam, quod eſt blaſphemum, quod tamen probo, vel enim ſuppoſuit Chriſtus tam peruerſam ſubinde eſſe doctrinam prælatorum quam corrupti, & peruerſi ſunt eorum mores, vel non? ſi ſuppoſuit, ergo aperte iubet amplectendam malam doctrinam, ergo non bene diſtinguit inter doctrinam & opera. Si non ſuppoſuit doctrinam ipſam eſſe, & fore tam prauam, quam praui ſolent eſſe mores, ergo iam diſtinxit ſanam doctri-

nam a corruptis moribus, ergo vera eſt altera pars prioris dilemmatis, nempe integritatem doctrinæ ſtare poſſe in iiſdem membris eccleſiæ, cum corruptela morum: ſic ſtetit apud Corinthios; quorum corruptos tamen mores reprehendit Apoſtolus, vt vidimus diſtinctione 1. item eſto quis peccet in ſextum, vel ſeptimum decalogi præceptum, per hoc tamen non peccat præciſe in primum, ergo nec amittit fidem, aut fit hæreticus, vel Atheiſta.

ARTICVLVS III.

Qui ſub hoc prætextu, quod viſibilis Chriſti Eccleſia errauerit, nouam ſectam inſtituit, aut inſtitutam amplectitur eſt Apoſtata, & Hæreticus.

PRima pars patet quia prætextus iſte eſt falſiſſimus, vt huculque aperte probaui, vnde ſic diſcurro, nulla eccleſia reformata eſt vera Chriſti eccleſia, ſed omnis Sectariorum eccleſia eſt reformata; ergo nulla Sectariorum eccleſia eſt vera Chriſti eccleſia; maior probatur, illa eccleſia aduerſus quam, *Portæ inferi non præualebunt, & quæ eſt columna & firmamentum veritatis, non ſupponit, nec ſupponere debet in doctrina fidei, & morum aliquid deforme, quod reformandum fuerit, & actu reformatum* atqui vera Chriſti eccleſia eſt illa aduerſus quam *portæ inferi non præualebunt, & eſt columna & firmamentum veritatis;* Ergo vera Chriſti eccleſia non ſupponit nec ſupponere debet aliquid deforme quod eſſet reformandum, ſi enim ſupponeret, non eſſet eccleſia Chriſti; minor autem primi ſyllogiſmi, quod ſcilicet Sectariorum eccleſia ſit reformata eſt ipſiſſima eorum confeſſio, vnde non eſt vera eccleſia Chriſti & conſequenter prætextus eſt falſus.

Nunc probo ſecundam partem, qui perſiſtit

&

& viuit in eccleſia reformata deſerit veram Chriſti eccleſiam, & conſequenter eſt Apoſtata & hæreticus, ſed Sectarij omnes viuunt in eccleſijs reformatis, ergo Sectarij vt potè viuentes extra veram Chriſti eccleſiam ſunt Apoſtatæ & hæretici, maior patet ex Matth. 18. *Si eccleſiam non audierit ſit tibi ſicut Ethnicus & Publicanus*, Hi autem ſunt extra eccleſiam; ergo Sectarij ſunt extra veram Chriſti eccleſiam, ergo ſunt hæretici, patet maior, omnis eccleſia reformata ſupponit errores reformandos, nulla vera Chriſti eccleſia tales ſupponit, nulla ergo reformata eſt vera Chriſti eccleſia, ergo eſt falſa, ergo qui in tali eccleſia viuunt, ſunt hæretici & Apoſtatæ.

ARTICVLVS IV.

Ex ipſis Sectariorum principÿs Eccleſiæ infallibilitatem impugnantibus ſequitur, vti apud ipſos nulla eſt infallibilitas, vt fatentur, ita ſuæ ſalutis oblitum eſſe, qui eorum Sectam amplectitur.

QVod apud ipſos non ſit infallibilitas fatentur, cum in ſolam ſcripturam eam refundant, & nullum hominem eſſe infallibilem, cum omnis homo inquiunt ſit mendax, ſed ibi non eſt certa ſalus, vbi non eſt certitudo fidei, ibi autem non eſt firma certitudo, vbi poteſt eſſe error, atqui apud Sectarios poteſt eſſe error, & fallibilitas, cum dicant omnes omninò homines eſse obnoxios errori, in qua etiam ſerie ipſi ſe fatentur eſſe, ergo apud eos non eſt certitudo fidei, adeoque nec certa ſalus: ſi dicant ſe habere infallibilem ſcripturæ textum, & hoc ſufficere. Contra, hunc habuere Arius, Neſtorius, Macedonius, & tamen errarunt, vel ergo Sectarij ſunt certi ſe bene intelligere ſcripturam vel non?

ſi non

ſi non, ergo apud eos non eſt certa fides, nec certa ſalus, nec vero etiam vera eccleſia, ſi ſunt certi, dent quæſo cauſam illius certitudinis, tam primam quam immediatam, ſane ſcriptura eos non certificat de vero ipſius ſcripturæ ſenſu vt diſtinct. ſequenti probabo, imo negant abſolute vllam infallibilitatem conceſſam fuiſſe eccleſiæ, ergo ſiſtendo in Sectariorum principijs apud eos non eſt firma certitudo.

Quod vlterius probatur, vbi eſt certitudo, ibi neceſsario eſt cauſa, & verum fundamentum illius, ſed apud Sectarios nulla eſt cauſa, nullum fundamentum certitudinis, quod Textus Biblicus, quo ipſi vtuntur ſit verus, & quod doctrina quam ipſi docent, quodque eorum interpretatio ſit vera, ergo Sectarij non poſſunt habere certitudinem de dictis. Maior eſt nota, minor probatur; fundamentum certitudinis poteſt eſse vel dictum illius, qui in dicendo errare non poteſt, & talis eſt Deus per naturam, ſi alij ſint infallibiles, habetur ex priuilegio non errandi, quod priuilegium ſingulis fidelibus non conceditur; ſecundum fundamentum ſunt miracula, per quæ Deus teſtatur ſe eſſe illum qui loquitur, & ideo ſermonem miraculis confirmat; tertium eſt euidentia ſenſus; quartum euidentia intellectus, ſed hæretici non habent primum fundamentum quoad priuilegium non errandi, cum dicant nulli id eſse conceſſum, & conſequenter nec ſibi. Non habent ſecundum fundamentum, nempe miracula, talia enim apud eos non inueniuntur; nec habent tertium, nempe euidentiam ſenſus, quia ipſi non viderunt, nec audierunt ſenſibiliter Deum Verba in Texta Biblico contenta proferentem, hoc enim ijs qui Chriſto conuixerunt tantummodo conceſſum eſt, intellectus autem non poteſt habere euidentiam in ijs, quæ ſupra naturam ſunt, denique cum non fundent certitudinem ſuam in dicto illius qui non poteſt errare, nempe in infallibilitate eccleſiæ, ſupereſt, vt nullam certitudinem habeant, ſi enim dicant

ſuam

ſuam certitudinem fundari in Textu Biblico, petam vnde ipſis conſtet hunc ipſum Textum eſſe canonicum? hic hærent.

Hinc ſequitur, ſtultum, & ſuæ ſalutis oblitum eum eſſe, qui apud eos perſiſtit, cum in vlla eorum ſecta non ſit certa ſalus, non certa fides, ſed potius omnis incertitudo, & titubatio cerebri, nam ſine infallibili regula impoſſibile eſt dari certitudinem fidei Diuinæ, cui nequit ſubeſſe falſum, cum ergo ipſi fateri debeant ſe non eſſe infallibiles in exponenda ſcriptura, ſequitur apud eos de ſenſu vel gloſsa ſcripturæ in rebus controuerſis non dari certitudinem fidei, & proinde nec veram ſalutem; ergo laborat capitis vertigine, qui propriæ animæ & æternæ ſalutis oblitus incertiſſimæ illi religioni ſe fidit.

DISTINCTIO IV.

De Regula credendi.

STatuta, & probata iam vera, viſibili, & infallibili Chriſti eccleſia, ſequitur iſta de regula credendi diſtinctio, cum præcedentibus neceſſario connexa, eſt autem regula, inſtrumentum, ſecundum quod, qui regulatim ducunt lineas, eas neceſſario ducunt rectas: vnde illa norma, quam, qui ſequuntur, non errant in credendo, dicitur regula credendi. Quamuis enim certitudo fidei ex ſola infallibili Dei authoritate eſſentialiter pendeat, doctrina tamen eiuſdem fidei, non immediate à Deo ad ſingulos credentes deſcendit, ſed mediante regula aliqua certa, eam aplicante, & proponente credituro; ſic ad Cornelium miſſus fuit D. Petrus Act. 10. ad Eunuchum Philippus: Act. 8. ad totum orbem Apoſtoli Matth. 28. & Marci 16. Moyſes populo Iſraeli Exodi 14. *Crediderunt Deo, & Moyſi ſeruo eius.* Ex quibus habetur, inter Deum & nos, neceſſariam eſſe aliquam viam, per quam doctrina illa infallibiliter credituris & fidelibus, innoteſcat, & vocatur regula infallibilis fidei, vt dixi, quæ ex parte obiecti per modum proponentis ſeu aplicantis ſe tenet; & de qua in ſequentibus agam, vnde ſit.

QVÆSTIO I.

Refertur, & refutatur Sectariorum credendi regula.

ARTICVLVS I.

Status controuerſiæ aperitur, & aduerſariorum ſententiæ recenſentur.

DVæ in orbe Chriſtiano ab initio eccleſiæ fuere grauiſſimæ quæſtiones, prima, an hæc, quæ traditur ſit ſacra ſcriptura? altera quomodo intelligenda? omnis vero ſcriptura eſt viſibile ſignum inuiſibilium conceptuum, qui ſunt in animo ſcribentis; vnde refertur ad ſignificatum, ſicut ſignum ad ſignatum, ſed ſcripturæ non ſic ineſt mens ſcribentis, vt albedo ineſt parieti, ſed ſicut ſignificatum in ſignificante. Conceptus autem, qui ſunt in mente ſcribentis relati ad ſcripturam, dicuntur ſenſus ſcripturæ, cum vero Deus per Verbum ſuum homini ſignificet arcana ſui intellectus, & placita ſuæ voluntatis. Magna eſt quæſtio de immediata ſignificatione, & veritate Sacri Textus, id eſt de mente Diuina, vt ſignificatur per Verbum, ſeu de ſenſu ſcripturæ. Quare non eſt dubium, quin Textus ſacer diſtinguatur realiter ab omnibus ſuis expoſitionibus quod hinc patet, cum bibliorum exſtent innumeri commentarij: de hoc ergo ſcripturæ ſenſu tot ac tam frequentia naſcuntur inter Chriſtianos diſſidia nec ceſſant, nec ceſſabunt vſque in finem de hac lite altercationes.

Quibus controuerſijs non obſtantibus, conueniunt tamen in aliquibus chriſtiani, primo vnanimiter omnes aſſerunt Verbum Dei ſcriptum eſſe certum, & infallibile. Secundo, nullus hominum ne Paulus quidem, neque Angelus de Cælo audiendus eſt, ſi proponat doctrinam contra Verbum Dei ſcrip-

ſcriptum, talis enim doctrina nequit eſſe vera, & veritas, veritati non poteſt eſſe contraria, tertio, nullus certo aſſequitur, verum ſcripturæ ſenſum, niſi interius illuſtratus & edoctus à Spiritu ſancto: ſed an ſinguli fidelium ſic illuſtrentur prudenter ambigitur, quarto omnibus & ſingulis in negotio fidei indubitanter credendum eſt, ſi non diſcordent à verbo Dei; cum igitur hoc verbum, eius expoſitio ac doctrina inde deriuata debeat certo proponi credituris per regulam aliquam certam, ad hanc eandem quatuor requiruntur; 1. vt ſit aliquid diſtinctum ab authoritate diuina, quia non ſe habet, vt 1. ratio credendi, ſed vt applicans illam. 2. vt infallibiliter aplicet, ita vt non poſſit ſubeſſe falſum dicto eius, quia alias non erit infallibilis regula 3. vt hanc authoritatem habeat permanenter, & ex aliqua certa promiſſione diuina, quia alias nec eſſe poterit regula, nec habere authoritatem, quarto debet eſſe generalis regula, omnibus communis, quia in hoc differt à proponente proximo, & hoc eſt intrinſecum huic regulæ, qua ſublata neceſſarium eſſet, vt quiſque iudicium ſuum, & opinionem ſequeretur.

Vbi aduerte, dupliciter conſiderari poſſe regulam fidei. nempe inanimem, quæ ſenſum explicare non poteſt; viuam, quæ loqui poſſit; p ima eſt duplex ſcilicet ſcriptura, & traditio, quibus adde definitiones eccleſiæ, aliaque, quæ concilijs Oecumenicis ſunt norma propoſita ad definiendum, vt dixi præcedenti diſtin. qu. 1. viua eſt ea, quam in credendo ſequi debent fideles v.g. vt habetur Deuter. 17. *Quando difficile, & ambiguum apud nos iudicium eſſe perſpicimus inter ſanguinem, & ſanguinem cauſam, & cauſam, lepram, & lepram.* Id eſt quando in rebus fidei oritur dubitatio, quomodo tunc procedent fideles? cuius inſtructionem ſequentur? cuius ſententiæ, vel definitionibus acquieſcent? ſtante enim duplici illa quæſtione ſuperius dicta de-

lit-

littera, & ſenſu litteræ prima lis eſſe poterit, an hic liber, vel caput ſit verbum Dei? & dato quod ſit, naſcitur altera grauiſſima quæſtio, an hic, vel ille ſit verus ſenſus illius, nec enim dubitatur ſit ne doctrina à Deo reuelata, vera? ſed an propoſita doctrina ſit à Deo reuelata, an conficta ab homine.

Ad eandem ſimiliter quæſtionem pertinet, quomodo, qui extra gremium eccleſiæ conſtitutus, cupit æternæ ſalutis doctrinam addiſcere, quomodo inquam eam certo aſſequi poterit? quis illi eam certo, & ſine erroris periculo proponet? quænam illi erit infallibilis norma, cui tuto & ſecure aſſenſum circa propoſitam doctrinam præbeat? hanc autem normam, quam & fideles eccleſiæ ſequi, & accedentes ad Deum, eiuſque eccleſiam, audire tenentur, merito vocamus regulam credendi, quæ nauigantibus inter ſcopulos, & Syrtes errorum ſit pharus, ne ſint paruuli fluctuantes, & circũferantur omni vento doctrinæ, quæ ſit lucerna in caliginoſo loco, luna perfecta in nocte huius ſæculi, & teſtis fidelis in Cœlo militantis eccleſiæ.

Ex modernis ergo ſectarijs in multa fruſta ſectis, aliqui dicunt hanc normam, & regulam credendi eſſe particulare cuiuſque examen, quo ſinguli, & ſingulæ ſine vllo alio duce, vel doctore, ſed ſolo ſuo iudicio ſcrutantur ſcripturas; & ex illis conſulunt Spiritum Sanctum de vero illarum ſenſu, alij dicunt eſſe ipſum nudum ſcripturæ corticem, omnibus, vt aiunt patentem, clarum, euidentem, nullis obſcuritatibus, nulla difficultate implexum. alij dicunt eſſe ſpiritum priuatum, qui teſtificatur ipſis, quod ſint filij Dei, cuius vnctio docet eos de omnibus; ita ſcilicet vt iſte ſpiritus pro tribunali ſedens in cerebro cuiuſque ſutoris, textoris, mulierculæ iudicet omnia myſteria, omnes definitiones, totam denique eccleſiã Dei. id ipſum ſequitur ex prima, & ſecunda ſententia, quam nunc impugnare aggredior, & ſit.

ARTICVLVS II.

Statuere priuatum cuiuſque ſcrutinium, & iudicium pro regula credendi, eſt omnem orthodoxæ veritati inueniendæ, viam occludere.

VT id probem, ſtatuo ipſa ſectariorum principia, ex quibus manifeſte hoc ſequitur primo ergo aiunt, ſingulos Chriſtianos poſſe errare in fide, iuxta illud pſal. 115. *Omnis homo mendax.* Item concilia Oecamenica quantumuis legitime celebrata, & approbata, eſſe ſimiliter errori obnoxia, ſecundo dicunt ſingulos Chriſtianos, ſi vt decet inuocent Spiritum Sanctum, poſſe ſine errore, ex verbo Dei ſcripto, quorumcumque hominum, etiam conciliorum generalium doctrinam expendere, tertio fatentur ſingulos homines, poſſe deſeri à Spiritu ſàcto, quia fieri poteſt, vt aliquis non vt decet illum inuocet, & ſic omnes, & ſingulos poſſe ab eodem ſpiritu deſtitui, adeoque diſcordare à verbo Dei, & errare in fide.

Vbi ego vnicam hanc ex prolegomenis primæ partis ſtatuo propoſitionem nempe, *Chriſtiana fides excludit omnem dubitationem*. ratio eſt quia ex natura ſua eſt certa, & infallibilis, eo quod infallibili innitatur fundamento, vt ibidem oſtendi. nunc probo aſſertionem aſſumptam, & ſit.

Prima ratio ad hominem.

REgula fidei debet eſſe certa & infallibilis: Sed particulare cuiuſque ſcrutinium, quo ſinguli & ſingulæ ſcrutantur ſcripturas, non eſt certum, & infallibile: ergo hoc particulare ſcrutinium nequit eſſe regula fidei!maior probatur, nam fides debet excludere omnem dubitationem, eo quod pe-tat eſſe firmiter vera, & infallibiliter certa: ergo regu-

regula quam fideles in credendo ſequuntur, dum aſſentiuntur doctrinæ reuelatæ, debet eſſe infallibilis, ne ipſi eam ſequendo errent. Minor etiam probatur, ex principijs aduerſariorum. Nam ſinguli chriſtiani, imo & concilia Oecumenica ſecundum ſectarios errare poſſunt: ergo ſingulorum Chriſtianorum particulare examen, & iudicium eſt errori, & falſitati obnoxium. Adeoque non poteſt eſſe certa & infallibilis regula credendi: ergo nullus chriſtianus in materia fidei vlli mortalium, nequidem ipſis Sectarijs ſimul & ſeorſim ſumptis debet credere, ratio eſt quia ex principijs aduerſariorum, dictum omnium Chriſtianorum in materia fidei eſt fallibile, & erroneum: ergo ſimiliter dictum omnium ſectariorum ſimul, & ſeorſim ſumptorum eſt erroneum & fallibile; ergo etiam nullus Sectarius ſibi ipſi, aut ſuo particulari ſcripturæ ſcrutinio credere debet, ergo ſimiliter nullus mortalium poteſt vnquã certo & infallibiliter aſſequi vel veram fidem, vel veram ſcripturam, aut verum ſcripturæ ſenſum, cum omnes omnino mortales ſecundum aduerſarios ſint errori, & deceptioni obnoxij; ergo tandem nulla patet via humano generi certo perueniendi ad veram Chriſti eccleſiam, & ad eius doctrinam, vel acquirendi vnquam ſalutem æternam. Nec valet dicere, quod ſi quis inuocet, vt decet Spiritum Sanctum certo ſit aſſecuturus doctrinam reuelatam. Nam ſecundum Sectarios poteſt contingere, quod non inuocauerit, vt decuit, adeoque poteſt deſeri à Spiritu Sancto, & conſequenter errare in fide; ergo denique particulare examen eſt deceptioni obnoxium, adeoque non poteſt eſſe certa credendi regula.

Secunda ratio ducens Sectarios ad impoſſibile.

VNica regula diſcernendi Scripturam Sacram à prophana, & verum illius eruendi ſenſum,

ex principijs Sectariorum, eſt particulare cuiuslibet ſcrutinium & examen, ergo nullus Chriſtianus, vel Cathecumenus vlli mortalium debet credere, hanc eſſe Scripturam Sacram, vel hunc eſſe verum eius ſenſum, niſi prius ipſemet id ſcrutetur per ſuum particulare examen: ſubſumo ſed omnium chriſtianorum particulare ſcrutinium, & examen ſecundum Sectarios, eſt fallibile: ergo omnes chriſtiani in diſcernenda ſcriptura ſacra, à prophana, vel in aſſequendo legitimo illius ſenſu, errare poſſunt, ſicut ſecundum eos, errauit Antiochena, Alexandrina, ac Romana eccleſia. Duo in vtroque Enthymemate includuntur, primum eſt, cuiuslibet hominis in diſcernenda ſacra Scriptura, indagandoque vero eius ſenſu, onus: ſecundum, eſt eiuſdem indaginis incertitudo.

Quam ſit intolerabile, imo, & inſuperabile hoc onus, ſic oſtendo, nullus Chriſtianus certo ſcire poteſt, illos libros, qui in Biblijs recenſentur, eſſe dictatos à Spiritu ſancto, aut hunc eſſe legitimum eorum ſenſum, quoad articulos neceſſario credendos, niſi prius per particulare ſuum examen, & ſcrutinium, conſululto Spiritu ſancto, examinet apud ſe, ſit ne illa ſcriptura à Spiritu ſancto dictata, nec ne? ergo omnes Chriſtiani ſub pæna mortis æternæ, tenentur per tale examen, hanc maximam quæſtionem determinare. Patet, nam cum ſecundum Sectarios nulla alia regula ſit conceſſa chriſtianis, præter particulare cuiuſque examen, cumque fides ſit neceſſaria ad euitandam damnationem æternam, euidenter ſequitur, ſingulos Chriſtianos debere, per particulare ſuum ſcrutinium, examinare, vtrum libri, in Biblijs contenti, ſint à Spiritu ſancto dictati, nec ne? alias ex ſcriptura intelligere nequeunt, quid credere teneantur, ſi ſit dubium, num libri in eadem ſcriptura contenti, ſint ſacri, nec ne? nunc ſic, ergo ſinguli Chriſtiani ſub pæna damnationis æternæ, tenentur legere omnes, & ſingulos vete-

veteris, ac noui teſtamentis libros, percurrere omnes, & ſingulas eiuſdem ſcripturæ in omnia idiomata, verſiones: ad hanc autem diligentiam bene adhibendam, oportet perfecte callere, omnes illas linguas ex quibus, & in quas facta eſt illa verſio, nempe Hæbraicam, Caldaicam, Ægyptiacam, Græcam, Latinam, Illyricam, Anglicam, Gallicam, & cęteras linguas, & has omnes ad inuicem conferre, vt noſcatur, quæ ſit perfectior, purior, & integrior verſio, ac tandem definire Canonem librorum, & emendatiſſimam omnium verſionem, vt Catechumeni, & fideles depromant ex illa, omnes fidei articulos, neceſſario credendos.

Peracto tandem hoc immenſo labore, & non niſi multis annorum luſtris, exantlando, adhuc remanet examinandum, quid explicite credere, & obſeruare debent credituri, ad hoc autem examen debite faciendum, neceſſe eſt redigere in catalogum, ſpeciales articulos de neceſſitate ſalutis credendos: vt autem fiat præfatus catalogus, oportet indagare verum, & genuinum ſcripturæ ſenſum, ad hoc vt articuli deprompti, & propoſiti inueniantur conformes eidem ſenſui, ad aſſequendum vero hunc ſenſum, neceſſe eſt percurrere omnes ſcripturæ expoſitiones, tam modernas, quam veteres, legendi igitur erunt patres primitiuæ eccleſiæ ſcilicet Baſilius, Chryſoſtomus, Athanaſius, Auguſtinus, Hieronymus, Ambroſius: euoluendi erunt omnes illi commantarij, tum à Romanis Catholicis, tum à Sectarijs ipſis editi, haſque omnes expoſitiones ad inuicem ſimiliter conferre, vt verus ſcripturæ ſenſus eruatur. Hoc onus, hic labor, hoc opus particularis ſcrutinij. Quid interim fiet de pueris, mulieribus, ruſticis, opificibus, mutis, & cæcis, quibus vel per imperitiam, vel per alia impedimenta, non licet tantos adire labores, tam vaſtam, & immenſam ſubire prouinciam: ergo de horum omnium ſalute actum eſt; nam cum ſine fide nemo poſſit ſaluari, nec

fides iſta poſſit acquiri, ſecundum Sectarios, niſi per particulare ſcrutinium, quo quiſque ſcrutari debet ſcripturas, cum prædicti hoc ſcrutinium facere nequeant, iam nihil aliud eis ſupereſt, niſi de ſalute deſperare: ergo nulli alteri patet aditus ad æternam ſalutem, niſi illis, qui vſque ad ſenectam, & ſenium, per tot annorum curricula, prædictum onus axhaurire queunt

Nec valet dicere, quod vel ſcriptura ſit ex ſe clara, & euidens, vel quod præfati pueri, mulieres ruſtici poſſint audire prædicantes, miniſtros, & alios doctores. Nam contra primum de ſcriptura, ſat dixi prima parte, diſt. 1. per totam, & in ſequentibus articulis alia ſubiungam. Contra ſecundum eſt, quod iuxta aduerſariorum principia, nulli mortalium in materia fidei credendum ſit, niſi prius præcedat particulare cuiuſque examen, an propoſita doctrina concordet cum Verbo Dei, vt autem ſciatur concordare, totus ſupradictus labor eſt exantlandus.

Sed finito toto illo onere, & labore, adhuc reſtat graue nimis malum, nempe totius expletæ indaginis, & ſcrutinij incertitudo, ac dubietas: nam ſecundum Sectarios, nemo poteſt ſcire, an allata ſcriptura ſit à Deo dictata, niſi prius perticulare ſcrutinium eam examinet, inuocando, vti decet, Spiritum ſanctum, & eum conſulendo, an illa ſit ſacra, & canonica, & an doctrina propoſita ei concordet? Sed poteſt fieri, quod quis in progreſſu totius examinis non inuocauerit, vt decuit, Spiritum ſanctum, neque eum recte conſuluerit, adeoque poteſt ab illo deſeri, & ſic errare in fide, vt de Eccleſia Romana, Antiochena, Alexandrina tenent Sectarij: ergo poteſt totum ipſius examen, & ſcrutinium errare. Ergo ſimiliter poteſt fieri, vt poſt impenſum in hac indagine tot annorum laborem, nihil ei ſuperſit, præter dubium, incertum, & erroneum iudicium de toto ſcripturæ Canone, expoſitione,

do3

doctrina. Minor patet ex ipſis Sectariorum principijs, ideo enim docent omnes homines, imo, & concilia Oecumenica, ac totam viſibilem eccleſiam errare poſſe, ac defacto erraſſe, quia fieri poteſt, quod non inuocent, vti decet, Spiritum ſanctum, (ſicut ſecundum eos non bene inuocarunt ſupradictæ eccleſiæ) & hi poſſunt ab illo deſeri, adeoque errare in fide.

Nec obſtat illud, quod aliqui Sectarij dicunt, quod de quibuſdam libris conſtet ex omnium ſententia, nam illi omnes errare poſſunt, ex principijs aduerſariorum, cum omnes homines ſint fallibiles, per eos, nec omnes conueniunt de numero, editionibus, verſionibus, aut ſenſu ſcripturæ: plures enim admittunt catholici libros, pauciores Sectarij: ergo à primo ad vltimum, onus particularis examinis, homini quantumuis docto, eſt intolerabile, & pueris, ruſticis, mulieribus, rudibus, ignaris, opificibus impoſſibile: deinde hoc ipſo onere, & examine admiſſo, remanet dubium, & anxietas, an in ipſo errauerint: ergo ſola ipſis reſtat incertitudo, & ambiguitas: atque adeo ſtatuere particulare, cuiuſque examen pro regula fidei, eſt intolerabile onus ſubire, & omnem certitudinem acquirendi vel ſacram doctrinam, vel æternam ſalutem tollere.

Vltima ratio ducens Sectarios in confuſionem Babilonicam, oſtendenſque eos præcipitari in atheiſmum.

NVlla eſt alia credendi regula, ſecundum Sectarios præter particulare cuiuſque ſcrutinium, quo, conſulto Spiritu ſancto, quilibet, & qualibet ſcrutatur ſcripturas: ergo nulla eſt publica authoritas, aut iuriſdictio inter Chriſtianos docendi, proponendi Verbum Dei, controuerſias iudicandi, er-

go eiuſmodi iuriſdictio ac poteſtas in rebus fidei examinandis, ac decidendis ſpectat ad ſingulos, & ſingulas ad lanificos, ſutores, mulierculas, cauponarias, lotrices &c. ergo proſcribendi ſunt omnes miniſtelli, prædicantes; ſuperintendentes, Pſeudo-Epiſcopi. Delendus ex articulis reformationis Anglicanæ primatus Eccleſiaſticus Regis: ergo nec vxor marito, nec ancilla, hero, non filij parentibus non plebs ſuo miniſtro in rebus fidei vel Religionis obedire debet: ergo quicumque apud Sectarios prædicandi onus exercet, debet male mulctari, & extra eorum Synagogas fieri, cum ſinguli, & ſingulæ per particulare examen ſit ſibi miniſter, doctor, eccleſia, Synagoga: ergo ſimiliter, & recte proſcribent á ſe totam excucullatorum monachorum, & Apoſtatarum colluuiem, ex quibus ſuos miniſtellos aſſumunt: ergo tota prætenta reformatio erit, & eſt inſtar confuſionis Babylonicæ, in qua nullus ordo, nulla ſubordinatio, nullum regimen, nulla authoritas, ſed in qua regnent Sectarum diuiſiones, ſententiarum diuerſitates, ac ſempiternus tandem horror inhabitet, & ita eſſe apud modernos Sectarios, luce meridiana clarius conſtat.

Sed ſiſtamus parum, & videbimus præcipitem iſtius regulæ vertiginem. Quod enim ſcriptura ſit Verbum Dei, quod hic ſit verus eiuſdem verbi ſenſus, quod hæc doctrina cum iſto verbo concordet, quod hæc, & iſta myſteria ſint de neceſſitate ſalutis credenda, nulli mortalium creditur, ſecundum Sectarios, ſed ſoli cuiuſque particulari examini, quo ſinguli, & ſingulæ conſulto Spiritu ſancto ſcrutantur ſcripturas, & examinant, an talis doctrina concordet cum ſacro Textu; ſed cum ſecundum eoſdem Sectarios, præfatum examen ſit fallibile, & errori obnoxium, incertum erit, ex eorundem principijs, an prædicta omnia bene diſcernant: ergo incertum eſt iuxta hanc regulam, quæ ſecundum Sectarios eſt fallibilis, an ſcriptura ſit a Deo dictata, quis ſit verus

rus illius ſenſus, præſertim in articulis neceſſario credendis, quæ myſteria ſpectent ad fidem Diuinam; ergo iuxta eandem, dubium eſt an detur myſterium Trinitatis, Incarnationis, an ſit futura reſurrectio mortuorum, an extremum iudicium, an detur Paradiſus, Gloria æterna, vel Infernus, quia horum omnium certa vel incerta cognitio ſecundum Sectarios pendet à particulari, cuiuſque ſcrutinio, quod falli, & errare poteſt: ergo iſta regula præcludit omnem viam aſſequendæ doctrinæ reuelatæ, vel acquirendæ ſalutis æternæ, quia vbi non eſt certa cognitio, ibi non poteſt eſſe certa fides, vbi autem deeſt certa, & infallibilis fides, ſalus eſt impoſſibilis: ergo tandem ex iſta regula, nullam firmam certitudinem habent Sectarij, vel de Verbo Dei, vel de ſacra doctrina, vel de vllo myſterio fidei: ergo tandem iſta regula præcipitat eoſdem Sectarios in atheiſmum.

ARTICVLVS III.

Si nuda, & ſola ſcriptura ſtatuatur pro regula credendi, nullus poteſt aſſequi ſalutem, nulla vnquam decidi controuerſia, nihil deniq; credendum erit.

FVſe id conſtat tum ex prima parte diſt. 1. per totam, tum etiam ex articulo præcedenti, vnde recolligendo breuiter, quæ ibidem dicta ſunt probatur vlterius, & ſit.

Prima Ratio ducens ad impoſſibile.

NEquit gentilis veritatem Chriſtianam agnoſcere ex ſacris libris de lege ordinaria, non enim hi libri ſunt tam euidentes reſpectu Ethnici, vt humano modo, ſtatim conuincant; ſi enim ego

dixe-

dixero eos eſſe diuinos, ille negabit, & petet quomodo id probem, ſi dixero per inſtinctum internum, ridebit, & tantundem Turcæ dicent de Alcorano, & Hebræi de Talmud: ergo ſi nuda, & ſola ſcriptura eſt regula credendi, impoſſibile eſt perſuadere Chriſtianam religionem gentilibus, & infidelibus. Item dato quod eiuſmodi infideles velint admittere ſcripturam, ponamus, quod antequam eam admitterent, mouerent has quæſtiones, vtrum exiſtat Deus? An exſtiterint prophetæ? an Deo dictante ſcripſerint vetus teſtamentum? quo idiomate ſcripſerunt? quis tranſtulit in noſtra vulgaria idiomata? an in ea tranſlatione peccatum ſit ex malitia, vel ex ignorantia? ſit alius infidelis v.g. Hebræus, qui proponat ſequentes, an exſtiterit homo, qui dicitur Ieſus Chriſtus? an hic homo fuerit miſsus à Deo? an Saluator mundi, vt dicunt Chriſtiani? an exſtiterint Apoſtoli, & Euangeliſtæ? an ſcripſerint dictante Deo? quo idiomate ſcripſerunt? quis tranſtulit illorum ſcripta? an in illa translatione peccatum ſit ex malitia, vel ignorantia? an codex vtriuſque teſtamenti ſit emendatus, & per omnia reſpondeat primo exemplari?

Nunc ſi ſcriptura ſola ſit regula, ſecluſa quacumque alia infallibili authoritate docendi, & proponendi, dicat quæſo Sectarius quo infallibili fundamento reſpondebit Pagano proponenti primas quæſtiones? quo item certo fundamento reſpondebit Iudæo proponenti ſecundas, & neganti Euangelium? quæſtio enim de legitimo ſcripturæ Canone inuoluit omnes prædictas quæſtiones, quomodo igitur, ſi nulla alia præter nudam ſcripturam, admittatur credendi regula, doctrina ſalutis proponetur infidelibus? habet enim Chriſtiana Religio, ex inſtitutione Chriſti, modum, quo infideles conuertat, alioquin eſſet rei Chriſtianæ male prouiſum, & infidelium error eſſet inculpatus, nec Deus optaret omnes homines ſaluos fieri, cum autem infideles Pagani ſcripturas non admittant, certe ſcripturis in eos pugnare

eſſet fruſtraneum, proponeretur quidem ipſis doctrina credenda, ſed eos ad credendum obligari, aliunde oſtendi deberet: quod ſi ſola ſcriptura eſſet credendi regula, iam ſalus infidelium eſſet impoſſibilis; cum enim doctrina, & media ſalutis ſecundum Sectarios contineantur in ſacro Textu nude ſumpto, ſi non perſuadeatur prius infidelibus hunc ipſum textum eſſe à Deo vero reuelatum, & per Ieſum Chriſtum Saluatorem mundi, humano generi propoſitum, certe impoſſibile eſt vt ijdem infideles inducantur credere, quidquam in ſcriptura contentum, eſſe myſterium fidei: nam nec ipſi aduerſarij ſunt magis certi, nec alios certiores facere poſſunt de Trinitate, Incarnatione, Paradiſo, Reſurrectione mortuorum, quam an ſcriptura ſit à Deo reuelata: quod ſi de hoc vltimo infallibilem certitudinem dare nequeant, nec eam dare poterunt de prædictis myſterijs.

Quid nunc fiet de ſalute generis humani ſi ſola ſcriptura ſit adæquata credendi regula? ſcilicet clauſa eſt ſalutis ianua omnibus omnino hominibus iuxta hanc viam, donec prius eis conſtet, codicem Bibliorum eſſe à Deo dictatum; quomodo ergo reddent Sectarij ſuos Catechumenos infallibiliter certos, hunc codicem eſſe Diuinum, adæquate, & ſufficenter continere omnia myſteria? Si enim recurrant ad claritatem, & euidentiam, falſum eſt ſcripturam eſſe ita euidentem, vt omnium oculis ſuos abſtruſos ſenſus aperiat ſine vllo doctore, vel magiſtro, nam Turcæ legunt ſcripturas, legunt, & Hebræi, nec tamen inde inducuntur credere myſterium Trinitatis, Incarnationis &c. quod autem dicat Grotius tract. de veritate Chriſtianæ Religionis, ad diſcercendum ſacros libros, hoc argumentum ſufficere, nempe ex conſenſu veterum, & celebrium authorum, eos habitos fuiſſe pro talibus, & poſitiue cenſendos eſſe eorum ſcriptorum, quorum nomina præ figuntur cuilibet libro, & qui hoc negaret, teneri

neri dare rationem oppoſitam quare id neget. Contra hoc facit primo, quod ſaltem hinc ſequitur ſolam ſcripturam non ſufficere ad dandum teſtimoniũ de ſuo ipſius Canone, & integritate, ſed præterea aliquid aliud diſtinctum requiri. Contra ſecundo nam hoc argumentum Grotij non ſufficit apud ſectam, quam ipſe profitebatur, ad probandum libros Machabæorum, Tobiæ, Iudith, Eccleſiaſtici, Sapientiæ eſſe Diuinos: contra 3. hic modus procedendi non magis probat veritatem ſcripturæ, quam Alcorani, Talmud, vel operum Senecæ, in promptu enim Turcæ, & Hebræi haberent reſponſum Grotiji, ſcilicet qui negat Alcoranum vel Talmud eſſe libros Diuinos, aut eorum authorum, quorum nomina eis præfiguntur, teneri dare rationem cur id neget, vt enim quis inducatur prudenter aliquid credere debet argumentis aliquibus prius conuinci. Tandem iuxta principia religionis, quam ſequebatur Grotius huic ipſi argumento, ſeu dicto veterum potuit ſubeſſe falſum, cum ipſemet lib. 6. Iſtius operis dicat temporibus Heraclij reductum fuiſſe in eccleſiam, Iudaiſmum, vnde impie ſentit eam erraſſe. Iuxta quam impiam aſſertionem dictum veterum non poſſet eſſe infallibile fundamentum credendi. Si autem ſectarij recurrant ad dictum eccleſiæ, peto 1. vel hoc dictum eſt infallibilis credendi regula pro diſcernendo ſacro textu, vel non? Si non, cur ergo huc recurrunt? ſi primum, ergo ſola ſcriptura non eſt adæquata credendi regula. Rurſus hoc dictum ſecundum aduerſarios non valet pro libris Machabæorum, Tobiæ, Iudith, quomodo ergo valebit pro reliqua ſcriptura? deinde ſi recurrant ad ipſum ſcripturæ corticem, ita vt certitudo de ſcripturæ Canone vel ſenſu non habeatur aliunde quam ex ipſa ſcriptura, ſi infideles non poſſint per ſeipſos hanc certitudinem acquirere, interim ſalus æterna redditur eis impoſſibilis. Quis tandem ipſum ſcripturæ ſenſum infallibiliter exponet, & credendum certo proponet?

ſi id

ſi id debet fieri per examen ipſius ſcripturæ, ergo vt id recte fiat, totus labor artic. præced. relatus debet exantlari legendo omnes verſiones, textus, expoſitiones, originalia, & hæc omnia ad inuicem conferendo. Quid interim fiet, pueris, rudibus, mulieribus, Gentilibus, ergo horum omnium ſalus eſt deſperata.

Secunda Ratio ex impoſſibilitate decidendi controuerſias.

EX dictis conſtat quæſtiones de ſcripturæ littera, Canone, integritate, verſione ex ipſa ſcriptura nullo modo ſolui poſſe; multo minus reconditos ſcripturæ ſenſus per ſe ſcriptura declarat, legunt eam Hebræi, legerunt olim Manichæi, Ariani, Neſtoriani, de ſenſu tamen diſceptabant, vt hodie inter Orthodoxos, & Heterodoxos acerrime diſceptatur, cur quæſo ſi ſcriptura eſſet clara, & euidens? exemplum habemus præmanibus in textu, *Hoc eſt Corpus meum*. Qui varie à Sectarijs exponitur. Lutherus ait prædicta verba intelligi in ſenſu reali; Caluinus vero in ſenſu figuratiuo. Carolſtadius dicit particulum *hoc* referri ad Chriſtum, vt in cæna ſedentem: Zuinglius ait particulam *eſt*, importare idem ac *Significat*. Tandem Iacobus Gordonus relatus 1.p. aſſerit inueniri apud Sectarios ducentas expoſitiones diuerſas, præfati textus. Quis nunc in tanta ſententiarum diuerſitate erit Iudex? quæ regula ſequenda? Scriptura hic nec regula, nec iudex eſſe poteſt. Cum nullibi dicat illum textum ſic vel ſic debere intelligi. Vel oſtendant aduerſarij vbi litem hanc dirimat. Item de integro ſcripturæ Canone lis eſt inter Catholicos, & Sectarios, an hi vel illi libri ſint Canonici v.g. libri Machabæorum, Tobiæ, Iudith &c. ſcriptura autem nullibi dicit qui ſint Canonici, qui vero Apocryphi: ergo Canonem, & integritatem ſcripturæ, ex ipſa ſcriptura diſcernere eſt impoſſibile: deinde ſi ſcriptura eſt adeo clara vt

ex-

expoſitore non egeat cur Sectarij ſe inuicem tam-dirum in modum lacerant & mordent? cur in tot ſectas diuiduntur? cur mutuo ſe vocant hæreticos?

Præterea inter eccleſiam, & Arianos olim orta fuit difficultas de ſenſu ſcripturæ, quid ſignificaret hic textus Ioan.10. *Ego, & pater vnum ſumus.* An ſcilicet ipſe, & pater vnum ſint realiter, an autem moraliter, Ario tenente, quod tantum moraliter ſint vnum. Deinde inter Catholicos Romanos, & Sectarios controuertitur de hoc textu Matth.16. *Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.* An intelligatur de viſibili, an autem inuiſibili eccleſia, tandem quid ſignificet ibi *Petra.* Hic iterum ſcriptura nihil dicit, ſed relinquit partes in controuerſia: ergo ſine magiſtro, & interprete, non poſſumus aſſequi verum ſcripturæ ſenſum, vt bene arguit D. Auguſtinus lib. de vtilitate credendi cap.7. *Nulla imbutus diſciplina Terentium Maurum ſine magiſtro attingere non auderes. Tu in eos libros, qui quoquomodo ſe habent, ſancti tamen, diuinarumque rerum pleni, prope totius humani generis confeſſione diffamantur ſine duce irruis, & de his ſine præceptore audes ferre ſententiam?* Arguit à minori ad maius, ſi enim humanas diſciplinas grammaticam, philoſophiam, mathematicam ſine magiſtro diſcere non poſſumus, quomodo abſtruſos ſcripturæ ſenſus per nos ipſos aſſequemur? ſi compoſitionem continui, condenſationis, & rarefactionis naturam, fluxus, & refluxus maris, ventorumque cauſas ignoramus, an recondita ſacræ paginæ myſteria, ſine Doctore per nos ſolos poterimus acquirere? hic iterum deſperata eſt via ſalutis pro rudibus, pueris, ruſticis, mulieribus. Hic impoſſibilis eſt via veritatis Orthodoxæ Turcis, Hebræis Paganis, ſi enim nuda ſcriptura ſit regula, & Iudex omnium quæſtionum tam de littera, quam de ſenſu iam iſtis omnibus occluſa eſt ſalus æterna, cum has quæſtiones per ſeipſos diſſoluere nequeant.

De-

Deinde cum in ſcriptura non reperiatur niſi littera, & ſenſus, peto vtrum ſcriptura ſit regula & iudex ſecundum litteram, vel ſecundum ſenſum vel ſecundum vtrumque? non primum, quia ex ſecunda ad Corinth.3. *littera occidit*. Ideſt ducit in errores, vt patet in Hebræis, qui ſequentes litteram veteris teſtamenti, ruunt in tot errores. Patet item in omnibus hæreſiarchis, qui ob malum intellectum litterę, tam fęde errarunt, vt innuit D. Auguſt. Epiſt. 222. Ad conſent. *Omnes Hæretici, qui ſcripturas in authoritate recipiunt, ipſas ſibi videntur Sectari cum ſuos potius ſectentur errores, ac per hoc, non quod eas contemnant, ſed quod eas non intelligunt, hæretici ſunt*. Et tract. 18. in Ioan. inquit. *Neque enim natæ ſunt hæreſes, & quædam dogmata peruerſitatis illaqueantia animas, & in profundum præcipitantia niſi dum ſcripturæ bonæ, intelligantur, non bene, & quod in eis non bene intelligitur, etiam temere, & audaciter aſſeritur*. Nec ſcriptura poteſt dici regula, & iudex ſecundum ſenſum, quia ſubiectum controuerſiæ ſæpe eſt ipſe ſenſus, vt dum diſputamus de ſenſu horum verborum *Hoc eſt Corpus meum*. Nec item eſt iudex ſecundum litteram, & ſenſum ſimul, quia ſubinde diſputatur an littera huius libri v. g. Tobiæ ſit à Deo reuelata? & ſuppoſito quod ſic, quæri poteſt quis ſit ſenſus? quæ bina quæſtio non poteſt reſolui vel ex littera, vel ex ſenſu: ergo ſtatuere nudam ſcripturam pro regula eſt omnem omnino modum tollere quo vel vnquam decidantur controuerſiæ, vel Chriſtiani concilientur in vnum.

Vltima Ratio oſtendens ex hac regula credendi ſequi, nihil omnino credendum eſſe.

HOc ita probo ſit difficultas de articulo aliquo nuſquam in ſcriptura contento v.g. an tot ſint libri Canonici? An hi ipſi ſint incorrupti? an hic liber ſit reuelatus? quis ſit verus horum librorum ſen-

ſenſus in locis controuerſis ? ſi autem horum articulorum iudex, & regula deciſiua ſtatuatur ſola ipſa ſcriptura, nihil horum omnium credendum erit:nam hos eſſe libros Canonicos, hunc textum eſſe à Deo dictatum,hunc eſſe verum ſcripturæ ſenſum ſcriptura non dicit peto vbi id dicat Geneſis ? vbi Euangelia? quo item ſcripturæ loco dicitur,quod ipſa ſcriptura ſit legitime translata,ſit incorrupta,faciat hunc, vel illum ſenſum? nullibi, cum ergo in prædictis grauiſſimis quæſtionibus omnia fidei myſteria contineantur iuxta Sectariorum principia, & iuxta eoldē nihil ſit credendum, niſi quod in ſcriptura habetur, cum illas quæſtiones non reſoluat, nihil omnino credendum erit. Vt ſic probo, ſcripturam eſſe Verbum Dei, hunc eſſe legitimum eius ſenſum in ijs, quę neceſſario ſunt credenda, tam eſt myſterium fidei, quam quiquid in ipſa continetur,ſed ſcripturam eſſe Verbum Dei, hunc vel illum eſſe verum ipſius ſenſum, ipſa ſcriptura non dicit: ergo ſi nihil ſit credendum ſecundum Sectarios, niſi quod eſt in ſcriptura, & prædictas quæſtiones ipſa per ſe non declaret, iam iuxta iſtum dicendi modum Sectariorum, ipſa ſcriptura non debet credi eſſe Diuina: ſed ſi hæc non debet credi, nec etiam iuxta eundem modum debet credi quidquam in illa contentum, ſi enim continens ipſum non erit de fide, nec etiam contentum erit de fide; valedicunt ergo Sectarij per hanc ſuam regulam, myſterijs Trinitatis, Incarnationis &c. & conſequenter iſta regula, relinquit eos ſine vlla credendi regula,ſine fide, ſine religione.

AR-

ARTICVLVS IV.

Spiritum priuatum non eſſe regulam credendi, probant impoſturæ, contradictiones, & arrogantia eiuſdem ſpiritus.

DE hoc ſpiritu egi 1. p. diſt.1.quæſt.1.art.4. vbi oſtendi per iſtum ſpiritum committi manifeſtum circulum: hic alia ſubiungo: cum autem regula fidei ſit norma illa, quam fideles in credendo ſequuntur, debet eſſe nota, & proportionata cuiuslibet captui, hinc communiter dicitur, quod regula debet eſſe notior regulato, vnde hæc regula in caſu noſtro debet ſic ſe habere ad myſterium credendum, ſicut cęteris paribus, lux ſe habet ad obiectum viſibile, ita vt quemadmodum lux oſtendit obiectum, quod ab oculo videtur, ſic iſta regula oſtendat myſterium credendum, & dirigat intellectum credituri, hinc ſit.

Prima Ratio ex impoſturis, & incertitudine iſtius ſpiritus petita.

SVſpectum merito eſſe huiuſmodi Spiritum, & impoſturis obnoxium, monet ſcriptura Ezech. 13. verſ.3. *Væ prophetis inſipientibus, qui ſequuntur ſpiritum ſuum, & nihil vident, quaſi vulpes in deſertis prophetæ tui.* Vnde addit D.Ioannes in Epiſt.1.c.4. *Nolite omni Spiritui credere, ſed probate Spiritus, ſi ex Deo ſint, quoniam multi pſeudoprophetæ exierunt in mundum.* Et id verum eſſe conſtat, ex multis ſcripturæ locis, præſertim 3. Reg. cap.vltim. *Egrediar, & ero Spiritus mendax in ore omnium prophetarum eius.* Scilicet Achab. accedat nunc cathecumenus aliquis ad Sectarium hoc ſpiritu afflatum, volens inſtrui in fide Chriſti. Petat tradidit ne Deus media ſalutis humano generi? vtique inquiet Sectarius;

vnde conſtat, quæ,& qualia ſint illa media? ex ſcriptura ſacra, inquiet Sectarius. Eſt ne ſcriptura iſta reuelata à Deo inquiet Catechumenus? vtique inquiet Sectarius: vnde tibi conſtat? ex meo ſpiritu priuato: vnde conſtat hunc ſpiritum eſſe à Deo? ex ſcriptura ſacra. Et vnde conſtat ipſam ſcripturam eſſe ſacram? ex meo ſpiritu inquiet Sectarius. en circulum, quem ſat ſuperque oſtendi 1. parte ſupra citata. Pergit porro Cathecumenus,& admiſſo, quod illa ſit vera ſcriptura, cum videat inter Chriſtianos tot eſſe ſectas, petet Cathecumenus quæ ſecta ex omnibus eſt melior? mea inquiet Sectarius: quare? quia melius intelligimus, & exponimus ſcripturam: vnde conſtat? quia habemus Spiritum Domini, & vnctionem internam: vnde conſtat veſtram ſectam præ reliquis hoc ſpiritu agi? ex ſcriptura. Sed vbi quæſo ſcriptura dicit, vos potius inflari hoc ſpiritu, quam cæteros? hic ſpiritus reddit teſtimonium ſpiritui noſtro quod ſimus filij Dei. Sed vnde conſtat hoc teſtimonium reddi vobis potius, quam alijs? ex ſcriptura. En circulum, en labyrinthum, ex quo nunquam ſe explicabunt Sectarij. Quod ſi dicat Sectarius ſe nolle mentiri, & certum ſe eſſe de hoc ſpiritu: inſtabit Cathecumenus, eſt ne hoc tuum dictum ita infallibiliter verum, vt nulla ei poſſit ſubeſſe impoſtura, vel falſitas: reſponde nunc Catechiſta; habet Catechumenus Sectarium inter malleum, & incudem, ſi dicat ſe eſſe infallibilem: cur ergo, inquiet Cathecumenus, tota veſtra ſecta tenet Eccleſiam Romanam, item cæteras eccleſias, ac concilia Oecumenica erraſſe, & errare, omnes homines eſſe fallibiles: ſi vero fateatur Sectarius ſuum, & totius ſuæ ſectæ dictum eſſe fallibile: quid ergo, inquiet Catechumenus, vis vt ego committam negotium æternæ ſalutis tuo fallibili dicto? quid ſcio quod non ſis impoſtor, & vnus ex ijs, de quibus ſcriptura proxime citata loquatur? quo rationabili motiuo ducar credere, te tuamque Sectam habere potius Spiri-

tum Dei, quam alias ſectas?ergo tandem, vt tibi credam, inquiet Cathechumenus, tota quanta mea certitudo de myſterijs reuelatis, neceſſario credendis, de medijs ſalutis æternæ, pendet à tuo incertiſſimo dicto: ergo merito mihi ſuſpicari licet aliud ſub iſto occulto ſpiritu non latere præter fraudes, & impoſturas.

Secunda Ratio excontradictione iſtius Spiritus deſumpta.

PEnitius rem cupiens inſpicere Proſelytus noſter, aciem dirigit in populum reformatum, in quo cernit tot palantes ſectarum greges de ſummis religionis capitibus implacabiliter diſſidentes; hinc proteſtantes aſſerunt Regem Angliæ eſſe caput eccleſiæ Anglicanæ, negant Puritani dari vllū viſibile eccleſiæ caput; Lutherani cum ſuo Lutero admittunt realē præſentiam; negant hanc mordicus cum ſuo Caluino Caluiniſtæ, & ita his omnibus dictat eorum ſpiritus: item inter hos eſt quidam miniſtellus vxoratus, iſte ait bona opera eſſe neceſſaria ad ſalutem, & concupiſcentiam eſſe ſubiectam legi Dei; negat Berta eius vxor ſequens ſpiritum ſuum, eſſe neceſſaria ad ſalutem, aut concupiſcentiam eſſe legi ſubiectam. Videt hæc Cathecumenus, & miratur, quæritque à ſuo Cathechiſta vel loquitur Spiritus ſanctus in vnaquaque parte diſceptante, vel non? ſi loquitur in vnaquaque parte, ergo, inquiet Catechumenus, ſibi ipſi contradicit, & contradictoria dictat: nam Regem eſſe, & non eſſe caput eccleſiæ, bona opera eſſe, & non eſſe neceſſaria ad ſalutem, concupiſcentiam eſſe, & non eſſe ſubiectam legi Dei, & ſic de cæteris eorum diſſidijs, ſunt contradictorie oppoſita; quæ vt lumine naturæ notum eſt, ſimul vera eſſe nequeunt: ſi autem in alterutra tantum parte loquitur: quæret Catechumenus, vtra, alteri debeat obedire, an Lutheranis, Caluiniſtæ; an autem è contra? item in quę-

ſtione de concupiſcentia, an vxor marito, an maritus, vxori? cur Berta, Caio potius, quam Caius, Bertæ, cum in hoc genere paris ſint authoritatis? quis iam erit iudex? quis condemnabit Arium, Neſtorium, Euty chetem, Macedonium, qui cum cæteris omnibus hæreſiarchis, hunc ſibi ſpiritum vendicabant, iactabantque ſe ſcripturam ſecundum eundẽ exponere? cui, ex his, volens quis eccleſiæ Chriſti aſcribi, debet credere? certe huiuſmodi interrogationes ſunt adeo vrgentes, vt per illas vel debeat ſectarius fateri ſe eſſe hæreticum, vel negare ſuum ſpiritum, qui tam diſcordes, & incoſtantes reddit prætentos reformatos, teſte eorum Beza in Epiſtol. Theol. Epiſt. 1. vt ſint palantes omni vento doctrinæ. En confuſionem Babylonicam.

Tertia Ratio ex arrogantia iſtius ſpiritus prætendentis ſibi ſoli ſufficere ſine omni ſcriptura.

IN primis iſte ſpiritus ſibi ſoli credit, tenet nihil credendum, niſi quod ipſe ex ſacris litteris credendum proponit, adeoque tenet nulli hominum credendum eſſe, non eccleſiæ, non patribus, non concilijs, nullum tribunal in rebus fidei admittit, ſingulos, ſingulaſque de articulis, & altiſſimis fidei myſterijs iudicare poſſe prætendit: eleuat ſe ſupra Chriſtum, & Apoſtolos, qui vt fidem ſibi conciliarent, adhibuerunt teſtimonia operum, & miraculorum. Ioan. 5. verſ. 30. Ioan. 10. verſ. 38. Act. 5. verſ. 12. ſpiritus iſte ſine vllis ſignis, operibus, miraculis, vult temerario faſtu ſibi fidem haberi. Præterea prudentiorem legislatorem facit Moyſem, quam Chriſtum: Moyſes enim, quamuis Deus inuiſibiliter rexerit ſynagogam, & dederit ſcripturam in ceremonialibus, & legalibus valde apertam, inſtituit tamen tribunal fidei Deut. 17. Spiritus iſte impudentiſſime negat, quod Chriſtus vllum reliquerit tribunal. Moyſes cauſam Religionis ad ſacerdotes, & Pontifices

ſices referendam ordinauit: ſpiritus iſte vult Chriſtum cauſam hanc permittendam arbitrio cuiuslibet lanarij, ſutoris, mulierculæ. Moyſes reliquit ſuauiſſimam, & humanæ fragilitati proportionatam fidei regulam. Chriſtus ſecundum ſpiritum iſtum, confuſam religionis regulam reliquit; ſic ſpiritus iſte blaſphemat in Chriſti ſapientiam, & totam eccleſiæ Hierarchiam turbulentiſſimæ vulgi inſaniæ, ac libidini ſubijcit.

Neque hic ſubſiſtit veſania torui iſtius ſpiritus, quin exilium ipſimet ſcripturæ indicat. Si enim hic ſpiritus ſit regula credendi, & iudex, quid opus eſt ſcriptura? ſine hac enim, ſecundum ſectarios, ſufficit ſpiritus priuatus ad diſcernendam legitimam ſcripturam, à non legitima, ſufficit ad dignoſcendum, vtrum textus Hebraicus, vel Græcus ſit purior Latino: vtrum proteſtantium, an Catholicorum Biblia ſint minus corrupta: vtrum libri Machabæorum, Iudith, Tobiæ ſint Apocryphi, vel Canonici. Cum ergo ad credenda hæc myſteria ſecundum Sectarios ſufficiat ſolus ſpiritus priuatus, ſufficiet etiam ad credenda quæuis alia fidei myſteria. Nam prædicti articuli, tam ſunt myſteria fidei, quam Deum eſſe Trinum, & vnum, Verbum eſſe Incarnatum &c. ſed ad credendos præfatos articulos, ſufficit ſolus ſpiritus priuatus ſine vlla ſcriptura: ergo ſufficiet etiam ad alia credenda myſteria ſine recurſu ad eandem: ſicque ablegandа ſunt Biblia, & retinendus iſte ſpiritus vertiginis, qui ſane cum committat circulum, proponat contradictoria & quamplura contra rectam rationem, contra eccleſiæ iuriſdictionem, extollat ſe ſupra Chriſtum, & Apoſtolos, ſit in cauſa ſua iudex, & actor, velit haberi pro ſpiritu bono ſine ſignis, miraculis, vel operibus, merito dat anſam ſuſpicandi, talem ſpiritum, non eſſe à Deo ſed potius à diabolo.

QVÆSTIO II.

Quomodo ſe debeat habere regula credendi reſpectu generis humani.

ARTICVLVS I.

Scriptura Sacra requirit tum Diuinas traditiones pro diſcernendo authentico Canone, tum infallibilem interpretem pro eruendo legitimo ſenſu.

CVm ex dictis, duplex de ſacro Textu moueri ſoleat quæſtio, prima, vtrum hæc ſcriptura quę traditur, ſit a Deo reuelata? altera, ſuppoſito quod ſit, quomodo intelligenda? patet aperte, ipſam ſcripturam in præfatis quæſtionibus, non poſſe eſſe vel iudicem, vel regulam, vt probatum eſt tum in 1. part. diſtin. 1. tum quæſtione præced. vnde ſequitur abſoluta neceſſitas traditionis Diuinæ: vbi nota per traditiones, nos intelligere memoriam laudabilium conſuetudinum, proborum morum, piorum dogmatum, inſtructionum, operum, non vero prauæ conſuetudinis, abuſuum, exceſſuum, quam dolus, violentia, fraus introduxit, quæ vocari poteſt mala traditio. Vnde facile intelliges, de qua traditione loquatur Chriſtus Matth. 15. verſ. 3. *Quare vos tranſgredimini mandatum Dei propter traditionem veſtram?* Nempe per dolum, fraudem, violentiam, & nequitiam Phariſæorum introductam vt ibi ex textu patet.

Dari traditiones probatur ex ſcriptura, & exemplis.

PRimo ex veteri teſtamento pſalm. 77. verſic. 3. *Quanta audiuimus, & cognouimus ea, & patres noſtri*

noſtri narrauerunt nobis. verſ. 6. *quanta mandauit patribus noſtris, nota facere ea filijs ſuis; vt cognoſcat generatio altera.* Ergo præter verbum ſcriptum, datur verbum traditum. Imo ante, & poſt diluuium vſq; ad tempora Moyſis, doctrina reuelata, ſolo verbo tradito continebatur. Patet vlterius ex nouo Teſtamento Ioan. 16. verſ. 12. *Adhuc multa habeo dicere vobis, ſed nō poteſtis portare modo, cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* Qui locus oſtendit Apoſtolos præter Euangelium, multa præterea dictante Spiritu ſancto, didiciſſe, ac tradidiſſe ſuis poſteris vt patet. 2. ad Theſſal. 2. ver. 15 *Tenete traditiones, quas didiciſtis, ſiue per ſermonem, ſiue per Epiſtolam noſtram;* & 1. ad Corinth. 11. v. 24. *Cætera autem cum venero, diſponam* Quæ ibi diſpoſuerit Apoſtolus, nullibi inuenimus ſcriptum: ergo aliqua ſpectant ad myſteria fidei, & Dei cultum, quæ ſola traditione habentur, vt conſtat ex ſequentibus exemplis. Multa enim credimus fide Diuina, quæ nuſquam in ſcriptura inueniuntur expreſse, v. g. in vna eſsentia eſse tres Perſonas Diuinas. Filium eſse conſubſtantialem Patri, Spiritum ſanctum ex Patre, Filioque procedere, in Chriſto duas eſse naturas, & vnam perſonam; Beatam Virginem eſse Matrem Dei, quas veritates, qui negaret eſse de fide Diuína, hoc ipſo conſentiret cum Arianis, Sabellianis, Monothelitis, Neſtorianis, Damnatis à primitiua eccleſia, his adde nomina Trinitatis, Incarnationis, feſta Natiuitatis, Paſchatis, Aſcenſionis, Pentecoſtes, quæ omnia neceſſitatem traditionum oſtendunt: quod hac ratione rurſus probatur.

Vel admittendæ ſunt traditiones. Vel neganda eſt ſcriptura.

VT ſic probo, quod hæc ſcriptura, quam hodie habemus ſit Canonica; & à Deo reuelata, aliunde non habemus, quam ex traditione; er-

go ſi negatur traditio, neganda eſt ſcriptura, cum aliunde non conſtet eam eſſe canonicam, quam ex traditione: item tot eſse libros veteris teſtamenti tot capita in ſingulis libris, non plura, nec pauciora, quatuor eſse Euangelia, quatuordecim Epiſtolas D. Pauli, duas D. Petri &c.. Et in ſingulis tot ſimiliter eſse capita, nullibi ſcriptura, nec vetus, nec noua aſſerit: ergo aliunde hæc ſciri non poſſunt quam ex traditione, quam ſi neges, ſcripturam negabis. Tandem vbi in ſcriptura habemus, ipſam ſcripturam veniſse ad nos incorruptam, quin vel dempta, vel addita ſint aliqua, vel loca aliqua corrupta? vel vnde ſcietur Euengelium Matthæi, non eſse ſcriptum ab Apoſtolo Paulo, cum dicat ad Rom. 16. *Iuxta Euangelium meum.* Hæc aliter haberi nequeunt, quàm ex traditione: ex qua ipſi Apoſtoli Euangelium prędicabant, & docebant, ex illa primum concilium Ieroſolymitanum celebrarunt; ex illa ſcripſit D. Lucas Euangelium ſuum vt innuit cap. 1. *Sicut tradiderunt nobis qui ab initio ipſi viderunt.* Deinde Chriſtus ipſe docuit verbo tradito: ergo & canonem ſcripturæ, & multa alia myſteria habemus ex verbo tradito.

Probatur etiam neceſſitas interpretis.

OMnes & ſinguli fideles tenentur ſub damnationis æternæ pęna ſcire eas veritates, quæ ad æternam conducunt ſalutem, tenentur etiam abſolute, & indiſtincte ſine vlla hæſitatione firmiſſime aſsentiri, omnibus veritatibus, nulla excepta quæ à Deo ſunt reuelatæ. Sed cum Deus impoſſibilia non pręcipiat, adeoque impoſſibile ſit fidelibus aſsentiri vlli veritati, niſi eis ſufficienter proponatur, vt infra dicam, non tenentur fideles credere veritati reuelatę, niſi certi efficiantur, illam veritatem eſse reuelatam; ſi enim dubium ſit, an hæc veritas ſit à Deo reuelata, dubium erit an illi certa

 fide

fide ſit credendum: ergo vt fideles certo credant, debent fieri certi, quod illa veritas ſit reuelata, hæc neceſſitas certitudinis de reuelatione myſterij propoſiti oſtendit neceſſitatem certitudinis de legitimo ſenſu veritatis propoſitæ; adeoque neceſſarius eſt infallibilis interpres, qui propoſitam veritatem certo, & ſine periculo erroris exponat credituro: idque conſtat ex praxi totius generis humani, qua fit, vt pro ſcientijs acquirendis imo etiam, & artibus, opus ſit ſtudio, labore, libris, ac magiſtris; ergo Deus multo magis in acquirenda notitia, & ſignificatione doctrinæ reuelatæ, id ordinauit.

Præterea licet pueri, & infantes baptizati habeant intellectum, rationem & lumen naturale, tamen vſque ad certum tempus carent vſu rationis, & luminis illius; adeoque egent doceri à magiſtris & parentibus; ergo ſimiliter Deus, ita diſpoſitit, vt homo egeat lumine, & directione aliorum, ad vſum luminis á Deo dati. item cum iſti paruuli perueniunt ad vſum rationis, habent quidem lumen fidei, & gratiam Spiritus ſancti, & tamen manifeſtum eſt eos, ignorare veritates fidei, & Verbum Dei, ac illius legitimam interpretationem, nec Spiritus ſanctus illos docet prædicta, ſed maxima diligentia opus eſt, vt erudiantur à patribus & magiſtris. ergo Spiritus ſanctus non docet immediate ſingulos fideles, omnem veritatem, adeoque debent ab alijs edoceri. idem patet de mulieribus, rudibus, agricolis, ac etiam Cathecumenis, qui omnes egent inſtructore, ſic Hebræi olim eſto habuerint legem, & ſcripturas, habuerunt tamen ſacerdotes doctrinam legis interpretantes. ſic fideles Antiocheni recurrerunt ad Apoſtolos, & ſeniores Ieroſolymis pro difficultate orta; eccleſiæ igitur authoritas debet eſſe interpres ſcripturæ, quam exponit per diuinas traditiones, per quas velut Canales non ſolum fluxit ipſe ſcripturæ canon, ſed etiã verus ſcripturæ ſenſus; cum itaque neceſſaria ſit infalli-

ſallibilis certitudo, de ſenſu, debet authoritas ipſa exponens eſſe infallibilis.

ARTICVLVS II.

Neceſſaria eſt in hoc orbe publica, ſenſibilis ac incorrupta authoritas, quæ inſtar infallibilis regulæ doctrinam reuelatam humano generi proponat.

QVod authoritas proponens doctrinam ſalutis debeat eſſe publica probatur, Chriſtus eam publicam inſtituit Ioan.20. verſ.2. *Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos*. Matth.vltimo verſ.19. *euntes ergo docete omnes gentes.* Marci 16.verſ.15. *euntes in mundum vniuerſum prædicate Euangelium omni creaturæ.* Act.1.verſ.8. *Eritis mihi Teſtes in Ieruſalem, & in omni Iudæa, & Samaria, & vſque ad vltimum terræ.* En tibi publicam authoritatem à Chriſto inſtitutam ad proponendam doctrinam reuelatam; ſi autem hæc authoritas eſſet priuata, vel occulta, cur præ omnibus eligeret Chriſtus Apoſtolos, vt eſſent Teſtes vſque ad vltimum terræ, ac non potius promiſcuæ & imperitę multitudini eam committeret? ſi autem ad ſingulos ſingulaſque pertineret hæc poteſtas, cur Apoſtolus 1. ad Corinth. 12. dubitatiue interrogat. *numquid omnes Apoſtoli, numquid omnes Prophetæ? Numquid omnes Doctores?* vbi infert Apoſtolus non omnes eſſe Doctores, & proinde reſtringit hanc authoritatem ad perſonas publicas, ad Epheſios 4. verſ. 11. *ipſe dedit quoſdam Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, alios verò Euangeliſtas, alios autem paſtores, Doctores,* & rationem dat ibidem verſ.14. *vt non ſimus paruuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ.*

Quod hæc authoritas debeat eſſe ſenſibilis probatur ex Epiſt. ad Rom.10. verſ.14. *Quomodo ergo*

inuocabunt in quē non crediderunt? aut quomodo credent ei, quem non audierunt? quomodo audient ſine prædicante? Vnde hæc regula debet eſſe, vt Iſa: ait c. 35. v. 8. *Hac vobis erit directa via ita vt ſtulti non errent per eam*, vel enim myſteria fidei ſunt tam aperta ſenſibus vt nullo indigeat ſenſibili Doctore, vel nô? ſi ſunt, ergo fruſtra miſit Chriſtus Apoſtolos ad prędicandum Euangelium omni creaturæ: ſi non fruſtra hæc ordinauit Chriſtus, ergo regula proponens doctrinam reuelatam debet eſſe ſenſibilis, & merito nam doctrina credenda exponit mentem, & voluntatem diuinam, mentem in myſterijs credendis, voluntatem in lege, qua iubemur plura facere, & omittere, vnde opus eſt publica & ſenſibili authoritate, vt imbecilla hominum ingenia doctrinam tam ab humanis ſenſibus remotam certo credant, & arduam legis obſeruantiam aggrediantur.

Probatur tertia pars, nempe hanc authoritatem, ſeu regulam, quæ proponit humano generi doctrinam reuelatam debere eſſe incorruptam ac infallibilem; ne enim Apoſtoli fallerent aut fallerentur in proponendo Euangelio, Chriſtus promiſit aſſiſtentiam ſuam Math. vlt. *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus*, promiſit aſſiſtentiam Spiritus ſancti Ioan. 14. verſ. 26. *Paraclitus autem Spiritus ſãctus docebit vos omnia, & ſuggeret vobis omnia quæcumq; dixero vobis.* Sic Exodi 3. verſ. 11. Moyſi interrogāti qua authoritate iret & loqueretur filijs Iſrael, & dicenti *Quis ſum ego, vt vadam ad Pharaonem, & educam filios Iſrael de Aegypto?* ſubiecit Deus *ego ero tecum*, & cap. 4. verſ. 12. *perge igitur, & ego ero in ore tuo, doceboque quid loquaris*; Et ratio eſt quia licet ſupponatur authoritas Dei reuelantis infallibilis, ſi tamen proponentis reuelatam doctrinam authoritas in dubium reuocetur, non equidem dubitabitur ſit ne doctrina ā Deo reuelata vera, vel falſa, ſed vtrum propoſita doctrina ſit à Deo reuelata, an conficta ab homine.

Hinc

Hinc fides eſt ex auditu, auditus autem per verbum Dei, ſi fides ex auditu, auditus autem neceſſario ſupponit loquentem cui credat, & certò credat: ergo fideles ab aliquo, cui certo credendum ſit, docendi erunt; ergo qui docet debet habere priuilegium non errandi, quod probo, nam impoſſibile eſt, quod certitudo fidei de dictis habeatur niſi pro fundamento ſtatuatur dictum alicuius, qui priuilegium habeat non errandi, & hoc priuilegium ſit publicum & tale vt omnes illi credere teneantur, & hoc eſt quod hic intelligo de publica, ſenſibili & incorrupta authoritate proponente doctrinam reuelatam, hæc autem authoritas non eſt ipſa ſcriptura, cum ipſamet ſit res credenda, & quæſtio ſit an hæc ipſa ſit verbum Dei? ergo diſtinguitur hæc authoritas ab ipſa ſacra Scriptura, ergo ſimiliter vt hic articulus v. g. *hi libri ſunt dictati a Deo* ſit de fide, requiritur infallibilis authoritas in atteſtante & proponente, quis autem ſit ille proponens authentice, quæſtione ſequenti dicemus.

ARTICVLVS III.

Vt doctrina reuelata tranſeat à generatione in generationem, requiritur infallibilitas in tranſmittentibus vſque in finem.

PRobatur aſſertio, fuit neceſſaria hæc infallibilitas in illis, qui immediate acceperunt doctrinam reuelatam à Deo, & eam orbi Terrarum primo propoſuerunt, ergo ſimiliter requiritur hæc infallibilitas in eorum ſucceſſoribus, qui à progenie in progeniem, eandem doctrinam tranſmittunt & proponunt, patet ex Iſaiæ 59. verſ. 21. *Spiritus meus, qui eſt in te, & verba mea quæ poſui in ore tuo, non recedent de ore tuo, & de ore ſeminis tui, & de ore ſeminis, ſeminis tui dicit Dominus à modo & vſq; in ſempiternum.* Hic promittit Deus doctrinam reuelatam

tranſ-

tranſmittendam à generatione in generationem, vſque in finem, ad hanc autem tranſmiſſionem requiritur continua infallibilitas, quam promittit Chriſtus tam primis proponentibus, ac publicantibus ſacram doctrinam, quam eorum ſucceſſoribus Math. vlt. *Et ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus, vſque ad conſummationem ſæculi.* In qua promiſſione includuntur tam primi proponentes, quam eorum ſucceſſores, ſed Chriſtus infallibiliter aſtitit primis proponentibus, ergo infallibiliter aſſiſtit eorum ſucceſſoribus.

Quod ſic probatur, vel enim ſubtraxit Chriſtus aſſiſtentiam ſuam à ſucceſſoribus Apoſtolorum in tranſmittenda, & proponenda doctrina reuelata, vel non? non primum, quia oppoſitum probaui diſtinctione ſecunda & tertia, alioquin non eſſet certum an aſtiterit etiam primis proponentibus, cum enim Textus allatus æqualiter loquatur tam de primis, quam de eorum ſucceſſoribus, ſi ſcriptura reuocetur in dubium quo ad hos, reuocabitur etiam in dubium quo ad illos, & ſic tota ſcriptura erit dubia, contra ſuppoſitum; ſi vero non ſit dubium de primis, non poteſt eſse dubium de eorum poſteris; ergo ſicut nunquam ſubtraxit Chriſtus aſſiſtentiam ſuam à primis, ita nunquam ſubtraxit eam à ſucceſſoribus eorum tranſmittentibus illam doctrinam, & conſequenter verum erit dari infallibilitatem in tranſmittentibus ſacram doctrinam.

Huc etiam facit aſſiſtentia Spiritus ſancti promiſſa his iiſdem Apoſtolorum ſucceſſoribus tranſmiſſuris ad Poſteros doctrinam ſalutis æternæ Io. 14 *Alium Paraclitum dabit vobis vt maneat vobiſcum in æternum* cap. 16. *Spiritus veritatis docebit vos omnē veritatem*, Ergo ſicut Spiritus ſanctus aſtitit Apoſtolis in proponenda infallibiliter ſacra doctrina, ita aſſiſtit eorum ſucceſſoribus in tradenda de manu in manum eandem doctrinam; nam eſto quis credat Deum vera locutum Moyſi & Apoſtolis, & per eoſdem

dem hæc ipſa tradidiſſe ſuis coætaneis, tamen poſſet quis dubitare, an reliqui qui ſanã doctrinam à Moyſe, vel Apoſtolis immediate acceperunt, fideliter eandem doctrinam ſuis poſteris tradiderint, quare non poteſt conſiſtere fides certa in Deum, niſi de illis quorum intereſt Verbum Dei tranſmittere ad Poſteros, certo conſtet, nec decipi, nec decipere, ſi enim dubitemus de authoritate atteſtantis, vel proponentis doctrinam reuelatam, hoc ipſo perit eius authoritas apud nos.

Ergo ſicut neceſſaria fuit hæc infallibilitas in illis primis præconibus, ita fuit & eſt neceſſaria in eorum poſteris, nam non minus homines Moyſi & Apoſtolis Coæui, indiguerunt in proponentibus hac authoritate, vt eſſent certi illam doctrinam fuiſſe à Deo reuelatam, quam indigent aliæ generationes alijs ſucceſſiue ſæculis exiſtentes, ergo ſicut prouidit Deus infallibilem authoritatem regulæ proponentis primis illis fidelibus, ita prouidit eandem ſucceſſuris generationibus, alioquin quomodo nos hodie poſt annos mille ſexcentos ſeptuaginta & quatuor eſſemus certi, an venerint ad nos incorrupta immutata, & integra ſacra Dei eloquia?

ARTICVLVS IV.

Poſtulat Diuinæ prouidentiæ ratio, vt ſingulis credituris fiat ſenſibilis & immediata doctrinæ reuelata propoſitio.

HÆc aſſertio ſtatuitur contra eos Sectarios, qui dicunt ad diſcernendam Sacram doctrinam à non ſacra, & ad rite intelligendum illius ſenſum ſufficere ſpiritnm priuatum, atque adeo ſtante hac ſententia, eccleſia non deberet amplius laborare in prædicando Euangelio Turcis, Hebræis, Paganis, cum vt ait iſta ſententia ſatis ſit legere ſcripturam qua lecta inquit, ſtatim mouetur animus legentis per ſpiritum

ritum ad veram intelligentiam percipiendam, quod tamen eſt contra manifeſtam experientiam, cum nec Turcæ, nec Hebræi, nec Pagani percipiant ſenſum myſticum Diuinorum librorum quantumuis eos legant.

Ratio autem motæ difficultatis eſt, nam cū promiſcua hominum multitudo, vt primum adoleſcit iubeatur Deo credere quæ proponuntur, & reuelatam legem obſeruare ſub pœna mortis æternæ, decet Diuinam prouidentiam vt ſit in Mundo illa lux, illa conſpicua propoſitio doctrinæ reuelatæ, & ita Deum diſpoſuiſſe probatur Marci vlt. *Euntes in Mundum vniuerſum prædicate Euangelium omni creaturæ, qui crediderit et baptizatus fuerit, ſaluus erit, qui vero nō crediderit condemnabitur.* Vbi Chriſtus indicat duo, primum debere proponi doctrinam reuelatam, ſecundum, poſtquam eſt ſufficienter propoſita, audientem teneri ſub damnatione æterna credere. Probatur 2. Ioan. 15. verſ. 22. *Si non veniſſem & locutus fuiſſem eis, peccatum non haberent, nunc autem excuſationem non habent de peccato ſuo*; Ergo requiritur ſenſibilis & immediata propoſitio doctrinæ reuelatæ, & tenetur audiens cui facta eſt ſufficiens propotio obedire fidei, probatur 3. Matth. 11. verſic. 21. *Væ tibi Corozain, væ tibi Beth-Saida, quia ſi in Tyro, & Sidone factæ eſſent virtutes, quæ factæ ſunt in vobis, olim in cilicio & cinere pœnitentiam egiſſent.* Ergo ad obligandos homines ad credendum requiritur ſenſibilis & immediata propoſitio Verbi Dei, ſic Chriſtus ipſe immediate & ſenſibiliter locutus eſt Apoſtolis, & eorum *ſonus exiuit in omnem Terram.* Cum propoſuerint per ſenſibilem prædicationem doctrinam reuelatam vt patet Act. 2. 3. 4. 5.

Cum enim Diuina reuelatio non fiat ſingulis immediate, ſed mediantibus alijs, neceſſe eſt vt ſit in Mundo incorrupta authoritas, quæ immediate, & ſenſibiliter proponat humano generi doctrinam ſalutis, *Quomodo enim credent ei, quem non audierunt;*

aut

aut quomodo audient ſine prædicante?

Sed non putent ſectarij ſedentes in tenebris ſuis, & vmbra mortis æternæ, per hanc doctrinam poſſe excuſari vincibilem, ſupinam & craſſam eorum ignorantiam de rebus veræ fidei, ac ſi non obligarentur amplecti veram Religionem, quam vel putant iam ſe habere, vel eſto non haberent, non obligari tamen vltra id quod acceperunt credere niſi eis manifeſte proponatur, nam ex diſtin. 1. conſtat inueniri poſſe veram religionem. Deinde catholica doctrina ab ipſis quotidie impugnatur, vel ergo habent confuſam ſaltem notitiam de illa doctrina, quam impugnant vel nullam? ſi nullam ergo ſunt ſtolidi & ſtulti, quod impugnent illud quod neſciunt an bonum, vel malum ſit, ſi confuſam, certe tunc ſubeſt ipſis prudens ratio dubitandi an falſa ſit doctrina, quam impugnant nec ne, & ſic tenentur ſequi monitum Apoſtoli ad Rom. 12. verſic. 2. *Reformamini in nouitate ſenſus veſtri vt probetis quæ ſit voluntas Dei bona & bene placens, & perfecta.* Deinde ſuppono hanc conſpicuam fidei propoſitionem fieri ſectarijs, cum & inter eos ſint Catholici, & catholicorum libros & videant & audiant & legant, nec eſt qui ſæpius in vita non habeat remorſus & motiones aliquas pias, quas poſſent ſequi ſi vellent, & ſane ipſamet Religio quam ſequuntur eſt potius euidenter incredibilis, quam credibilis, cum tot abſurda contra ſcripturam, imò & humanam inſtitutionem complectatur, vt patet ex prima Parte.

ARTICVLVS V.

De remoto & proximo proponente Sacram doctrinam.

NOta duplicem eſſe proponentem ſcilicet proximum, & remotum: proximus eſt ipſe Prædicator, Doctor, vel Parochus, qui fidem docet

vel

vel ſuadet: Proponens remotus eſt eccleſiæ proponentis ſacram doctrinam authoritas, in qua proxime fundatur verbum Doctoris, vt ſuam doctrinam veram eſſe fidem perſuadeat; inter hos duos quoad nos hæc eſt differentia, quod proximus proponens non habeat de ſe authoritatem vt doctrinam ſuam certam eſſe oſtendat, ſed oportet vt illam aliunde confirmet, in proponente autem remoto, vt in ſuo ordine ſit ſufficiens, debet ſupponi hæc authoritas & ideo vocatur regula fidei & hæc eſt eccleſia de qua quæſtione ſeq.

An autem in proponente proximo nempe Parocho, vel Doctore debeat eſſe infallibilis authorita duobus modis intelligi poteſt, vno modo permanens ter prout habet eccleſia vt probaui; alio modo ſolum actualiter, quoad certitudinem illius doctrinæ quam ſufficienter proponit vt à Deo traditam, ve, vt definitam ab aliquo habente authoritatem v. g. l eccleſia, hinc proponens proximus v. g. Prædicator, vel Parochus non habet authoritatem infallibilem primo modo, ideſt, permanenter, nam res fidei propoſita à predicante, vel Parocho non habet authoritatem ab ipſo ſecundum ſe ſpectato, ipſe enim tantum applicat Diuinam authoritatem & ipſam applicationem facit per iuriſdictionem acceptam à mittente, iuxta illud ad Rom. 10. *Quomodo prædicabunt niſi mittantur*; Et licet conditio, ſeu qualitas talis proponentis proximi poſſit aliquid conferre ad credibilitatem rei propoſitæ, non tamen ſufficit ad infallibilitatem, nam conditio proponentis talis in ratione credibilis ſolum eſt vnum ex motiuis.

Quare quoties proximus proponens ſufficienter facit rem credibilem, vt inde oriatur obligatio illam credendi, tanquam dictatam à Deo, neceſſarium eſt vt credatur proponens eſſe infallibilis authoritatis quam habere debet ex omnibus requiſitis, quod ſic declaratur, duobus modis poteſt quis proponere doctrinam reuelatam, primo tanquam ſibi

immediate reuelatam, & hanc probare debet aliquo ſigno, vel miraculo vt fecit Moyſes, alio modo proponit aliquis fidem tanquam alijs reuelatam, & tunc neceſſe eſt, vt illam confirmet aliqua infallibili regula fidei, quia aliter non poteſt aliquis obligari ad credendum illam veritatem vt infallibilem, vnde opus eſt vt illam infallibilem regulam applicet cum morali euidentia & certitudine, ita vt audiens non poſſit de illa rationabiliter dubitare: quamobrem quod proponitur non debet eſſe contrarium antiquæ fidei, deinde vt publice proponatur ſine contradictione eccleſiæ cum ſufficiente atteſtatione Paſtorum eius.

Si autem hæc concurrant, non poteſt eſſe falſum, quod proponitur & hinc proximus proponens non habet à ſe infallibilem authoritatem, ſed eam accipit à doctrina, quam tradit, & à ſignis vel regulis quibus eam confirmat, vbi vides quomodo Parrochus per ſe non ſit infallibilis, ſed tantum ratione doctrinæ quam proponit, & regulæ infallibilis eccleſiæ, ſcilicet quam ſequitur, & per quam, ſuam doctrinam confirmat, hinc ſit.

QVÆSTIO III.

Quænam tandem eſt vltima & adæquata fidei regula.

SAtis ſuperque ex huc vſque dictis conſtat hanc regulam reſpectu credentium, ignaræ plebis, rudis & imperitæ multitudinis, non eſſe particulare cuiuſque examen, vel ipſam ſcripturam, aut ſpiritum priuatum, & aliunde abſoluta, & indiſpenſabilis obligatio impoſita humano generi, ad ſcienda, & credenda myſteria reuelata, oſtendit pariter abſolutam, & indiſpenſabilem neceſſitatem huius regulæ proponentis, & applicantis hanc doctrinam mortalibus, hinc ſit.

AR-

ARTICVLVS I.

Viſibilis Chriſti eccleſiæ authoritas eſt adæquata, certa & infallibilis regula fidei authentice proponens doctrinam reuelatam neceſſario credendam.

HVc D. Auguſtinus lib. de vtilitàte credendi, poſt tot animi ſui fluctus, & motus, pro acquirenda veritate veniendum duxit. *Nunc*, inquit *Vbera eccleſiæ poſt longiſſimam ſitim, prope exhauſtus, atque aridus tota auiditate repetij, eaque altius ſiens, & gemens concuſſi, & expreſſi.* Huc inuitauit amicum ſuum Honoratum Manichæorum errore ſeductum cap. 5. inquiens, *Puta nos adouc neminem audiſſe, cuiuſpiam religionis inſinuatorem, fac nos primum nunc quærere, cuinam religioni animas noſtras purgandas, inſtaurandaſque tradamus, procul dubio a Catholica eccleſia ſumendum eſt exordium.* Et infra cap. 8. *ſequere igitur viam catholicæ diſciplinæ, quæ ab ipſo Chriſto per Apoſtolos, ad nos vſque manauit, & hinc ad poſteros manatura eſt.* Hic Auguſt. veritatis aſſequendæ cupidos prouocat ad eccleſiæ authoritatem, cum ſine authoritate fidem acquirere ſit impoſſibile, vt ibidem docet cap. 11. & 12. *Quod intelligimus debemus rationi, quod credimus authoritati, quod opinamur errori, ſi quod neſcitur credendum non eſt, quomodo ſeruiant parentibus liberi, eoſque mutua pietate diligant, quos parentes ſuos eſſe non credant? non enim ratione vllo pacto ſciri poteſt, ſed interpoſita matris authoritate de patre creditur, cum de Religione agitur, nihil nobis reſtare a modo vides ſi nobis vita optima & religio cordi eſt, niſi vt quæramus ſapientes.* Probat Auguſt. neceſſitatem authoritatis argumento ad hominem, ſi enim nihil volumus credere niſi quod nobis per ſenſum, vel ex terminis conſtat, ſic nec filij parentibus, nec ſubditi principibus obedi-

re deberent, nam hos eſſe noſtros parentes vel principes ſola authoritate referentium ac teſtantium eos tales eſſe credimus: & ita,nec filij hæreditatem, nec ſubditi communia principis beneficia prætendere poſſent, ſic ſimiliter amicitiam, fidelitatem , contractum,ſocietatem de humano genere tolleremus.nam hos eſſe fideles, amicos, cognatos &c. authoritate potiſſimum conſtat. Si ergo in rebus humanis tanta eſt neceſſitas ſequendæ authoritatis,quanto magis in arduis, & altis Chriſtianæ religionis myſterijs perdiſcendis ac credendis, vt tota quæſtione præcedenti conſtat.

Eandem authoritatis neceſſitatem confirmat idem Sanctus Doctor cap. 16. *Non eſt deſperandum ab ipſo Deo, authoritatem aliquam conſtitutam,qua velut gradu quodam certo innitentes attollamur in Deum*. Et infra *homini ergo non valenti verum intueri,vt ad id fiat idoneus, purgarique ſe ſinat, authoritas præſto eſt*. Cuius progreſſum explicat ſupra cap. 14. *Chriſtus miraculis conciliauit authoritatem, authoritate meruit fidem; fide contraxit multitudinē, multitudine obtinuit vetuſtatem: vetuſtate roborauit religionem*. Et religionem ſic ſtabilitam commendat idem Sanctus cap.17. à continentia, caſtitate,patientia, liberalitate,mundi contemptu,auxilio Dei, profectu, Apoſtolica ſede per ſucceſſiones Epiſcoporum,á conciliorum grauitate, miraculorum maieſtate,ac authoritatis culmine. *Cui*, inquit ibidem, *nolle primas dare vel ſummæ profecto impietatis eſt, vel præcipitis arrogantiæ, nam quid eſt aliud ingratum eſſe opi atque auxilio Diuino, quam tanto labore præditæ authoritati velle reſiſtere?* Concludit ergo D.Auguſtinus cum fides acquiri non poſſit, niſi mediante authoritate, (vt ait Apoſtolus ad Rom. 10. *Quomodo credent ei: quem non audierunt? quomodo audient ſine prædicante.*) Nullam potius amplectendam eſſe quam Catholicæ eccleſiæ authoritatem, tam multis prærogatiuis inſignitam, vt fidem omni-

no mereatur, eamque proinde debere eſſe regulam noſtræ fidei.

Ratione etiam probatur, quia eccleſia habet omnes conditiones requiſitas ad regulam fidei, nam primo eſt conſpicua,& viſibilis, eſt indefectibilis à generatione in generationem perpetuo durans, vt diſtinctione prima late probaui, eſt infallibilis vt per totam diſtinctionem ſecundam etiam oſtendi,ex quibus conſtat priuilegiũ non errandi duobus modis ſe habere,primo modo in ordine ad eccleſiã,reſpectu cuius dicitur priuilegium non errandi, ſecundo modo reſpectu ſingulorum fidelium, & ſic dicitur certa credendi regula, quod autem reliquerit Chriſtus hanc proponendi regulam in eccleſia, probatur ex locis ſæpe citatis Matth.vltim. *Euntes docete omnes gentes baptizantes &c. docentes eos ſeruare omnia quæcumque mandaui vobis*, Et Marci vltimo *euntes in Mundum vniuerſum prædicate Euangelium omni Creaturæ.*

Ex quibus ſic arguo,vel datur in eccleſiaChriſti vnus homo, vel vnus Chriſtianorum cætus, cui proponenti doctrinam reuelatam quo ad eſsentialia fidei certo ac infallibiliter ſinguli, inconſulta ſcriptura credere citra periculum erroris in fidei myſterijs poſſunt ac tenentur, vel non datur talis homo, aut fidelium cætus? ſi dixerint ſectarij quod detur talis homo, vel cætus,eo ipſo ſibi contradicunt, & ad eos Chriſtianos accedunt, qui hoc ipſum tenent;ſi vero negent dari talem hominem,vel cætum, tunc infero in manifeſta conſequentia, vel nullum exſtare fidei Chriſtianæ infallibile fundamentum, vel ſingulos Chriſtianos adultos infallibiliter poſſe ac debere apud ſe approbare,vel damnare quorumcumque hominum doctrinam in fidei myſterijs.

Si itaque dicant nullam exſtare in eccleſia regulam authentice proponentem, nullum fidei Chriſtianæ fundamentum, quid ergo diſputamus de fictitio commento? Si autem detur huiuſmodi infalli-

bilis regula, aut infallibile fundamentum, quæro quod nam ſit?non vtique ſcriptura,cum ipſa ſit illud ipſum quod debet proponi humano generi, nec reſoluat quæſtiones de ſuo ipſius Canone, ſenſu, integritate motas, nam ſi eſſet aliquis qui antequam admitteret ſacram ſcripturam, peteret an ipſa ſit reuelata a Deo, certe illa quæſtio apud illum non ſolueretur ex ipſa ſcriptura, ſed aliunde nempe à Teſte, & proponente: non ſpiritus priuatus, ergo regula proponens debet eſſe diſtincta à ſcriptura,& ſpiritu, quod ex allatis Textibus probatur, Chriſtus enim præter nudum verbum reliquit regulam proponentem ſenſibilem,ac infallibilem nempe Apoſtolos, ergo neceſſario etiã hodie admittenda eſt talis regula.

Nam cum Deus certam fidem à nobis exigat, certa fides eſſe nequit, niſi illius obiectum certum ſit, nec certum poteſt eſſe illius obiectum, niſi certo conſtet de authoritate legitima illud proponentis, ergo ſicut inſtituit Chriſtus hanc authoritatem in primitiua eccleſia, iſta neceſſario eſt in eccleſia huc vſque durante, cum non minus indigeant homines hoc æuo, infallibili regula proponente doctrinam reuelatam, quam Coætanei Apoſtolorum indiguerunt.

ARTICVLVS II.

Hæc authoritas tanquam regula infallibiliter proponens doctrinam fidei eſt in Paſtoribus eccleſiæ.

PRobatur primo Act.20.verſ.28. *Attendite vobis, & vniuerſo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus poſuit Epiſcopos regere eccleſiam Dei, quam acquiſiuit ſangnine ſuo.* Vnde ſic arguo, in ijs debet eſſe hæc authoritas à quibus fideles regi, paſci, ac doceri voluit Chriſtus, ſed eos voluit regi à Paſtoribus,ergo in his debet eſſe hæc authoritas, probatur 2.Ioan.21.verſ.15. *Dicit Simoni Petro paſce*

agnos meos, paſce oues meas, Vbi nota hic oues diſtingui à Paſtoribus, vnde ſic arguo, vel ſpectat ad Paſtores proponere doctrinam reuelatam ouibus vel non? ſi non, ergo fruſtra inſtituit Chriſtus Apoſtolos ſupra alios, fruſtra mandat ſcriptura Epiſcopos attendere ſuo gregi, fruſtra Chriſtus ordinauit Petro vt paſceret oues, ſi non fruſtra ſunt Paſtores, ergo in illis reſidet hæc authoritas proponendi doctrinam reuelatam, ſi dicas hoc ſpectare ad ſingulos, & ſingulas, atque adeo ad ipſas oues? contra iſtam inſaniam.

Sit tertia probatio ex Apoſtolo ad Epheſ. 4. verſ. 11. *Ipſe dedit quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdã autem Prophetas, alios vero Euangeliſtas, alios autem Paſtores, & doctores ad conſumationem Sanctorum in opus miniſterij, in ædificationem corporis Chriſti, vt non iam ſimus paruuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ in nequitia hominum, in aſtutia ad circumuentionem erroris*. Vel ergo hæc authoritas regulæ proponentis Verbum Dei, ineſt ſingulis fidelibus ſeorſim, vel in omnibus coniunctim, vel in nonnullis tantum? ſi in ſingulis, ergo ſinguli homines eſſent Apoſtoli, Euangeliſtæ, Doctores, Paſtores, Epiſcopi, contra ſuppoſitum D. Pauli primæ ad Corinth. 12. *Numquid omnes Apoſtoli, numquid omnes Doctores? numquid omnes interpretabuntur*? Si in omnibus coniunctim, ergo non deberent dari hæc diſtincta munera Paſtorum, Doctorum, Epiſcoporum contra expreſſam Scripturam, & non eſſe in omnibus iam ſat probaui, ergo reſtat quod in nonnullis tantum reſideat hæc regulæ proponentis authoritas, in ijs inquam, qui eccleſiam repræſentant, nempe in ipſis eccleſiæ Paſtoribus, vt patet expreſſe ex verbis Apoſtoli ne ſcilicet *Circumferamur omni vento doctrinæ*, prout circumferuntur ſectarij.

Vnde voluit Deus eſſe in eccleſia ſua hãc infallibilem regulam proponentem ſanam doctrinam, & diſcernentem falſam, *Ne ſimus paruuli fluctuantes*,

& cir-

& circumferamur in nequitia hominum, in aſtutia ad circumuentionem erroris, Ergo ab illis debet proponi doctrina reuelata, quibus incumbit curare *Ne ſimus paruuli fluctuantes*, Sed hoc ad Paſtores ſpectat; ergo, & authoritas regulæ proponentis.

ARTICVLVS III.

Hanc authoritatem reſidere in Eccleſia probant Patres primorum ſæculorum.

IRenæus lib 3. contra Hæreſes cap. 3. *Non oportet ad huc apud alios quærere veritatem, quam facile eſt ab eccleſia ſumere, cum Apoſtoli quaſi in depoſitorium diues pleniſſime in eam contulerint omnia quæ ſunt veritatis, vt omnis quicumque velit, ſumat ex ea potum vitæ.* Ambroſius lib. 3. Epiſt. 25. ad Vercellenſ. *Sta ergo in eccleſia, ſta vbi tibi apparui, ibi ergo tecum ſum, vbi eſt eccleſia, ibi firma ſtatio tuæ mentis eſt, ibi fundamentum animi tui;* Et lib. 3. de fide cap. 7. *Seruemus præcepta maiorum, nec hæreditaria ſignacula auſi rudi temeritate violemus.*

Auguſtinus lib. contra Epiſtolam fundamentalem cap. 5. *Ego vero Euangelio non crederem niſi me Catholicæ eccleſiæ commoueret authoritas:* Ergo iuxta D. Auguſtinum, & alios Patres ab eccleſia accipiendum, & audiendum eſt Euangelium, & conſequenter in ipſa eſt infallibilis regula proponens doctrinam, reuelatam cuius rationem dat ibidem Auguſtinus *ſi ergo inuenires aliquem qui Euangelio nondum credit, quid faceres dicenti non credo?* Vbi ſupponit ipſum Euangelium non eſſe regulam proponentem ſeipſum, quare neceſſariam iudicat regulam diſtinctam vt habet lib. de vtilitate credendi cap. 17. *Si vnaquæque diſciplina, quam vilis, & facilis vt percipi poſſit Doctorem requirit, quid temerariæ ſuperbiæ plenius, quã Diuinorũ Sacramentorũ libros ab interpretibus ſuis nolle cognoſcere, & incognitos velle damnare?*

De-

Denique ipſe Apoſtolus de ſe teſtatur ad Gal. 2 *Poſt annos quatuordecim iterum aſcendi Ieroſolymam, aſcendi autem ſecundum reuelationem, & contuli cum illis Euangelium, quod prædico in gentibus ne forte in vacuum currerem, aut cucurriſſem*, Hic Paulus recurrit ad infallibilem fidei regulam ſcilicet ad eccleſiam vt per illius authoritatem oſtenderet eſſe authenticum, id quod prædicabat, ergo aperte ſequitur eccleſiam eſſe illam infallibilem regulam, quæ nos infallibiliter certos reddat hoc eſſe Verbum Dei, illud vero non eſſe, aſcendit autem non ad promiſcuam plebem, non ad imperitam multitudinem, ſed Ieroſolymam ad Apoſtolos ſcilicet, & Paſtores eccleſiæ.

Hinc Vincentius Lirinenſis contra profanas nouitates cap. 2. *Hic forſitan requirat aliquis cum ſit perfectus Scripturarum Canon, ſibique ad omnia ſatis ſuperque ſufficiat, quid opus eſt, vt ei eccleſiaſticæ intelligentiæ iungatur authoritas? quia videlicet ſcripturam ſacram pro ipſa ſui altitudine, non vno eodemque ſenſu vniuerſi accipiunt, ſed eiuſdem eloquia aliter alius, atque alius interpretatur, aliter namque illam Nouatianus, aliter Sabellius, aliter Donatus exponit, aliter Arius, Eunomius, Macedonius, aliter Photinus, Apollinaris, Priſcillianus, aliter Iouinianus Pelagius, Cæleſtius, aliter poſtremo Neſtorius* (Aliter Caluinus, Lutherus, Beza) *Atqui idcirco multum neceſſe eſt propter tantos, tam varij erroris anfractus, vt propheticæ, atque Apoſtolicæ interpretationis linea ſecundum Eccleſiaſtici, & Catholici ſenſus normam dirigatur.*

Quis tam ſalutaria Sanctorum Patrum monita non ſequatur potius, quam Caluini, Luteri, aut Bezę deliria, & non potius conſulat eccleſiam in dubijs & quæſtionibus fidei, quam Sutorum, Cerdonum, Sartorum, mulierculanum ſomnia, qui iuxta præcipitem arrogantiam ſuam regulæ proponentis authoritatem ſibi præſumunt?

QVÆ-

QVÆSTIO IV.

De Iudice Controuerſiarum.

HActenus declaraui cuius ſit authentice proponere doctrinam reuelatam hominibus, & quæ nobis ſit infallibilis regula credendi, quam debeamus ſequi, nunc ſequitur exponendum, quis ſit Iudex, dum partes litigant de Canone, & ſenſu ſcripturæ, deque alijs fidei quæſtionibus; vnde præſens quæſtio duplicem habet difficultatem, prima eſt, an detur in Eccleſia Tribunal, ſeu authoritas infallibilis iudicandi, & dirimendi controuerſias fidei, & morum; ſecunda in quo reſideat hæc authoritas, primam difficultatem hic tantum reſoluam, ſecundam vero infra diſcutiam diſtinctione ſexta, quæſtione quarta, articulo Tertio, & diſtinctione octaua, quæſtione vltima, articulo ſecundo.

ARTICVLVS I.

Supremum viſibilis Eccleſiæ Tribunal eſt Iudex Controuerſiarum.

DAri in Eccleſia infallibilem authoritatem proponendi doctrinam reuelatam conſtat ex dictis, & etiam conſtabit ex dicendis diſtinctione ſexta, dari hoc ſupremum Tribunal, vnde propoſitionem hanc ſub iſtis generalibus terminis proponunt graues Theologi, antequam ad particularia deſcendant, fundamento deſumpto, primo ex Conc. Trident. ſeſſ. 4. Decreto de editione, & vſu ſacrorum librorum, his verbis, *præterea ad coercenda petulãtia ingenia decernit vt nemo ſuæ prudentiæ innixus in rebus fidei, & morum ad ædificationem doctrinæ Chriſtianæ pertinentium, ſacram ſcripturam ad ſuos ſenſus contorquens, contra eum ſenſũ, quem tenuit, & tenet*

San-

Sancta Mater Eccleſia, cuius eſt iudicare de vero ſenſu & interpretatione Scripturarum Sanctarum interpretari audeat. Secundo ex D. Auguſtino qui clare docet quanti fecerit hanc Eccleſiæ authoritatem in rebus fidei lib. contra epiſt. fund. cap. 5, *Ego vero Euägelio non crederem, niſi me Catholicæ Eccleſiæ commoueret authoritas.* Et lib. 1. contra Creſconiũ c. 33. *Quoniam Sancta ſcriptura fallere non poteſt quiſquis falli metuit huius obſcuritate quæſtionis eandem Eccleſiam de illa conſulat, quam ſine vlla ambiguitate ſacra ſcriptura commendat.* Vbi docet Aug. in dubijs recurrendum ad authoritatem Eccleſiæ.

Et merito quia habet omnes conditiones requiſitas ad legitimũ Iudicem, nam conceſſit ipſi Chriſtus infallibilitatem ne in iudicando decipiat, vel decipiatur, dedit authoritatem docendi omnes gentes, dedit credituris certam fidem, quod tuto illam poſſent audire, dedit mandatum omnibus, vt illam audiant, comminatus eſt eis, qui illi nollent acquieſcere, ergo iudicium ſeu Tribunal Eccleſiæ erit Iudex controuerſiarum.

Probatur aſſertio quo ad primam prærogatiuã, nempe infallibilitatem ex diſtinctione præcedenti Math. 28. Ioan. 14. & 16. verſ. 13. 1. ad Timoth. 3. v. 15 *Eccleſia Dei viui columna, & firmamentum veritatis, Math. 16. ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduerſus eã.* Quæ omnia loca expreſſe probant Eccleſiæ infallibilitatem, quare admittendum eſt eam habere prærogatiuam non errandi, & conſequenter primam incorrupti Iudicis conditionem.

Habet item authoritatem à Chriſto dante ipſi hoc Tribunal Math. 16. *Quodcumque ligaueris ſuper terram, erit legatum, & in Cœlis, & quodcumq; ſolueris ſuper terram, erit ſolutũ, & in Cœlis, & Math. 18. quæcumq; alligaueritis ſuper terram, erunt ligata, & in Cœlo.* Alligare autem denotat poteſtatem, vt patet Math. 23. *Super cathedram Myſi ſederunt Scribæ,*

& Phariſæi, quæ dicunt facite; ſecundũ opera vero eorũ nolite facere, alligant enim onera grauia &c. Vbi vides *per alligare* ſignificari poteſtatẽ, Itẽ Math. vlt. *Docete omnes*, Hinc prædicare importat authoritatem ad Rom. 10 *Quomodo prædicabunt niſi mittantur*, Miſſio autem Iuriſdictionem Ioan. 20. verſ. 21. *ſicut miſit me Pater, & ego mitto vos.*

Confirmatur hæc authoritas ex prime ad Cor. cap. 12. Et ad Epheſ. 4. *Ipſe dedit in Eccleſia Apoſtolos, Doctores, Paſtores, in õpus Miniſterij, vt non ſimus paruuli fluctuantes, & circumferamur omni vẽto doctrinæ.* Ex quibus omnibus habetur datam eſſe Eccleſię poteſtatẽ circa res fidei dirigẽdas, ordinandas, ac decernendas ſi enim non reſideret huiuſmodi poteſtas in Eccleſia, quomodo poſſet alligare, prædicare, ſoluere? cur daret Deus Apoſtolos, Euãgeliſtas, Paſtores, Doctores? hoc vtique dedit *Ne ſimus paruuli fluctuantes, & circumferamur omni vẽto doctrina*, Ergo cum Deus eccleſiæ ſuæ dederit Apoſtolos, Doctores, Paſtores, Epiſcopos, dedit eidem Tribunal, quod dirimeret Controuerſias.

Quod autem nos tuto, & ſecure poſſimus audire eccleſiam, & ipſius Tribunal probatur Lucæ 10. verſ. 16. *Qui vos audit, me audit:* Vel ergo ſecure auditur Chriſtus, vel non? ſi non ergo negandum Euangelium, negandus Chriſtus; ſi non negandus, ſed audiendus Chriſtus, audiendi ergo etiam Miniſtri Chriſti, ſi hos non vis audire, non audis Chriſtum, ſi hunc audis, hos neceſſario audire debes, & ſecure potes, cum Chriſtus ipſe hæc coniunxerit, ita vt perinde ſit audire Chriſtum, ac miſſos a Chriſto, Chriſtus autem non fundauit eccleſiam perituram in morte Apoſtolorum, ſed duraturam vſque ad conſummationem ſæculi; ergo ſicut monuit audiendos Apoſtolos, ita monuit audiendos eorum ſucceſſores, ergo conſtituit, & reliquit in eccleſia Tribunal, quod dirimat controuerſias, & cui nos tuto, & ſecure acquieſcere poſſimus.

Quod

Quod niſi audiamus, comminatur Chriſtus Lucæ 10. verſ.16. *Qui vos ſpernit, me ſpernit, qui autem me ſpernit, ſpernit eum qui miſit me* Item Matth.18. verſ.17. *Dic Eccleſiæ, ſi Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus, & Publicanus.* Si ergo non licet, nec Deum, nec Chriſtum ſpernere, non licet etiam ſpernere eccleſiæ authoritatem, cum iuxta Chriſti oraculum, par peccatum ſit ſpernere iudicium: & Tribunal eccleſiæ, ac ipſum Chriſtum: deinde qui non audit eccleſiam vtique decernentem, & iudicantem, erit! ſicut Ethnicus, & Publicanus, ſed tales non habent hæreditatem in Regno Chriſti, & Dei; ergo idem crimen eſt eſſe Ethnicum, & Publicanum, ac non audire eccleſiam, ergo quandoquidem Chriſtus dederit authoritatem, infallibilitatem, & iuriſdictionem ſuæ eccleſiæ mandauerit cæteris vt illam audiant, & dederit ſecuritatem omnibus, vt illam audiant tuto, & ſine periculo, comminatus præterea fuerit omnibus qui nolunt illi acquieſcere, ipſa erit legitimus Iudex controuerſiarum.

ARTICVLVS II.

Eccleſiam eſſe Iudicem controuerſiarum probat continua praxis ipſius Eccleſiæ tum in veteri, tum in nouo Teſtamento.

ET primo ex veteri Teſtamento Deuter.17.verſ. 8. *Si difficile, & ambiguum apud te iudicium eſſe perſpexeris &c. ſurge, & aſcende ad locum quē elegerit Dominus Deus tuus, venieſque ad Sacerdotes leuitici generis, & ad Iudicem qui fuerit illo tēpore, quæreſq; ab eis qui iudicabunt iudicij veritatem, qui autē ſuperbierit nolens obedire Sacerdotis imperio. Morietur.* En cauſas remiſſas ad ſupremum Tribunal Synagogæ, en praxim procedendi in controuerſijs veteris Teſtamenti, en poteſtatem iudicandi, dic mo-

do vbi hæc lex reuocata in nouo Teſtamento ? vbi oppoſitum conſtitutum ? dic inquies, tu vbi mentio de ſimili Tribunali, vel poteſtate in Eccleſia ?

Oſtendo ſimilem plane Math. 18. verſ. 16. *Si peccauerit in te frater tuus vade, et corripe eum, ſi autem te non audierit,* En cauſam, en litem ſimilem illi in Deuteronomio, *Si difficile iudicium.* Et quid faciendum tunc præcipit Chriſtus ? audi, *Dic Eccleſiæ*, en quomodo confirmat legem Deuteronomij Chriſtus, *aſcende ad locum, dic Eccleſiæ,* En locum, ſequitur Deuteronomiũ. *Qui autem ſuperbierit &c. morietur* Tranſtulit etiam Chriſtus hanc legem in eccleſiam, *Si Eccleſiam non audierit,* En conformitatem criminis ad crimen, inobedientiæ ad inobedientiam, *Sit tibi ſicut Ethnicus, & Publicanus,* En concordantiam legis ad legem, pœnæ ad pœnam, en mortem vtrobique indictam, ergo ſicut in veteri Teſtamento deſignatus fuit viſibilis, ac ſupremus controuerſiarum Iudex, ita ſimiliter videmus in eccleſia ordinatum á Chriſto, *Dic Eccleſiæ.*

Et hic fuit mos primitiuæ eccleſiæ, vt omnes fidei controuerſiæ ad ſummum viſibilis eccleſiæ Tribunal referrentur, vt conſtat act. 15. *Quidam docebant fratres, quia niſi circumcidamini non poteſtis ſaluari,* & infra *ſtatuerunt vt aſcenderent Paulus, & Barnabas ad Apoſtolos, & presbyteros in Ieruſalē ſuper hac quæſtione.* Si autem ad Tribunal eccleſię nō ſpectaret decidere controuerſias, ſed potius ad ſingulos, & ſingulas, cur aſcenderunt Paulus, & Barnabas ad Apoſtolos, & ſeniores ? cur non eo loco, vbi mota fuit quæſtio, deciſa fuit difficultas ? cur ibi ſinguli, & ſingulæ, nullo alio conſulto, litem non diremerunt ? Cur tandem ipſimet Paulus, & Barnabas controuarſiam non compoſuerunt ? Cum ergo primi illi Chriſtiani quantumuis illuminati recurrerint ad iudicium eccleſiæ, manifeſte ſequitur eam eſſe Iudicem controuerſiarum.

Quod

Quod confirmatur ex ijs,quæ ibidem ſequũtur verſ.6. *Conuenerũtq; Apoſtoli, & ſeniores videre de verbo hoc, cumq; magna conquiſitio fieret ſurgens Petrus dixit ad eos &c.*& infra,*viſum eſt Spiritui Sãcto & nobis,nihil vltra imponere vobis oneris: quã hęc neceſſaria,* En decretum,& verſ.30.*Illi ergo dimiſſi deſcenderunt Antiochiam,et congregata multitudine tradiderunt Epiſtolã, quam cum legiſſent,gauiſi ſunt ſuper conſolatione.* Ecce quomodo ſtatim acquieſcit multitudo decretis eccleſiæ,ecce quomodo controuerſia deciditur, non á plebe, non á quolibet, & qualibet, ſed à Tribunali ſupremo, hanc praxim ſecuta eſt deinceps eccleſia, nam quarto ſæculo hæreſis Ariana per Concilium Nicenum trecentorum, & octodecim Epiſcoporum damnata eſt, eodem ſæculo hæreſis Macedonij contra Spiritum Sanctum per Concilium Conſtantinopolitanum, iudicata, ac damnata fuit: quinto ſæculo hæreſis Neſtorij contra Chriſtum, & eius diuinitatem condemnata eſt in Concilio Epheſino, & Paulo poſt hæreſis Eutychetis in Concilio Calcedonenſi, & ſic alijs ſucceſſiue ſæculis factitatum: cui ergo hic in præſenti articulo credendum potius,an ſcripturæ toti eccleſiæ, & illius continuæ praxi, an vero turbulentiſſimo cerebro Lutheri, Caluini, & ſequacium? videat id Chriſtianus quilibet de ſua ſalute ſollicitus.

ARTICVLVS III.

Eccleſiam eſſe Iudicem probant, tum Patres, tum rationes Theologicæ.

IRenæus lib.3.c.3.*Ad hanc Eccleſiam propter potentiorem principalitatem neceſſe eſt omnem conuenire Eccleſiam, hoc eſt omnes qui ſunt vndiq; fideles in qua ſemper conſeruata eſt, ea quæ eſt ab Apoſtolis traditio.*Gregorius Nazianzenus oratione qua ſe excu-

lat

ſat quod ab eccleſiaſtica iuriſdictione abſtinuerit, *Vos oues nolite paſcere Paſtores, neque ſuper terminos eorum eleuamini, ſatis enim eſt ſi recte paſcimini, nolite iudicare Iudices, nec legem feratis legis latoribus.* Cyprianus lib. 1. epiſt. 3. *Non enim aliunde hæreſes obortæ ſunt, aut nata ſunt ſciſmata, quam inde quod Sacerdoti Dei non obtemperatur, nec vnus in eccleſia ad tempus Sacerdos, & ad tempus vice Chriſti cogitatur.* Ambroſius Epiſt. 32. ad Valentinianum iuniorem *At certe ſi ſcripturarum ſeriem diuinarum, vel vetera tempora retractemus, quis abnuat in cauſa fidei, in cauſa inquam fidei Epiſcopos ſolere de Imperatoribus Chriſtianis, ideſt de fide eorum, non Imperatores de Epiſcopis ideſt eorum fide iudicare,* & infra *ſi conferendum de fide, ſacerdotum debet eſſe iſta collatio, ſicut factum eſt ſub Conſtantino Auguſtæ memoriæ Principe, qui nullas leges ante præmiſit, ſed liberum dedit Sacerdotibus iudicium.* Denique Auguſtinus ſupracitatus lib. 10. contra Creſconium capit. 33. *Quisquis falli metuit huius obſcuritate quæſtionis eccleſiam de illa conſulat, quam ſine vlla ambiguitate ſcriptura ſacra demonſtrat.* Quorum omnium iudicium præferendum vtique inſaniæ, & vertigini nouatorum omnia ſuſque deque confundentium, & Tribunal eccleſiæ in ſingulos, ſingulaſque deuoluentiũ.

Vnde ex dictis ſic diſcurro, vel Aduerſarij admittunt viſibilem Chriſti eccleſiam eſſe controuerſiarum iudicem, vel non? ſi admittunt, certe iam eccleſia illos condemnat, ſi non admittunt, ergo negant ſcripturam, quæ id probat vt vidimus, negant praxim, & legem latam de hac re in veteri, & nouo Teſtamento, negant conſuetudinem primitiuæ eccleſiæ, atque adeo videntur aſſerere Arium, Neſtorium, Macedonium, Eutycheтem iniuſte fuiſſe damnatos, & conſequenter non fuiſſe hæreticos, quatuor illa concilia non habuiſſe authoritatem definiendi ea quæ decreuerunt, proinde hæreſes per illa condemnatas iterum debere reuocari in dubium an ſint hæreſes,

reſes,& ſic dubitari an Chriſtus ſit verus Deus, & verus homo, an Spiritus ſanctus ſit Deus, an Bea ta Virgo fuerit Mater Dei, ſi autem habuerint illa concilia authoritatem iudicandi, ergo datur talis poteſtas in eccleſia.

Arguo ſecundo, & quæro vel agnoſcunt Sectarij aliquem iudicem vel non ſi nullum, cur ergo turbant Rempublicam Chriſtianam in lite, cuius nullum Iudicem admittunt, qui cauſam audiat? ſi aliquem Iudicem admittunt,peto quis ſit? certe non ſcriptura,non ſpiritus priuatus, non quilibet Sutor, Sartor,Baiulus, Cerdo,non quælibet muliercula, ergo erit Tribunal eccleſiæ.

ARTICVLVS IV.

Omnes Chriſtiani tenentur ſub damnationis æternæ pœna obedire definitionibus eccleſiæ.

PRobatur, omnes Chriſtiani tenentur obedire Eccleſiæ, ergo tenentur obedire eius definitionibus, probatur antecedens Matth. 18, verſ. 18. *Dic eccleſiæ, ſi eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus, & publicanus.* Conſequentia probatur ex illo Matth. 23 verſ. 2. *Super cathedram Moyſi ſederunt Scribæ, & Phariſæi omnia ergo quæcumque dixerint vobis ſeruate & facite.* Hic Chriſtus loquitur de definitionibus eccleſiæ: atqui Ethnicus, & Publicanus non poſſunt ſaluari qua tales,ergo ſub damnationis æternæ pœna tenemur obedire præceptis, & definitionibus eccleſiæ, vel enim audienda eſt eccleſia vel non? ſi non,ergo non erit audiendus Chriſtus,qui ſub interminatione mortis æternæ id præcipit dicens,eos hebendos vt Ethnicos,& Publicanos, qui ſaluari vtique nequeunt vt dixi: ſi autem audienda eſt eccleſia,audiendæ erunt definitiones illius.

Probatur ſecundo à pari ex Deuteronomio 17. verſ. 10. *Facies quodcumque dixerint tibi, qui præſunt*

loco, quem elegerit Dominus, ſequeriſque ſententiam eorum, qui autem ſuperbierit nolens obedire Sacerdotis imperio, & decreto Iudicis, morietur homo ille, hanc eandem pœnam comminatur Chriſtus loco citato, *Erit ſicut Ethnicus, & Publicanus* ideſt obnoxius morti æternæ, & Lucę 10. *Qui vos audit, me audit, qui vos ſpernit, me ſpernit*. Sed qui ſpernit Chriſtum, damnationem ſibi acquirit, ergo qui ſpernit definitiones eccleſiæ, exponit ſe damnationi æternæ; nec valet dicere audiendam eccleſiam dum recitat ex lege vel Verbo Dei ſcripto, tum quia hæc diſtinctio nullibi habetur in ſcriptura, tum quia multæ quæſtiones mouentur de verbo Dei v. g. de Canone, numero, integritate, & ſenſu eius, quæ nequeunt reſolui ex ipſo verbo Dei ſcripto.

Probatur 3. Act. 15. verſ. 41. *Paulus vero electo Sila profectus eſt; Perambulabat autem Syriam, & Laodiceam confirmans eccleſias, præcipiens cuſtodire præcepta Apoſtolorum, & ſeniorum*. Ea ſcilicet quę erant decreta in eodem capite vel ergo tenebantur tunc fideles obedire definitionibus iſtius Concilij vel non? ſi non, qua ergo authoritate Paulus præcipiebat illa obſeruari, ſi fideles non tenebantur parere? quod cum pręceperit, ſciebat certe fideles obligari ad obediendum iuxta illud ad Hebræos 13. verſ. 17. *Obedite præpoſitis veſtris, & ſubiacete eis*, ad Rom. 13. verſ. 1. *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit, non enim eſt poteſtas niſi a Deo*. Sed poteſtas eccleſiæ eſt à Deo, *Dic eccleſiæ*, & inquit Apoſtolus ibidem, *Qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit, qui autem reſiſtunt, ipſi ſibi damnationem acquirunt*. Ergo qui reſiſtunt poteſtati eccleſiæ, ſibi damnationem æternam acquirunt, ergo ſicut obligant, & obligabant definitiones primitiuæ eccleſię, ita obligant definitiones eccleſię ipſi ſuccedentis, cum non ſit potior ratio, de illa quam de hac, cum tam hæc, quam illa ſit vera Chriſti eccleſia.

ARTICVLVS V.

Soluuntur obiectiones contra prædicta.

OBijcies primo, eccleſiam eſt congregatio hominum fallibilium iuxta pſalm. 101. *Omnis homo mendax*; ergo eccleſia non poteſt eſſe competens Iudex controuerſiarum. Reſpondeo idem poſſe obijci concilio Apoſtolorum, & concilio Niceno, Conſtantinopolitano, Epheſino, Calcedonenſi, cum omnes congregati in illis concilijs fuerint homines, & tamen ſine dubio habuerunt infallibilem authoritatem definiendi res fidei, ob infallibilem aſſiſtentiam Chriſti & Spiritus ſancti; verum quidem eſt homines in particulari eſſe fallibiles, vt tamen congregantur in concilio Oecumenico, habent aſſiſtentiam Spiritus ſancti, ſub qua non ſunt obnoxij erroribus, deinde ſi quid concludit hæc obiectio, concludit etiam Aduerſarios nullam habere infallibilitatem, proinde nullam certitudinem ſuæ Religionis, nullam fidem.

Objicies ſecundo, ſi eccleſia eſſet Iudex controuerſiarum, vel legitimi ſenſus ſcripturæ ſequeretur eccleſiam eſſe ſupra ſcripturam. Reſpondeo retorquendo argumentum, concilium Apoſtolorum iudicauit controuerſias ortas de legabilibus ex ſcriptura deſumptas, fuit ne ergo concilium illud ſupra ſcripturam, iuxta quam tamen litem deciderat? ſic item fecit concilium Nicænum, Epheſinum, Calcedonenſe, examinarunt, an Arius, Neſtorius, Eutyches melius perceperint ſenſum ſcripturæ quam Patres Orthodoxi, fueruntne idcirco hęc concilia ſupra Verbum Dei? erraruntne in declarando myſterio Trinitatis, Incarnationis, exponendo legitimum ſcripturæ ſenſum? item in Deuteronomio citato ordinatur vt Sacerdotes iudicarent de controuerſijs ortis de ſenſu, vel quęſtionibus legis, fuerunt

ne tamen ſupra ſcripturam? ſic iudices ciuiles de lege iudicant, non ſunt tamen ſupra leges; ſic Cancellarius ſubſcribit regis diplomati, nec tamen prætenditur eſſe ſupra regias litteras, eodem modo procedit hodie eccleſia iudicando de ſenſu ſcripturæ, & controuerſijs inde natis, ipſa tamen ſcriptura ipſis eſt præfixa tanquam norma, ſicut lex iudici, ſed numquid ipſi ſectarij prætendunt de ſcriptura iudicare an melius intelligatur ab ipſis, quam à Romano Catholicis? ergo ſi quid valet hæc obiectio ipſi etiam ſunt ſupra ſcripturam.

Obijcies Tertio quomodo noſtra eccleſia, ſit v.g. Romana, poterit eſſe Iudex controuerſiarum cōtra Lutherum Caluinum, & ſequaces, ſi ipſa ſit pars? Reſpondeo quomodo primitiua eccleſia fuit Iudex contra eos qui Act. 15. Turbabant fratres quod deberent circumcidi, quomodo ſuccedens eccleſia fuit iudex contra Arium, Neſtorium, Macedonium, quando fuit ſimiliter pars, vnde dico principem litigantem, cum ſubditis rebellibus, non poſſe vocari partem, ſicut nec Chriſtus diſputans cum Iudæis fuit pars, ſed legitimus iudex, ſic eccleſia diſputat, & litigat tanquam legitimus iudex cum ſuis ſubditis rebellibus.

Obijcies 4. ſi eccleſia in decidendis controuerſijs eſt infallibilis, ergo fruſtra tunc fieret recurſus ad ſcripturam vel traditiones cum ſufficeret definitio eccleſiæ. Reſp. eſto ſit infallibilis, non poſſe tamen definire, niſi explorata prius reuelatione Diuina facta in Verbo Dei ſcripto, vel tradito. Dices ergo in hac vita inueniuntur homines in fide confirmati vt errare non poſſint, quod proprium fuit Chriſti tantum & Apoſtolorum. Reſp. priuilegium eorum fuiſſe perſonale ſimul & ſeorſim quoad ſingulos, Epiſcoporum vero priuilegium non eſſe ſeorſim, ſed quatenus tantum repręſentant eccleſiam in concilio Oecumenico, quod innuit Chriſtus Matth. 18. *Vbi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, ibi ſum in me-*

medio; Vbi requirit quod congregentur ipſius authoritate relicta eccleſiæ.

Inſtabis contra articulum quartum, Paulus poſt decreta concilij Ieroſolymitani circumcidit Timotheum, ergo decreta conciliorum poſſunt violari. Reſp. Paulum neceſſitate compulſum,& ob bonum finem id feciſſe,vt ita paulatim lex vetus ſepeliretur, & nòn adeo violenter expelleretur & ſic facilius Iudæi allicerentur ad fidem Chriſti videntes Timotheũ ex muliere Hebræa natum circumcidi, cuius rei ratio datur *Act.16.*

Inſtabis 2. olim peractis concilijs rogabantur particulares eccleſiæ; acceptare definitiones conciliorum; ergo ex ſe non ſunt tantæ authoritatis vt obligent. Reſp.obiectionem probare tantum quod illæ definitiones non obligent ante promulgationem factam à regni vel patriæ primate, vel Archiepiſcopo, qua facta vtique particulares eccleſiæ tenentur obedire, ſic ipſa lex Euangelica requirebat ſui promulgationem primo publicè in die Pentecoſtes, deinde prædicationem Apoſtolorum vbique terrarum. Definitiones autem fidei factæ in concilijs vbique per totam eccleſiam obligant, definitiones autem quæ concernunt mores, cum tantum obligent iuxta temporis, loci,& perſonarum conditionem, hinc eſt quod vbique & ſemper non obligent, ſed prout concurrunt prædictæ circumſtantiæ, quare Canones Concilij Tridentini quæ mores tantum concernunt, non ſunt vbique obſeruati vel acceptati v.g. in Gallia, Germania, & alijs quibuſdam locis, cum hic & nunc obſtent aliquæ ex prædictis circumſtantijs,ne poſſint tam commode obſeruari, definitiones autem fidei ibidem editæ ab omnibus vbique catholicis obſeruantur.

QVÆSTIO V.

De conditionibus & reſolutione actus fidei.

ARTICVLVS I.

De duplici obiecto & motiuo fidei.

OBiectum fidei eſt duplex, materiale ſcilicet & formale, obiectum materiale eſt ipſa res credenda, vt v.g. omnes veritates contentæ in ſcriptura, & traditione Diuina, omnes articuli contenti in ſymbolo Apoſtolorum, decem præcepta decalogi, hęc inquã omnia ſunt obiecta materialia fidei, circa quę exercetur fides, obiectum verò formale eſt ratio, propter quam credimus hæc ipſa obiecta materialia, & hoc obiectum formale eſt authoritas Diuina reuelans: ſecundo poteſt conſiderari obiectum fidei dupliciter, vnum euidens, clarum, ſcibile ex propria exiſtentia viſibile, alterum ineuidens, obſcurum ſub teſtimonio alterius credibile, quale eſt omne obiectum materiale fidei, primum eſt eccleſia Catholica euidenter & clarè approbans vel applicans, & authẽtice proponens credibilia de neceſſitate ſalutis, vt à Deo reuelata: ſecundum obiectum vt dixi ſunt ipſamet credenda, vt à Deo reuelata ſub Teſtimonio viſibili ipſius eccleſiæ.

Hinc duplex etiam eſt motiuum fidei, aliud intrinſecum, aliud vero extrinſecum: motiuum intrinſecum, ſeu ratio formalis, qua mouetur intellectus ad aſſentiendum, eſt ſuprema & infallibilis authoritas ſeu veritas Diuina reuelans, de qua Apoſtolus 1. ad Corinth. 2. verſ. 4. *Sermo meus & prædicatio mea, non in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis, ſed in oſtenſione Spiritus & virtutis, vt fides veſtra non ſit in ſapientia hominum, ſed in virtute Dei* 1. ad Theſal. 2. *Cum accipiſſetis à nobis verbum auditus Dei,* acce-

accepiſtis illud, non vt verbum hominum, ſed ſicut vere eſt Verbum Dei. Matth. 16. verſ. 17. *Beatus es Simeon Bariona, quia caro & ſanguis non reuelauit tibi, ſed Pater meus qui in Cœlis eſt.*

Motiuum extrinſecum, eſt authoritas eccleſiæ infallibiliter proponentis reuelationem Diuinam & hæc authoritas ſe habet inſtar conditionis approbantis authorizantis, teſtificantis, & applicantis myſterium reuelatum; vnde Teſtimonium eccleſiæ eſt neceſſarium ad credendas res à Deo reuelatas, & ſub hoc teſtimonio regulariter Deus Teſtis veraciſſimus in dicendo pręciſe, mouet noſtrum intellectum ad actualem aſſenſum, quaſi non moueretur tam rite à Deo ipſo dicente & reuelante, niſi eccleſia viſibilis authentice teſtificaretur Deum hoc reuelaſſe; vnde ſicut ad agendum, duo requiruntur ſcilicet principium, ſeu virtus agendi, & conditio determinans & applicans agens proxime ad agendum, ſic ad aſſenſum fidei, duo concurrunt, nempe principium proximum, motiuum intrinſecum, & eſt ſuprema infallibilis veritas Diuina reuelans, conditio agentis eſt teſtimonium eccleſiæ viſibilis determinans, & applicans illud principium vt proxime moueat, & de hoc eccleſiæ teſtimonio loquitur Apoſtolus ad Epheſ. 4. *Et ipſe dedit quoſdam Apoſtolos, alios autem Paſtores & Doctores, vt non ſimus paruuli fluctuantes & circumferamur omni vento doctrinæ.* Quare ſicut ab initio Deus regulariter hominibus locutus eſt per homines Lucæ 1. *Sicut locutus eſt per os Sanctorum, qui a ſæculo ſunt Prophetarum eius*; Ita nouiſſime diebus iſtis nobis locutus in filio ordinauit, vt verbum ſuum nobis proponeretur per teſtes ſenſibiles, *Prædicate Euangelium omni creaturæ* Marc. 16. *Eritis mihi Teſtes vſque ad vltimum terræ* Act. 1.

Duplex item in eccleſia conſideratur authoritas vna eſt humana de qua loquitur D. Auguſt. contra Epiſt. fundament. *Multa me tenent in eccleſia, tenet conſenſus Populorum, tenet ſucceſſio Epiſcoporum.*

alia eſt Diuina de qua loquitur Apoſt. 1. ad Tim. 3. *vt ſcias quomodo oporteat te conuerſari in Domo Dei, quæ eſt eccleſia Dei viui columna & firmamentum veritatis*. Et ipſe Aug. loco ſuperius citato. *Euangelio non crederem niſi me Catholicæ eccleſiæ commoueret authoritas*, eccleſia ergo pollens hac authoritate, tam diuina quàm ſenſibili humana & externa in ratione proponentis, erit maximum & quaſi vltimum fundamentum fidei.

ARTICVLVS II.

De conditionibus ad actum fidei requiſitis, eiuſque reſolutione.

NOta ex Abellij quinque conditiones requiri ad hoc vt actus fidei in praxim redigatur quarum vel vna deficiente tota fides deficit, prima eſt vt ſit actus deliberatus à libera voluntatis electione procedens, quod eſt commune cum aliarum virtutum actibus, 2. vt habeat pro obiecto veritatem aliquam à Deo reuelatam, ſiue per ſcripturam ſacram, ſiue per traditionem, aliæ autem veritates quæ a Deo reuelatæ non ſunt, quantumuis ad pietatem faciant, ad obiectum tamen fidei non pertinent, & actus circa illas verſantes, non ſunt fidei diuinæ. Tertio vt intellectus aſſentiatur veritati reuelatæ à Deo propter authoritatem ipſius Dei reuelantis, ſi enim id faciat ob aliquam rationem credibilitatis, iam non eſt actus fidei diuinæ, quę ſola Dei authoritate nititur, non verò vlla ratione.

Quarta vt firmiter & ſine vlla dubitatione aſſentiatur, alias ſi dubium admittat, aſſenſus ille non nitetur reuelatione diuina, vel ſi innititur, grauiſſimam Deo iniuriam inferret, cuius veracitatem in dubium verteret. Quinta vt veritas à Deo reuelata ab eccleſia proponatur, cuius conditionis defectu fides hęreticorum non eſt fides diuina; nam eſto cre-

dant

dant plura myſteria, quia tamen ea non credunt vt propoſita ab eccleſia, hinc fide tantum humana credunt, addunt alij ſextam conditionem vt fides referatur in Deum, quod eſt verum de fide viua.

His præmiſſis quæritur in quod vltimo ex parte obiecti debeat reſolui actus fidei diuinæ, ſeu ad quod principium reuocari debet, vt vlterius non progrediatur v.g. quando petitur à te cur credis Verbum Dei fuiſſe Incarnatum? in quod vltimo reſoluitur tua fides de Diuino myſterio? ſi ergo quæratur à te cur credis Trinitatem, ideſt firmiter ex parte obiecti? Reſp. quia Deus reuelauit: ſi fiat inſtantia vnde ſcis Deum reuelaſſe? Reſp. quia habetur ex ſcriptura vel diuina traditione: ſi petatur rurſus, cur credis huic ſcripturæ vel traditioni? Reſp. quia eam eccleſia agnoſcit, & credendam nobis proponit: ſi quæratur iterum cur credis eccleſiæ & vnde ſcis eam non falli in ſuis propoſitionibus? Reſp. ex ſcriptura te id habere quę infallibilem eccleſiæ authoritatem hucuſq; probauit. Reſponderi etiam poteſt 2. eccleſiæ infallibilitatem nobis conſtare ex diuinis traditionibus nobis ab Apoſtolis de manu in manum tranſmiſſis, & teſtantibus infallibiliter has eſſe ſcripturas canonicas quibus, non per circulum, ſed per regreſſum probamus pariter eccleſiam eſſe infallibilem, non inquam committitur circulus, cum id fiat diuerſa ratione, nam ratio reddita per reuelationem eſt ratio per cauſam, ratio reddita per propoſitionem & teſtificationem eccleſiæ eſt ratio per conditionem; ſi denique quæratur cur credis hanc & non aliam eſſe veram Chriſti eccleſiam, Reſp. quia habet notas veræ eccleſiæ, infra diſt. 5. & 8. allegatas & probatas: quia igitur lis noſtra eſt cum hæreticis, qui ex duobus de quibus loquimur, vnum admittunt, nempe Biblia, hinc contra eos facile ex ſcriptura probamus eccleſiam; ſi autem diſputaremus cum alijs quibus æque ignota eſſet ſcriptura ac eccleſia; vtique alia via cum ipſis procedendum eſſet, nempe per illa credi-

dibilitatis motiua, quibus conuinci poſſent chriſtianam religionem eſſe cæteris omnibus eligibiliorem. Sed fuſius de hac re infra diſt. 8. quæſt. 1. art. 1. & 2.

Inſtabis contra prædicta ſi nos credimus ſcripturas noſtras verbum Dei eſſe propter authoritatem eccleſiæ infallibilis; ergo credimus propter motiuum humanum, adeoque fides noſtra non diuina ſed humana erit. Reſp. nos credere ſcripturas verbum Dei eſſe, & in illo ſenſu quo eccleſia definit intrinſece propter reuelationem diuinam, quæ eſt obiectum formale intrinſecum, & ſupernaturale fidei, extrinſece vero, ſeu per modum medij, inſtrumenti, & conditionis, ſine qua non applicantis, atteſtantis & proponentis propter authoritatem eccleſiæ, eo modo quo gentes & Apoſtoli primo crediderunt Chriſtum Meſſiam eſſe, intrinſece ſcilicet propter veritatem diuinam reuelantem, extrinſece vero ob viſa miracula Ioan. 10. *Si mihi non vultis credere, operibus credite.* & Ioan. 20. *Quia vidiſti me Thoma credidiſti*, viſio autem talis fuit naturalis, ſicut potentia viſiua à qua procedit, atque adeo motiuum intrinſecum eſſe non potuit, fuit tamen motiuum extrinſecum, conditio ſine qua non gentes non crederent.

Sic eccleſia humana & naturalis coniuncta cum prouidentia Diuina præſente ſemper ipſi per aſſiſtentiam ſpecialem Chriſti & Spiritus ſancti eſt infallibilis & ſufficiens ratio extrinſeca credendi ſcripturas eſſe verbum Dei, vnde ſic etiam vitatur circulus dum credo ſcripturas verbum Dei eſſe, propter veracitatem diuinam reuelantem vt obiectum formale intrinſecum, Deum autem reuelaſſe hoc verbum credo extrinſece propter authoritatem eccleſiæ proponentis infallibiliter, ſine qua credere non potui, cum reuelationem ipſam diuinam per me non audiuerim, ſicut audierunt Apoſtoli, qui non propter eccleſiam ſed extrinſece propter miracula, intrinſece ob reuelationem diuinam crediderunt.

DISTINCTIO V.

De notis, ſeu ſignis veræ Eccleſiæ.

HActenus probaui dari in hoc orbe veram, viſibilem, perpetuam indefectibilem, ac infallibilem Chriſti eccleſiam, quæ ſit regula infallibiliter proponens doctrinam reuelatam & eius legitimum ſenſum, quæque ſit Iudex omnium controuerſiarum, quæ in rebus fidei oriuntur, modo videndum quibus notis ſeu ſignis innoteſcat humano generi hæc eccleſia.

QVÆSTIO I.

De his notis in communi.

ARTICVLVS I.

Referuntur, & refelluntur notæ a Sectarijs aſſignatæ.

CVm Sectarij viderent eas notas, quæ in ſymbolo Conſtantinopolitano ſunt, prætentis eccleſijs ſuis nullo pacto conuenire poſſe, priuatæ conſcientiæ remorſu vexati, alias ſibi neceſſario quærendas, ac fingendas eſſe iudicarunt, multas proinde aſſignant notas; Lutherus ſeptem, Centuriatores ad quatuor eas reducunt, alij vt Caluinus ad duas reducunt, nempe ad puram doctrinam & legitimum Sacramentorum vſum.

Contra 1. hæc ſententia reijcitur ex facto hæreticorum noſtri temporis. Lutherani Caluiniſtas, Caluiniſtæ Lutheranos, Lutherani & Caluiniſtæ Anabaptiſtas habent pro hæreticis, quælibet ſecta ex his ſtatuit apud ſe veram eccleſiam, quia apud ſe prætendit eſſe puram doctrinam, & legitimum Sacra-

cramentorum vſum;contra hæreticos catholici apud ſe puriſſimam doctrinam & legittimum vſum Sacramentorum probant, vel ergo omnes erunt veræ eccleſiæ, vel non ? non primum, quia ſingulæ alteri contradicunt,& oppoſita ſtatuunt principia;ſi ſecundum, ergo pura doctrina & legitimus Sacramentorum vſus non poſſunt eſſe notæ veræ eccleſiæ prius enim conſtare debet apud quos ſit hæc doctrina & hic vſus,vt ſciamus apud quos ſit vera eccleſia, ergo aliquid prius requirendum eſt per quod ſciamus apud quos ſit hæc doctrina & vſus.

Hanc autem quæſtionem dirimere non poſſunt hæretici, ſi quærimus enim vbi eſt vera eccleſia reſpondent vbi eſt pura doctrina & rectus vſus Sacramentorum: petimus rurſus vbi eſt ſincera doctrina, & rectus vſus Sacramentorum ? Reſpondent vbi eſt eccleſia. En circulus,& obſcurum per æque obſcurum,eo plane modo quo quærerem à ſectario vbi eſt domus tua ? & ille diceret illic eſt vbi ego habito: rurſum petenti vbi habitas?reſponderet habito domi meæ, eat nunc qui voluerit & inueniat ſi poſſit domum illius nugatoris:ſed eſto daremus has eſſe competentes notas eccleſiæ,quid inde euincent ? an forte putant per illas, ſuas prætentas eccleſias deſignari, ſed antequam Cadmæi illi fratres adoriantur Catholicos curent vulnera ſua inteſtinum & pluſquam ciuile inter ſe bellum ſopiant, componant ſua grauiſſima diſſidia ; ſi enim cum iſtis progrediamur vlterius, apud quos eſt pura doctrina & rectus vſus Sacramentorum? Reſp. Lutherani apud ſe, Caluiniſtæ apud ſe, & ſic de reliquis: nunc Caluiniſtæ perſuadeant Lutheranis,Anabaptiſtis, Tremulis Anglicanis, vt ad Caluiniſmum tranſeant, idem perſuadeāt Proteſtantes Puritanis,Tremulis,&Caluiniſtis.

Addunt alij ſinceram prædicationem,& legitimam Miniſtrorum electionem, contra hanc & duas prædictas euaſiones iterum inſto quia obſcurum per æque obſcurum declarat, deinde omnes apud ſe

hæc

hæc eſſe prætendunt, Catholici, Lutherani, proteſtantes, Puritani Caluiniſtæ Tremuli, hæc autem omnia ſcilicet pura doctrina, ſincera prædicatio, rectus vſus Sacramentorum, & legitima Miniſtrorum electio difficilius cognoſcuntur quam quæ ſit eccleſia, ob diſſidia ſingularum ſectarum vnde per hæc eſt impoſſibile oſtendere eccleſiam Turcis, Hebræis, Paganis qui æque ignorant iſta omnia, ac ipſam eccleſiam, quæreret enim Hebræus, Paganus, Turca, quid ſunt iſta Sacramenta? quæ iſta pura doctrina, vel prædicatio? qui Miniſtri? diceret ſectarius ſunt illa omnia quæ inueniuntur in vera eccleſia, opponeret Turca, vel Paganus, quæ eſt iſta eccleſia? quo perçgeret iam ſectarius.

Denique vrgeo contra prædictas notas nam eccleſia eſt notior pura doctrina, quia quod doctrina ſit pura, & incorrupta dependet ab eccleſia cuius eſt puram doctrinam proponere, nam eccleſia eſt teſtis, cuſtos & prçco verbi Dei: ergo ad eccleſiam recurrendum eſt pro veritate & puritate doctrinę, deinde legitimus Sacramentorum vſus pendet à legitimis Miniſtris & eorum legitima electione, hçc autem pendet ab eccleſia, ergo prius debet cognoſci eccleſia quam qui ſint legitimi Miniſtri, item ſincera prçdicatio ſupponit miſſionem, miſſio ſupponit eccleſiam veram; ergo prçdicatio eſt poſterior eccleſia vera, ſi quidem eccleſia eſt prior miſſione, & miſſio prædicatione, *Quomodo audient ſine prædicante, quomodo prædicabunt niſi mittantur?* vnde vt cognoſcamus an verus ſit prædicator, & veram tradat doctrinam, debemus cognoſcere an ſit verè & legitime miſſus à vera & legitima eccleſia; ergo prius quam accipiatur prçdicatio, agnoſci debet vera eccleſia. Deinde rectus Sacramentorũ vſus aſſignatus pro nota eſt abſtractus; quæro quorum Sacramentorum? baptiſmi, & cœnę inquiunt Lutherani & Caluiniſtę, ſed quomodo erit rectus vſus, ſi fidem in pueris admittit Lutherus, negat Caluinus? ſi in ipſis Sacramen-

men-

mentis non conueniunt, nec idem omnes de cœna ſentiunt ſectarij, ergo nondum nobis aſſignant veras notas.

ARTICVLVS II.

Aſſignantur conditiones veræ notæ, & oſtenditur quibus ſignis melius dignoſcatur Eccleſia.

ADuerte notas eccleſiæ, non eſſe ad hoc vt cognoſcatur eccleſiam eſſe euidenter veram, ſed vt oſtendatur eſſe euidenter credibile, illam eſſe veram Dei eccleſiam, aliud enim eſt eſſe euidenter verum; aliud euidenter credibile, euidentia veritatis naſcitur vel ex ipſa re, vel ex eius intrinſecis principijs, euidentia credibilitatis oritur ex teſtimonijs, & ſignis adeo claris, vt eis quilibet prudens & doctus poſſit moueri ad credendum, v. g. ſi quis vidit hominem vulnerari, deinde mori, habet euidentiam veritatis circa homicidam; ſi tamen non vidit vulnerari hominem, qui mortuus eſt, ſed habet Teſtes legitimos quibus conuincitur homicida, non habet euidentiam veritatis, ſed credibilitatis, talem per ſigna aliqua habemus de eccleſia.

Hinc tres requiruntur conditiones ad conſtituendam verã notam, prima eſt vt ſit propria rei diſcernendę, non communis, ideſt vt conueniat verę eccleſię, & ſoli verę eccleſię, ſi enim fuerit communis verę & falſę eccleſię, non poteſt eſſe nota diſcretiua, in eo enim in quo aliqua duo conueniunt non diſcernuntur, hinc Petrus non diſcernitur à Paulo per riſibilitatem, neque per hoc quod eſt habere duos pedes, aut duas manus, quare debet nota eſſe propria, & illi rei ſoli conueniens, ideoque non ſolum ſecundum veritatem, ſed etiam ſecundum opinionem.

Se-

Secunda conditio eſt vt nota ſit notior & facilior cognitu, re notificata, vt ſignum eſt notius ſignificato, patet, quia ideo eſt ſignum & nota quia oſtendit notificatum, & ſignificatum latens; Tertia vt ſit inſeparabilis à vera eccleſia, ita vt non poſſit vera eccleſia eſſe ſine illis uotis, nam ſi ſeparabiles eſſent, non eſſent propriæ, & poſſet vera eccleſia ſine illis eſſe vera, atque adeo illę notę poſſent etiam falſæ conuenire, ex quo tantum ab eſt vt eſſet nota diſcretiua verę à falſa eccleſia; quin potius eſſet confuſiua vtriuſque, habituram fuiſſe eccleſiam eiuſmodi notas, quę eam oſtendant & exponant omnium oculis, probat Iſaias cap. 61. verſ. 9. citato á Chriſto Domino Lucę 4. verſ. 21. *Fœdus perpetuum feriam eis, & ſcient in gentibus ſemen eorum, & germen eorum in medio Populorum, omnes qui viderint eos cognoſcent illos, quia iſti ſunt ſemen cui benedixit Dominus.* Ergo vera Chriſti eccleſia habet ſua ſigna diſtinctiua ab eccleſia malignantium, alioquin ſi non poſſet vera Chriſti eccleſia per manifeſta quędam ſigna dignoſci, quomodo poſſet genus humanum ad agnitionem veritatis venire?

Quia autem omnis quęſtio vnum querit, & aliud ſupponit, iam ex dictis ſupponimus ſufficienter probatum dari in Terris veram Chriſti eccleſiam omnibus conſpicuam, iuxta etiam illud Iſaię 35. verſ. 8. *Hæc erit vobis directa via ita vt ſtulti non errent per eam.* Multi multas notas aſſignant, ſed omnes reduci poſſunt ad has quatuor tanquam omnium certiſſimas, & clariſſimas aſſignatas in ſymbolo Conſtantinopolitano, quę ſunt, *Vna, ſancta, Catholica, & Apoſtolica*, & has eſſe adæquatas & ſufficientes nec plures, nec pauciores requiri ſufficiat illius Concilij Oecumenici authoritas, ſtatuentis de fide has quatuor notas, cui nullum aliud Oecumenicum concilium in hac definitione contradixit, deinde id ipſum ſentit D. Aug. lib. contra Epiſt. fundament. cap. 9. *Multa ſunt alia quæ in eius:* (Eccleſiæ ſcilicet.)

Gre-

Gremio me iuſtiſſime tenent, tenet conſenſio Populorum, atque gentium; ecce vnitatem; *tenet authoritas miraculis inchoata, ſpe nutrita vetuſtate firmata,* en Sanctam *tenet ab ipſa ſede Petri ſucceſſio Sacerdotum:* en Apoſtolicam, *tenet poſtremo ipſum Catholicæ nomen,* en Catholicam.

QVÆSTIO II.

Vnitas eſt infallibile ſignum veræ Eccleſiæ.

VNitas eccleſiæ conſiſtit in tribus nempe in fide, communione Sacramentorum, & obedientia erga Paſtores eccleſiæ. Hanc vnitatem ex triplici iſto capite ortam, inſinuat Chriſtus Ioan. 10. ver. 16. *Fiet vnũ ouile & vnus Paſtor*, & Apoſtolus ad Rom. 12. verſ. 4. *Sicut enim in vno corpore multa membra habemus, ita multi vnum corpus ſumus in Chriſto.*

ARTICVLVS I.

Vnitas Eccleſiæ conſiſtit in vnione fidei, communione charitatis, & Sacramentorum, & obedientia membrorum ad Paſtores.

Vnitas fidei Probatur.

IOan. 17. verſ. 20. *Non pro eis autem rogo tantùm, ſed & pro eis qui credituri ſunt per verbum eorum in me vt omnes vnum ſint, ſicut tu Pater in me, & ego in te vt ipſi in nobis vnum ſint, vt ſint vnum ſicut & nos vnum ſumus*, nempe eo modo quo dicitur Act. 2. verſ. 32. *multitudinis credentium erat cor vnum & anima vna*; ad Epheſ. 4. verſ. 4. *Vnum corpus & vnus ſpiritus ſicut vocati eſtis in vna ſpe vocationis veſtræ, vnus Dominus vna fides, vnum baptiſma, vnus Deus & Pater omnium* & infra verſ. 13. *donec occurramus*

omnes

omnes in vnitatem fidei ſecundæ ad Corinth.4.v.13. *habentes eundem ſpiritum fidei* ad Titum 1. verſ. 4. *Tito dilecto filio ſecundum communem fidem* ad Philippenſes 3.verſ. 16. 16. *veruntamen ad quod peruenimus vt idem ſapiamus & in eadem permaneamus regula*.

Ex quibus ſic arguo impoſſibile eſt darī plures Deos, ergo ſtante comparatione Apoſtoli ibi facta ab vnitate Dei ad vnitatem fidei impoſſibile eſt fidem diuinam eſſe multiplicem, ita vt ex fidelibus vnus credat diuerſum quid ab alio 2. baptiſma ita eſt vnum vt vbicumque ſit ſemper debeat conferri ſecundum eandem formam, & eandem materiam, ſic fides debet eſſe vna, vt eoſdem articulos eadem myſteria, debeant fideles vbique credere, deinde idem corpus ſic debet eſſe vnum numero, vt nequeat eſſe multiplex, ergo eadem fides Chriſti ſic debet eſſe vna vt non ſit multiplex ac diuerſa & ſicut in vno Corpore viuente eſt vna tantum anima, ita in corpore eccleſiæ debet eſſe vna tantum fides, quæ eſt illius forma, ergo non poſſunt dari plures eccleſiæ habentes diuerſam fidem; quod ſic probo, vel enim omnia eccleſiæ membra debent conuenire in eadem fide, in ijſdem myſterijs & articulis vel non? Si non ergo non recte ſupponit Apoſtolus locis citatis fidē debere eſſe vnam, ſicut vnus eſt Deus, vnum corpus, vnum baptiſma, ergo non ſupponit Chriſtus omnes qui credituri erant debere eſſe vnum vt ibi loquitur; ſi autem bene ſupponunt Chriſtus & Apoſtolus, ergo fides debet eſſe vna, ſicut vnum eſt baptiſma? nec vllus hanc vnitatem negare poteſt niſi merus proteruus, qui ex mera obſtinatione diceret melius eſſe ſciſma quam vnionem, præferendum eſſe barbarum tumultum, tranquillæ paci, diuiſionem vnitati, confuſionem ordini. Corruptionem integritati, malum bono, miſeriam fœlicitati, omnia ſurſque deque vertendo, vbi nota fidei vnitatem hic deſumi ab vnitate obiecti formalis ſcilicet veritatis diuinæ

reuelantis, quæ eſt motiuum intrinſecum fidei, hic autem dupliciter peccari poteſt, primo contra veritatem diuinam reuelantem. Secundo contra authoritatem eccleſiæ proponentem: contra veritatem diuinam quis peccat, dum non credit Deo dicenti Corpus Chriſti contineri ſub ſpeciebus conſecratis, putans hoc eſſe impoſſibile, & ſic diſſentiens, vni myſterio iam reuocat in dubium veracitatem diuinam, atque adeo ſi vel in vno puncto incipit vacillare iam diſſentit veracitati diuinæ, & penitus cadit à fide, nam vt eſſet vera fides, deberet inniti firmiter authoritati diuinæ reuelanti tanquam fundamento, ſed dubitans de hoc, vel illo puncto corruit de hac baſi, ergo iam non eſt vna, & vera fides quæ authoritati diuinæ non innititur.

Secundo modo peccari poteſt contra authoritatem eccleſiæ, quando ſcilicet non vult quis credere eccleſiæ proponenti hoc vel illud eſſe reuelatum à Deo, & ſic dum reuocat in dubium teſtimonium eccleſiæ atteſtantis & proponentis doctrinam reuelatam, tunc etiam reuocat in dubium totam eccleſiæ authoritatem, nam ſi diſſentis ipſi in vno, dicendo potuiſſe falli in hoc, conſequenter dubitas de ipſius authoritate, quare qui ab vnitate fidei deficit ad diuerſitatem opinionum, iam vnius eccleſiæ membrum eſſe nequit, qui vnam eccleſiæ fidem deſerens, diuerſa ſentit.

Probatur communio Charitatis, & Sacramentorum.

QVoad Charitatem probatur Ioan. 13. verſ. 35. *In hoc cognoſcent omnes quia diſcipuli mei eſtis, ſi dilectionem habueritis ad inuicem,* ad Epheſ. 4. v. 2. *Supportantes inuicem in charitate ſolliciti ſeruare vnitatem Spiritus in vinculo pacis.* Vbi enim non eſt vnio in fide non poteſt eſſe vnio in charitate, hæc enim coniungit Apoſtolus ad Gal. 5. verſ. 22. *gaudiũ, pax, manſuetudo, fides, modeſtia* 1. ad Corin. 5. ver. 11.

Sitis autem perfecti in eodem ſenſu & eadem ſententia. Vbi requirit Apoſtolus mutuum conſenſum in eadem ſententia, quoad Sacramenta autem, vnitati fidei adiungitur velut comes vnio Sacramentorum, ad Gal. 3. verſ. 26. *Omnes enim filij Dei eſtis per fidem quæ eſt in Chriſto Ieſu*, Scilicet in eiuſdem Sacramenti baptiſmi communi receptione, verſ. 27. *Quicumq; enim in Chriſto baptizati eſtis Chriſtum induiſtis*; In vno eodemque cibo 1. ad Corinth. 10. verſ. 17. *Quoniam vnus panis vnum Corpus multi ſumus, omnes qui de vno pane participamus.* Et omnes vnius eccleſiæ fideles vnum idemque de his Sacramentis debent ſentire & credere, non ita vt vnus ſic, unus autem ſic, vt tot ſint ſenſus, quot capita vt videmus apud ſectarios.

Probatur vnitas in obedientia erga Paſtores.

AD Epheſ. 4. verſ. 11. *Et ipſe dedit quoſdam Apoſtolos, alios autem Paſtores & Doctores, vt non ſimus paruuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ:* Ergo ſicut vnitas in fide, in communione charitatis, & Sacramentorum eſt infallibilis nota eccleſiæ, ita vnitas in obedientia erga Paſtores etiam erit infallibilis nota eccleſiæ, in hoc enim debet differre eccleſia Chriſti ab inferno, vbi nullus ordo, nulla ſubordinatio, ſed ſempiternus horror inhabitat, ergo debent fideles obedire Paſtoribus & ratio eſt. *Ne ſimus paruuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ.*

ARTICVLVS II.

Vnam vnius eccleſiæ fidem probant Patres.

IRenæus lib. 4. cap. 69. de Gnoſticis. *Nos autem vnum & ſolum verum Deum Doctorem ſequentes & regulam veritatis habentes, eius ſermones de iiſdem ſemper eadem dicimus.* Athanſius oratione in dictum

illud omnia mihi tradita ſunt, *Hæc eſt vera doctrina hoc eſt verum ſignum argumentumque quod ita iſta inter ſe conſentiunt neque diſſident inter ſe, vel inter Patres.* Chryſoſtomus operis, imperfecti homil. 20. in Math. *Populus autem Dei non ſolum vnitus eſt, ſed eſt ſicut lapis conſtrictus & indiſſolubilis.*

Cyprianus lib. de vnitate eccleſiæ. *Quia Chriſti Populus non poteſt ſcindi, tunica eius per totum Textilis & cohærens diuiſa a poſſidentibus non eſt; indiuidua copulata, connexa oſtendit populi noſtri, qui Chriſtum induimus concordiam cohærentem, Sacramento veſtis, & ſigno declarauit eccleſiæ vnitatem, quis ergo ſic eſt ſceleratus & perfidus? quis diſcordiæ furore veſanus vt aut credat ſcindi poſſe, aut audeat ſcindere vnitatem Dei, veſtem Domini, eccleſiam Chriſti?* Hieronymus Epiſt. 11. cap. 4. *Erunt duo in carnem vnam non in duas vel tres propter quod relinquet homo Patrem & matrem, & adhærebit vxori ſuæ, certe non vxoribus quod teſtimonium Paulus diſſerens ad Chriſtum refert & ad eccleſiam, vt primus Adam in carne, ſecundus in ſpiritu monogamus ſit, ſic vna Eua mater cunctorum viuentium, & vna eccleſia parens omnium Chriſtianorum* Tertul. lib. de Velandis virginibus cap. 2. *Vna nobis & illis fides? vnus Deus, idem Chriſtus, eadem ſpes, eadem lauacri Sacramenta, Semel dixerim vna eccleſia ſumus.* Auguſt. lib. con. Epiſt. fund. cap. 4. *Multa ſunt quæ me in eius gremio iuſtiſſime tenent, tenet conſenſio Populorum atque gentium.* Vincentius Lirin. cap. 3. *in ipſa Catholica eccleſia magnopere curandum eſt vt id teneamus quod ab omnibus creditum eſt,* & infra, *ſed hoc demum ita ſit ſi ſequamur vniuerſitatem, antiquitatem, conſenſionem, ſequemur autem vniuerſitatem hoc modo ſi hanc vnam fidem veram eſſe fateamur quam tota per orbem terrarum confitetur eccleſia.*

Eat nunc quis quis voluerit proteruus & præferat Sciſma vnitati, tumultum vnioni, contra tam apertos ſcripturæ Textus, contra vnanimem Patrū con-

conſenſum, cum ſine vnitate nec regna, nec reſpublicæ, non oppida, non Ciuitates, non familiæ, non non exercitus ſubſiſtant; quis iam tam deliraret vt neget vnitatem ad perfectum eccleſiæ ſtatum requiri, hanc certe inculcant ſcripturæ, inculcant patres, quorum authoritas præferenda vtiq; inſani cuiuſuis cerebri delirio.

ARTICVLVS III.

Sicut vnitas Religionis eſt infallibilis nota vera Eccleſiæ ita diſſentio in rebus fidei eſt certiſſima nota ſynagogæ ſatanæ.

PRobatur 1. ad Corinth. 14. verſ. 33. *Non enim eſt diſſenſionis Deus, ſed pacis,* ſi ergo Deus non eſt Deus diſſenſionis, ſed pacis; ergo illa congregatio in qua non videtur, niſi diſſenſio in rebus fidei, non erit eccleſia Dei, ſed ſynagoga ſatanæ, & conſ. ex Epiſt. citata cap. 1. verſ. 10. *Obſecro autem vos fratres per nomen Domini noſtri Ieſu Chriſti, vt id ipſum dicatis omnes & non ſint in vobis ſciſmata, ſitis prefecti in eodem ſenſu & eadem ſententia.* Si ergo diſſenſio in rebus fidei poſſet compati cum vnitate eiuſdem fidei, cur tam ſerio monet Apoſtolus vitanda eſſe ſciſmata? Chriſtus ipſe rogat Ioan. 17. verſ. 20. *Vt ÿ qui credituri ſunt, omnes vnum ſint,* quia prædixit Math. 12. verſ. 25. *Omne regnum diuiſum contra ſe deſolabitur, & omnis Ciuitas & Domus diuiſa contra ſe non ſtabit,* & Apoſtolus 1. ad Corinth. 11. verſ. 19. *Audio ſciſuras eſſe inter vos & ex parte credo, nam oportet hæreſes eſſe,* ad Hebr. 13. verſ. 9. *Doctrinis varÿs & peregrinis nolite abduci,* Et ſubiungit rationem ad Gal. 5. verſ. 7. *Currebatis bene, quis vos impediuit veritati non obedire? perſuaſio hæc non eſt ex eo, qui vocat vos.* Si non eſt ex Deo vocante, ergo eſt ex diabolo ſeducente, & addit verſ. 12. *Vtinam abſcindantur qui vos conturbant,* & infra *quod ſi inui-*

cem mordetis & comeditis, videte ne ab inuicem conſumamini. Vbi ſerio monentur Galatæ, ne dent aditum diſſenſionibus in fide, ergo à primo ad vltimum ſicut vnitas excludit diuiſionem, & diuiſio vnitatem, & ſicut Deus non eſt authōr diſſenſionis, ſed pacis, ita cætus ille in quo regnat diuiſio Religionis & diuerſitas ſectarum, non poteſt eſſe eccleſia Dei, ſed ſynagoga ſatanæ.

Id ipſum confirmatur ex patribus Irenæus lib. 2. cap. 5. de Diuiſione hæreticorum, *videamus nunc & eorum inconſtantem ſententiam, cum ſint duo vel tres, quemadmodum de ÿſdem non eadem dicunt, ſed & nominibus & rebus contraria reſpondent.* En hæreſis notam; Athanaſius in Decretis Nicæni Concilij de Arianis differens, *nunquam vnam, eandemque ſententiam, ſed aliam fouentes, dictaq; ſua nunc laude, nunc vituperio proſequuntur, & quod iam probarunt è veſtigio damnant hi ſunt vt Paſtor dixit progenies Diaboli.* Videant ſectarij an non recte hæc in illos quadrent, Baſilius Epiſt. 28. de hæreticorū inconſtantia. *Quoties fidem exponendo nouarunt, Ancyræ dederunt aliā, Seleuciæ aliā Conſtantinopoli aliā*; en vertiginē.

Chryſoſtom. hom. 20. in Matth. *Infideles qui ſub diabolo ſunt, nō ſunt vniti, nec vnum ſapiunt, ſed ſunt per diuerſas opiniones diſperſi*, ſicut ſūt hodie ſectarij

Ex latinis ſufficiat vnus Cyprianus de vnitate eccleſiæ, *Quid facit in Pectore Chriſtiano luporum feritas & canum rabies? & venenum lethale ſerpentū? & cruenta ſæuitia Beſtiarum? gratulandum eſt cum tales de eccleſia ſe parantur, ne columbas, ne oues Chriſti, ſæua ſua & venenata contagione perdant, cohærere & coniungi non poteſt amaritudo cum dulcedine, caligo cum lumine, pluuia cum ſerenitate, pugna cum pace, cum fæcunditate ſterilitas, cum fontibus ſiccitas, cum tranquillitate tempeſtas, nemo exiſtimet bonos de eccleſia poſſe diſcedere triticum non rapit ventus, nec arborem ſolida radice fundatam procella ſubuertit, inanes paleæ tempeſtate iactantur invalidæ arbores*

Tur-

Turbinis incurſione euertuntur, hinc hæreſes & facta ſunt frequenter, & fiunt dum peruerſa mens non habet pacem, dum perfidia diſcordans non tenet vnitatē. Addo Hieronymum in cap. 7. Iſaiæ. *Hæreticos atque gentiles contra Domum Dauid dimicare nulli dubium eſt, vt qui inter ſe diſcrepant, in eccleſiæ oppugnatione conſentiant, iuxta illud quod Hærodes, & Pilatus inter ſe diſcordantes in Domini paſſione amicitia fœderarentur.* Quam bene ab ijs depinguntur ſectarij.

Dicat nunc ſectarius num diuiſio ſit ſignum vnius Chriſti eccleſiæ? ſi ſit, erit ne Deus pacis, Deus etiam diſſenſionis contra Apoſtolum? dicat vbi in ſcriptura Deus nobis dedit pro ſigno eccleſiæ diſcordiam ac diuiſionem religionis? nullibi: nam ſcriptura aduerſatur diſſenſionibus vt vidimus, eliminandas monet, cauendas docet, eas execrantur Patres primitiuæ eccleſiæ, ergo diuiſio, ac diſſenſio in rebus fidei erit certiſſimum Synagogæ ſatanæ indicium, eligant nunc ſectarij, vel militare ſub Deo Authore pacis, vel ſub diabolo diſſenſionis fautore.

QVÆSTIO III.

Sanctitas eſt infallibilis nota veræ Chriſti Eccleſiæ.

AD Epheſ. 5. verſ. 11. *Vt exhiberet ipſe ſibi glorioſam Eccleſiam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid huiuſmodi, ſed vt ſit Sancta, & immaculata Aug. in pſal. 150. Eccleſia Sanctorum Eccleſia Catholica eſt.* Hæc Sanctitas conſiſtit in tribus, nempe in doctrina, in miraculis, & in vita plurium pie, ſancteque viuentium.

ARTICVLVS I.

Sanctitas doctrinæ probat veram Eccleſiam.

PLacet aliquibus hanc doctrinam dupliciter diſtinguere, alia eſt ſpeculatiua pertinens ad fidē,

alia practica pertinens ad mores : doctrina ſpeculatiua eſt,ne in eccleſia doceatur aliquid fidei aut veritati diſſonum , doctrina practica eſt,ne doceatur aliquid in moribus quod rectæ rationi aut legi naturali vel diuinæ ſit contrarium , diſtinctione tertia probaui quod doctrina eccleſię ſiue in fide tradenda,ſiue in moribus edocendis ſit infallibilis, certa, vera, & ſanctiſſima,columna,& firmamentum veritatis, hæc doctrinæ ſanctitas probatur pſal. 18.verſ.8. *Lex Domini immaculata conuertens animas* . Deuteron.4. verſ. 6. *Hęc eſt enim vera ſapientia, & intellectus coram Populis , vt audientes vniuerſa præcepta hæc dicant en populus ſapiens, & intelligens magna* 2. ad Tim.1.verſ.13. *Formam habe ſanorum verborum* , & ad Titum.2.verſ.1. *Tu autem loquere quæ decent ſanam doctrinam* , Nam vt inquit ſecundæ ad Tim.4. verſ.3. *Erit tempus cum ſanam doctrinam non ſuſtinebunt*, ſcilicet ſectarij , ergo Sanctitas doctrinæ eſt infallibilis nota ueræ Chriſti eccleſiæ , nam debet doctrina ueræ eccleſiæ eſſe conformis doctrinę Chriſti,& Apoſtolorum, ſed illa Sancta eſt, ergo, & hęc Sancta eſſe debet ut diſtinguatur à ſpurcitijs Turcarũ,ſuperſtitionibus gentiũ, erroribus Hæreticorũ.

Quod probat Doctor ſubtilis in prologo ſententiarum quæſtione ſecunda ex D. Aug. ſæpius ibi citato, *Quid enim rationabilius, quam Deum tanquã finem vltimum ſuper omnia diligi,& proximum ſicut ſe ipſum*,nam ut inquit Chriſtus Matth. 22. uerſ.40. *In his duobus mandatis vniuerſa lex pendet , & prophetæ* . Cum ergo doctrina eccleſię reſpiciat fidem, & mores nihil erroneum,*Nihil turpe,ad mixtum habet*. Nam quoad credibilia,nihil credimus de Deo, quod imperfectionem importet , imo magis teſtatur perfectionem diuinam,quam oppoſitum , ut conſtat de Trinit.Incarn.&c. nihil enim credimus incredibile,quia tunc incredibile eſſet , mundum ea credere ut infert Aug.de Ciu.Dei lib.22.c.5. Mundum autem ea credere non eſt incredibile , quia hoc uide-

mus,

mus, unde licet Chriſtiana lex, & doctrina multa habeat ſupra rationem, nihil tamen contra rationem, nihil immundum.

Quoad doctrinam morum attinet ex loco citato Matth. quaſi ex principio practico, alia practica conſequuntur in ſcriptura tradita, & rationi conſona ut patere poteſt ſigillatim pertractanti de præceptis, Conſilijs, Sacramentis, quia in omnibus uidetur quaſi explicatio legis naturæ, de qua Pſal. 4. *ſignatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine*, de hac morum doctrina Aug. lib. 2. de Ciuitate Dei cap. 28. *Nihil turpe ac flagitioſum ſpectandum, imitandumq; proponitur, vbi veri Dei, aut præcepta inſinuantur, aut miracula narrantur, aut dona laudantur, aut beneficia poſtulantur*; Quare doctrinæ Sanctitas neceſſario eſt infallibile ſignum ueræ eccleſiæ, adeo ut qui hoc negaret, uideretur aſſerere Turcas, Paganos, Epicureos, Idololatras, flagitioſiſſimos quoſque præferendos quibuſcumque integerrimis uiris, quod eſt uiam ad omnem uitiorum colluuiem ſternere.

ARTICVLVS II.

Sanctitas miraculorum, & vitæ, plurium pie viuentium probat item veram Eccleſiam.

SAnctitas miraculorum probatur Marci 16. *Signa autem eos qui crediderint hæc ſequentur, in nomine meo Dæmonia eÿcient, linguis loquentur nouis, ſerpentes tollent, ſuper ægros manus imponent, & bene habebunt* Quæ promiſſio impleta eſt ſæpius in Actibus Apoſtolorum, ut patet cap. 5. uerſ. 12. *Per manus autem Apoſtolorum fiebant ſigna, & prodigia multa, in plebe*, & cap. 3. Petrus ſanauit claudum ex utero Matris ſuæ: vnde ſic inſto, non poteſt Deus eſſe falſus teſtis, ſed Deus inuocatus à prædicante ſacram doctrinā ut oſtenderet eam eſſe ueram, fecit aliquod opus ſibi proprium, utpote miracula, ac per

hoc

hoc teſtificatus eſt illud eſſe uerum, quod iſte prædicauit. vnde Richardus primo de Trinit. c. 2. *Domine ſi eſt error, a te decepti ſumus, nam tantis ſignis confirmata ſunt, quæ non niſi per te fieri poſſent.*

Quod ſi quis proteruiat negando miracula fuiſſe facta, aut quod non teſtentur veritatem, quia Antichriſtus talia faciet. Contra vrget primo D. Aug. lib. 22. de Ciuit. cap. 5. *Si iſta miracula facta eſſe non credunt, hoc nobis vnum grande miraculum ſufficit, quod iam terrarum orbis ſine vllis miraculis credidit.* Quę ſane inſtantia eſt vrgentiſſima, quia ſi quidquid, quod credimus dicatur incredibile, *Non minus eſt incredibile homines*, inquit ibidem, *Ignobiles, infirmos, pauciſſimos, imperitos rem tam incredibilem tam efficaciter mundo, & in illo etiam doctis perſuadere potuiſſe, vt Mundus illud credat, ſicut iam credidiſſe videtur, niſi per illos aliqua miracula fierent, per quæ Mundus ad credendum induceretur.* Ad illud de Antichriſto, Chriſtus ipſe Matth. 24. verſ. 24. prædixit illa ſigna non fore facienda in Teſtimonium veritatis, ſi quis autem negaret illa fuiſſe vera miracula, contra inſtat Auguſtinus lib. 10. de Ciuit. cap. 18. *An dicet aliquis iſta falſa eſſe miracula, ſed mendaciter ſcripta? quiſquis hoc dicit, ſi de his rebus negat omnino vllis litteris eſſe credendum, poteſt etiam dicere nec Deos vllos curare mortalia:* ergo Sanctitas miraculorum, ſecundum ſcripturam, & D. Auguſtinum eſt nota Eccleſiæ.

Probatur etiam de Sanctitate vitæ.

MAtth. 5. verſ. 16. *Sic luceat lux veſtra coram hominibus vt videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum qui in Cœlis eſt.* Primæ ad Corinth. 3. verſ. 17. *Templum enim Domini ſanctum eſt, quod eſtis vos*, ad Rom. 12. verſ. 1. *Obſecro vos fratres per miſericordiam Dei, vt exhibeatis corpora veſtra hoſtiam viuentem, ſanctam, Deo placentem, nolite*

conformari huic ſæculo. Secundæ ad Corinth.6.v.4. *In omnibus exhibeamus nosmetipſos ſicut Dei miniſtros in laboribus, in vigiliis, in ieiuniis, in caſtitate, in ſcientia, in longanimitate.* Ad Epheſ. 5. verſ.3. *Fornicatio autem, & omnis immunditia, aut auaritia, nec nominetur in vobis ſicut decet Sanctos.* Ergo Sanctitas Eccleſiæ inuoluit etiam ſanctam vitam pluriũ piè viuentium, & licet in eccleſia ſoleant eſſe boni, & mali, ſicut ait Chriſtus, in ſagena ſunt boni, & mali piſces, in agro triticum, & zizania, in magna Domo vaſa aurea, argentea, lignea, fictilia, quædam in honorem, quædam in contumeliam, nunquam tamen Deus ita deſerit ſuam Eccleſiam, quin in ea ſemper conſeruet quamplures ſanctitate præditos, vt patet ex vita tot Martyrum, Virginum, Confeſſorum, Sanctorum Religioſorum, & Monialium.

QVÆSTIO IV.

Vera Chriſti Eccleſia debet eſſe Catholica, & hæc etiam eſt infallibilis nota veræ Eccleſiæ.

PSalm.2. *Poſtula a me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ,* Hinc eccleſiam veram eſſe Catholicam definit Symbolum Apoſtolorum, Nicænum primum, Conſtantinopolitanum primum, & Calcedonenſe; auſus eſt tamen contra iſtas eccleſiæ Dei definitiones, excucullatus Apoſtata Lutherus pro *Catholica* ſubrogare Chriſtianam: an ipſi, an Apoſtolis, & dictis Concilijs credendum potius videat quiuis Chriſtianus, eſſe ergo Catholicum dicit eſſe vniuerſale, idque dupliciter, nempe quoad tempus, & quoad locum.

ARTICVLVS I.

Eccleſia vera eſt Catholica,ſeu vniuerſalis quoad tempus, & quoad locum.

VNiuerſitatem, ſeu antiquitatem temporis, quo Eccleſia durat, probaui diſtinctione prima & iterum hic breuiter probo. Danielis 2. verſic.44. *In diebus regnorum illorum ſuſcitabit Deus Cœli regnũ quod in æternum non diſſipabitur*, vbi aperte vaticinatur de Eccleſiæ Chriſti perpetua duratione,de qua etiam loquitur Iſaias cap.59.verſ.21. *Hoc fœdus meũ cum eis dicit Dominus,Spiritus meus qui eſt in te, & verba mea quæ poſui in ore tuo,non recedent de ore tuo,& ore ſeminis tui, & de ore ſeminis, ſeminis tui dicit Dominus a modo,& vſque in ſempiternum*; Quod vaticinium confirmat per ſuam promiſſionem Chriſtus Matth. 16.verſ.18. *Super hanc Petram ædificabo eccleſiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduerſus eam*, Quare non præualebunt? quia inquit Matth.vltimo, *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad conſummationem ſæculi*, ergo eſſe perpetuam, & indefectibilem quoad tempus eſt infallibile ſignum ueræ eccleſiæ, & huc faciunt omnia Patrum Teſtimonia allata diſtinct.prima citata pro hac uniuerſitate temporis.

Quod etiam debeat eſſe Catholica, ſeu uniuerſalis quoad ſui diffuſionem per omnia loca, probatur pſal.71.verſ.8. *Dominabitur a mari,vſque ad mare,& a flumine vſque ad terminos Orbis terrarum*,& uerſ. 11. *& adorabunt eum omnes reges terræ, omnes gentes ſeruient ei*,& hanc eccleſiæ extenſionem indicat ipſe Chriſtus Lucæ 14.uerſ.44. *Neceſſe eſt impleri omnia quæ ſcripta ſunt in lege Moyſi,& Prophetis, & Pſalmis de me,& verſ.46. oportebat Chriſtum pati, & reſurgere a mortuis tertia die, & prædicari in nomine eius pœnitentiam,& remiſſionem peccatorum in om-*

omnes gentes incipientibus ab Ieroſolyma. Probatur ad Rom. 10. uerſ. 18. *Sed dico nunquid non audierunt? & quidem in omnem terram exiuit ſonus eorum, & in fines Orbis terræ verba eorum.*

Confirmatur authoritate D. Auguſt. lib. contra Epiſt. fundam. cap. 4. *Multa me tenent in gremio eccleſiæ, tenet poſtremo ipſum Catholicæ nomen, quod non ſine cauſa inter tam multas hæreſes, ſic iſta eccleſia ſola obtinuit, vt cum omnes hæretici ſe Catholicos dici velint, quærenti tamen Peregrino alicui, vbi ad Catholicam conueniatur? nullus hæreticorum baſilicam ſuam vel domum audet oſtendere.*

Confirmat item Cyrillus Ieroſolymitanus Catecheſi 18. *Si veneris in aliquam vrbem, non petas vbi ſit eccleſia Dei, vel Domus? nam etiam hæretici dicunt ſe habere Domum Dei, & Eccleſiam, ſed petas vbi ſit Catholica Eccleſia, id enim nomen proprium eſt huius Sanctæ Matris omnium noſtrorum;* Ergo eſſe Catholicam quo ad tempus, ſeu perpetuo, & quo ad locum eſt infallibile ſignum ueræ eccleſiæ, cum enim Teſte Apoſtolo primæ ad Tim. 2. uerſ. 4. *Velit Deus omnes homines ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire*, Decuit eius miſericordiam, & prouidentiam ſic per orbem extendere eccleſiam, ut benedicerentur omnes gentes, & conuerterentur, *ad Dominum vniuerſi fines terræ;* Sic perpetuo eam de ſæculo in ſæculum conſeruare, ut proponatur, & prædicetur Euangelium omni creaturæ, idque de progenie in progeniem in omni loco, in omni gente uſque ad ultimum terræ.

QVÆSTIO V.

Eſſe Apoſtolicam eſt nota veræ Eccleſiæ.

DE fide eſt Eccleſiam eſſe Apoſtolicam, idque definitum eſt in Concilio primo Conſtantinopolitano. Auguſt. in pſal. 44. *Ergo Apoſtolorum abſceſſu*

ſceſſu deſerta eſt eccleſia? abſit pro patribus tuis, nati ſunt tibi filij: quid eſt pro patribus tuis nati ſunt tibi filij? patres miſſi ſunt Apoſtoli, pro Apoſtolis filij nati ſunt tibi, & infra *ipſa Eccleſia patres illos appellat*.

ARTICVLVS Vnicus.

Eccleſia eſt Apoſtolica quia a Chriſto, & ab Apoſtolis fundata.

QVod Chriſtus fundauerit Eccleſiam, patet ex dictis diſt. 1. ex Matth. 16. *Super hanc petram ædificabo eccleſiam meam*, ipſe autem dicitur Apoſtolus miſſus à Patre ad Hebr. 3. verſ. 1. *Conſiderate Apoſtolum, & Pontificem confeſſionis noſtræ*; Tum quia Apoſtolos ad prædicandum miſit Marc. 16. *Euntes in Mundum vniuerſum prædicate Euangeliũ omni creaturæ.* Apoſtoli ergo ſuæ prædicationis verbo genuerunt, & fundarunt omnes eccleſias, ad Epheſ. 2. v. 19 *Eſtis Ciues Sanctorum, & domeſtici Dei, ſuper ædificati ſuper fundamentum Apoſtolorum, & Prophetarum ipſo ſummo angulari lapide Chriſto Ieſu*; en eccleſiam à Chriſto, & ab Apoſtolis fundatam, primæ ad Corinth. 3. verſ. 10. *Vt ſapiens Architectus fundamentum poſui.* Ad Gal. 1. uerſ. 9. *Si quis vobis euãgelizauerit præter id quod accepiſtis anathema ſit*, ergo illa erit uera eccleſia, quæ doctrinam ab Apoſtolis acceptam ſemper conſeruat, & conſequenter erit Apoſtolica, huc facit illud Apocal. 21. verſ. 14. *Et murus Ciuitatis habens fundamenta duodecim, & in ipſis duodecim, nomina duodecim Apoſtolorum agni*; hæc ſunt fundamenta ſecundaria innixa lapidi angulari, *Qui fecit vtraque vnum*.

Fundamenta ergo eccleſiæ fuerunt Apoſtoli qui doctrinam Chriſti, & prophetarum in uniuerſo orbe prædicantes eccleſiam fundarunt, non enim eccleſia fundatur auro uel ligno, ſed prædicatione, ex qua eccleſia uniuerſa Apoſtolica dicitur, ut à Chriſto

Chri-

Chriſtiana. Hoc ipſum probant Patres Tertull. de Præſcriptionibus cap. 37. *Qui eſtis vos, & vnde veniſtis?* & cap. 23. *Edant ergo origines ſuarum eccleſiarum; euoluant ordinem ſuorum Epiſcoporum, ita per ſucceſſiones ab initio decurrentem, vt primus ille Epiſcopus aliquem ex Apoſtolis vel Apoſtolicis viris habuerit Authorem, & Anteceſſorem.* Vbi ſupponit Tertull. Apoſtolicas non eſſe illas ſectas, quæ ſeriem ſuam ab Apoſtolis non oſtendunt. Ir̨eneus lib. 2. cap. 43. Probat, *Obaudiendos Epiſcopos eſſe, qui ſucceſſionem tenent ab Apoſtolis, reliquos vero qui abſiſtunt a principali ſucceſſione ſuſpectos haberi;* Hieronymus aduerſus Luciferianos tom. 2. *In ea eccleſia eſt nobis permanendum, quæ ab Apoſtolis fundata vſq; in diem hunc ſucceſſiue durat.* Auguſt. lib. de Vtilitate credendi cap. 17. *Dubitamus nos in eius eccleſiæ condere gremio, quæ ab Apoſtolica ſede per ſucceſſiones Epiſcoporum fruſtra hæreticis circumlatrantibus culmen authoritatis obtinuit.*

Ergo ſeries doctrinæ, & Epiſcoporum ab Apoſtolis per continuam ſucceſſionem durans eſt infallibilis nota eccleſię Chriſti, hoc enim ipſo argumento contra hæreticos ſui temporis vtuntur Patres, vt vidimus vel ergo aliquid concludunt contra illos, vel nihil? ſi aliquid, ergo hæc ſucceſſio doctrinæ, & Epiſcoporum infallibiliter oſtendit eccleſiam. Si nihil, ergo qui hoc dicit non ſe tantum, ſed omnes prædamnatas ſectas defendit: vnde ſic arguo, vel debet eſſe in eccleſia poſſeſſio eiuſdem fidei, & religionis ab Apoſtolis traditæ, vel non? ſi non, ergo non erit vera eccleſia quæ doctrinam Apoſtolorum non profitetur, vti nec eſt ſecta Turcarum, Hebræorum, Paganorum, ſi debeat eſſe in eccleſia illa eadem religio, ergo illa erit vera eccleſia, cuius fides, & doctrina conformis eſt doctrinæ Apoſtolorum, & conſequenter illa erit vna, Sancta, Catholica, & Apoſtolica, adeoq; vera Chriſti eccleſia, quia autem hæc nota trahit ſecum conſiderationem, de poteſtate eccleſiæ ipſi à Chriſto relicta, ſit.

DI-

DISTINCTIO VI.

De viſibili Eccleſiæ Magiſtratu, & illius authoritate.

ECcleſia à D.Paulo ſæpius corpori comparatur quare dicta huc uſque trahunt ſecum per neceſſariam connectionem, hanc etiam diſtinctionem, uidendum igitur, an prudentiſſimus Legislator noſter ac ſapiens Architectus Chriſtus, recte ordinauerit, compoſuerit, formauerit corpus Eccleſiæ ſuæ, an uero illud nobis reliquerit mutilum, deforme, inordinatum, quile ſine Paſtore, nauem ſine nauclero, regnum ſine Rege, certe in componendo politico hoc ecceleſiæ corpore, dabunt ſaltem uel inuiti Chriſto quicumque ſectarij, quod in Republica ordinanda darent Platoni, Soloni, Iuſtiniano, ut ſicut illi dirigendæ Reipublicæ recte conſuluerunt, ita ſi non plus, certe non minus Chriſtus ordinandæ eccleſiæ prouiderit, ut in ipſius corpore ordinate diſponendo nihil enorme, nihil male compactum, nihil deniq; confuſum reliquerit, ſit ergo.

QVÆSTIO I.

De Regimene in Communi.

ARTICVLVS I.

De ſocietate humana, de natura ac diuerſitate regiminis ſeu Magiſtratus.

HOmo teſte Ariſtotele lib. primo Politicorum cap. 2. *Sociale eſt animal*, Pronus ex natura

 ſua

ſua ad viuendum in ſocietate, dicitur autem ſocietas quaſi ſociorum vnitas,& hæc ſocietas eſt duplex, vna dicitur ordinata,quæ habet aliquod caput à quo regatur, alia inordinata, quæ à nullo capite regitur, in qua ſcilicet vnus alteri, nec ſubeſt nec præeſt, & de huiuſmodi, inquit Ariſtoteles, eodem capite per contumeliam dicitur *Sine tribu, ſine iure, ſine domo, nullo continetur Iugo*, ordinata autem ſocietas diuiditur in tria membra, primum vocatur Monarchia,quando vnus vt ſupremus, & abſolutus Princeps tanquam Rex,& Monarcha, regit. Secundum membrum dicitur Ariſtocratia, quando pauci optimates in authoritate æquales gubernant, & hæc dicitur Reſpublica; Tertio loco eſt Democratia,cuius ſumma poteſtas eſt in multis, & dicitur Reſpublica popularis.

Et hoc eſt triplex genus regiminis, ſeu Magiſtratus,quo humana ſocietas regitur, hinc per regimen, ſeu Magiſtratum intelligo poteſtatem gubernandi, non ſolam,ſed in aliqua particulari perſona collocatam; nuda enim poteſtas non gubernat, ſed habens illam dicitur gubernator, & gubernare, per Magiſtratum vero viſibilem, non intelligo quod poteſtas viſibilis ſit, eſt enim inuiſibilis, ſed intelligo compoſitum ex perſona,& poteſtate; ſicut enim homo componitur ex anima inuiſibili, & corpore viſibili, & tamen homo dicitur viſibilis, quia per corpus videmus effectus animæ, ita in Magiſtratu licet poteſtas inuiſibilis ſit,quia tamen in perſona talem poteſtatem habente ſenſibiliter videmus vſum poteſtatis, & effectus illius,quorum primus eſt gubernare,ideo Magiſtratus quia perſonam viſibilem habent, viſibiles eſſe dicuntur.

Ex triplici ergo illo regimine, prima ſpecies quæ dicitur Monarchia de ſe ipſa eſt optima, quia facilius eſt inuenire vnum probum, & prudentem virum, quam plures,& facilius plures obediunt vni, quam pluribus, & ſic dum vnus regit vnitas in ſub-

ditis melius ſeruatur: Ariſtocratia habet ſecundum gradum in bono regimine, Democratia vero infimũ, quia autem homines in ſocietate coniuncti, non poſsunt ſe ipſos ordinate regere, niſi alij gubernent, alij vero gubernentur, quidam dirigant, quidam alij dirigantur, hinc ordinata ſocietas debet habere Magiſtratus, quibus regatur; hic enim orbis non conſiſteret, niſi Deus vniuerſi moderator eius partes coniungeret, neque homo ſeipſum conſeruare poſſet, niſi haberet animam, quæ partes ſibi inuicem ſuccurrere iuberet, & authoritate polleret ad totius defenſionem, ſic in ſocietatibus, ſi nulla eſſet poteſtas, quæ moderaretur ac dirigeret cuiuslibet particulare bonum ad commune commodum Reipublicæ, omnia eſſent confuſioni, & diſſolutioni obnoxia.

Et hæc ſuprema poteſtas, dum eadem eſt ſocietas, eadem ſemper remanet, quamuis, ij in quibus reſidet, & eorum ſubditi ſint accidentalibus quibuſdam variationibus obnoxij, ſicut quilibet in particulari ſubeſt viciſſitudini, vt de paruo ſit magnus, de infirmo ſanus, de indocto doctus: in eadem vero ſocietate homines ſubinde ſunt probi, pacifici, virtute præditi, dicto audientes; ſubinde etiam è contra ſe habent, quandoque etiam ipſi rectores ſunt probi, iuſti, digni, quandoque improbi, non obſtante tamen viciſſitudine iſta accidentali, tam in moderatoribus; quam ſubditis ſubſiſtit poteſtas.

ARTICVLVS II.

Chriſtus inſtituit in Eccleſia ſua viſibiles Magiſtratus.

PRobatur, inſtituit duodecim Apoſtolos Math. 10 verſic. 1. *Duodecim autem Apoſtolorum nomina ſunt hæc, primus Simon, qui dicitur Petrus &c.* & infra *hos duodecim miſit Ieſus &c.* Lucæ 10. verſ. 1. *deſignauit Dominus, & alios ſeptuaginta duos, & miſit illos*

illos binos ante faciem ſuam in omnem Ciuitatem, & locum quo erat ipſe venturus. Hi omnes erant homines viſibiles, quibus etiam poſt ſuam reſurrectionem dedit authoritatem prædicandi Euangelium, Matth.28. *Euntes docete omnes gentes.* Marc.16. *Prædicate Euangelium omni creaturæ*, & hos ſenſibiles Magiſtratus remanſiſſe in eccleſia cum diuerſitate graduum, probatur ex 1. ad Corinth.2. verſic. 28. *Et quoſdam quidem poſuit Deus in eccleſia primũ Apoſtolos, ſecundo Prophetas, tertio Doctores, deinde virtutes &c.* Si dicas hos fuiſse paris authoritatis, ęqualis iuriſdictionis, ac dignitatis: contra replicat Apoſtolus ibidem verſ.29. *Nunquid omnes Apoſtoli? nunquid omnes Prophetæ? numquid omnes Doctores? numquid omnes virtutes? nunquid omnes interpretantur?* Vel ergo in Hierarchia ſeu gradibus Eccleſię, datur mutua authoritatis æqualitas ſine vlla ſubordinatione, vel non? ſi ſic, ergo in eccleſia nullus ordo, nulla iuriſdictio, nullum ius prædicandi, vel proponendi Euangelium, nulla authoritas interpretandi, inſtruẽdi, docendi, vt quid ergo Apoſtolus negat per ſuam interrogationem, omnes eſſe Apoſtolos, Doctores, Prophetas? vt quid vſus eſt his diſtinctis nominibus, ſi res ipſæ vel dignitates non ſint diſtinctæ? ſi autem nõ ſit mutua ęqualitas in omnibus dignitatibus eccleſiæ, ergo dantur in eccleſia gradus alij, alijs altiores, cum ſubordinatione vnius ad alterum.

Quod probatur primo ex eadem Epiſt. eodem cap. verſ.4. *Diuiſiones gratiarum ſunt, idem autem Spiritus, & diuiſiones miniſtrationum ſunt, idem autem Dominus, & diuiſiones operationum ſunt, idem vero Deus.* Vbi vides non confundi gradus eccleſiæ, ſic vt quilibet ſit Doctor, Propheta, Apoſtolus, quod ibidem probat optime D. Paulus per comparationem ad corpus, in quo vtique membra ſic diſtinguuntur á ſe inuicem quoad functiones, & diuerſum ſitum vt auris non ſit loco oculi, nec oculus, loco linguæ, nec vnum membrum alterius officium

vſurpet, *Sicut enim*, inquit verſ. 12. *Corpus vnum eſt, & membra habet multa, omnia membra autem corporis cum ſint multa, vnum tamen corpus eſt, ita, & Chriſtus, etenim in vno ſpiritu omnes nos in vnum corpus baptizati ſumus, nam, & corpus non eſt vnum membrum, ſed multa, ſi dixerit pes quoniam non ſum manus, non ſum de corpore, num ideo non eſt de corpore? & dixerit auris quoniam non ſum oculus, non ſum de corpore? num ideo non eſt de corpore? ſi totum corpus oculus, vbi auditus? ſi totum corpus auditus, vbi odoratus?* & infra, *ſed Deus temperauit corpus ei, cui deerat, vt non ſit ſchiſma in corpore, vos autem eſtis Corpus Chriſti & membra de membro.*

Quomodo potuit eccleſiæ Hierarchia expreſſius probari? vel ergo datur in hac hierarchia ordo parium? impariumque, & ſubordinatio vnius ad alterum, vel non? ſi non, ergo nullus eſt ſuperior, nullus ſubditus; ergo corpus eccleſiæ eſt enorme monſtrum ſine figura, ſine diſtributione, ſine membrorum coordinatione; ergo non dantur *Diuiſiones Miniſtrationum*: Ergo hic non eſt credendum Apoſtolo, ſi autem illi credendum, ergo datur in eccleſia ordo parium, impariumque; ergo non omnia eccleſiæ membra idem habent officium; ergo ſicut in corpore humano membra à ſe inuicem ſecernuntur quo ad locum, & munus, ac ſibi inuicem ſubordinantur, ita erit in corpore eccleſiæ, quod ordinatiſſime vtiq; diſpoſuit ſapientiſſimus Architectus Chriſtus, quod iterum probat Apoſtolus Act. 20. verſ. 28. *Attendite vobis, & vniuerſo gregi, in quo vos Spiritus ſanctus poſuit Epiſcopos regere eccleſiam Dei*, nota *regere*, inquit; ergo dantur in eccleſia Epiſcopi, quorum eſt regere, datur grex cuius eſt regi, cum iſta ſe mutuo exigant; & confirmat ad Epheſ. 4. *Et ipſe dedit quoſdam Apoſtolos, alios autem Paſtores, & Doctores in opus Miniſterij, vt iam non ſimus paruuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ.*

Quid ad hæc ſectarij, apud quos nullus ordo, ſed

ſed omnia ſuſque deque vertuntur, apud quos Sutores, cerdones, mulierculæ libere exercent munus Paſtorum, Doctorum, Apoſtolorum, contra praxim primitiuæ eccleſiæ, in qua Chriſtiani Antiocheni miſerunt ad Apoſtolos, & ſeniores ſuper quæſtione orta, in qua, primæ ad Corinth. 14. verſ. 34. *mulieres in eccleſiis taceant, turpe eſt enim mulieri in eccleſia loqui*. Si ergo verum dicit hic Apoſtolus, qualis eſt illa Religio, in qua mulieres Doctorum, & interpretum munus ſibi aſſumunt? certe ſi fides adhibenda ſcripturæ datur in eccleſia diſtinctio graduum, dantur Epiſcopi, Doctores, Paſtores, ad quos potius, quam ad ſutores, & mulierculas ſpectat regere Populum in rebus fidei.

ARTICVLVS III.

Monarchicum regimen vti eſt omnium optimum, ita illud Chriſtus in ſua Eccleſia inſtituit.

QVod ſit optimum, patet tum ex dictis, tum vlterius Ezechielis 37. verſ. 2. *Ecce ego aſſumam filios Iſrael de medio nationum, & faciam eos in gentem magnam in terra, in montibus Iſrael, & Rex vnus erit omnibus imperans, & non erunt vltra duæ gentes, nec diuidentur amplius in duo Regna.* Oſtendit Deus præ omnibus optimum eſſe, & paci nutriendæ maxime conſentaneum Monarchicum regimen, Oſeæ 1. verſic. 11. *Congregabuntur filii Iuda, & filii Iſrael pariter, & ponent ſibi caput vnum*, Vnde in omni ordinata ſocietate debet eſſe aliquis ſupremus Magiſtratus, perquem regatur; quales ſunt Pater, Maritus, Dominus, Senatus Princeps, Rex.

Regimen autem eccleſiæ futurum fuiſſe Monarchicum, prædixit Propheta Daniel cap. 2. ver. 44. *In diebus autem Regnorum illorum ſuſcitabit Deus Cœli regnum, quod in æternum non diſſipabitur, & re-*

gnum eius alteri populo non tradetur, Sub nomine huius Regni intelligi eccleſiam,aſſerunt omnes ſacri Interpretes huius loci, nec enim de vllo alio regno legimus,quod ſit vſque in finem duraturum. Deinde ipſe Chriſtus ſub nomine regni eccleſiam deſcribit Math.13.verſ.24. *Simile factum eſt Regnum Cælorum homini, qui ſeminauit bonum ſemen in agro ſuo,venit Inimicus homo,& ſuperſeminauit zizania,* perRegnũ hoc intelligitChriſtus eccleſiã,per inimicũ hominem intelligit Diabolum,qui vtiq;in Cœlo nihil mali poteſt facere, & verſ.31. *Simile eſt Regnum Cælorum grano Sinapis*. Verſ.33. *Simile eſt regnum Cælorum fermento*. Hæ omnes parabolæ intelliguntur de eccleſia,ergo vera eccleſia eſt regnũ, & conſequenter eius regimen debet eſſe Monarchicum,alioquin quomodo eſſet regnum? hanc autem regiminis vnitatem confirmat Chriſtus, Ioann. 10. verſ.16. *fiet vnum ouile,& vnus Paſtor*; Vt ſicut ipſe Deus eſt vnus Mundi Monarcha,ita vnam ſuam Eccleſiam ab vno Capite regi velit. Item Chriſtus ipſe fuit Rex pſal.2.verſic.6. *Ego autem conſtitutus ſum Rex ab eo ſuper Sion Montem Sanctum eius,Dominus dixit ad me filius meus es tu, dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & poſſeſſionẽ tuam terminos terræ*. Quod ſi Chriſtus eſt Rex, vtique ipſius hæreditas,& poſſeſſio debet eſſe regnum, vnde ipſemet coram Pilato agnouit ſe fuiſſe regem Matth.27. verſ.11. & Ioan.18.verſ.37. *Dixit itaque ei Pilatus, ergo Rex es tu,reſpondit Ieſus, tu dicis quia Rex ſum ego*. Sed nemo poteſt eſſe Rex ſine regno;ergo ſi Chriſtus eſt Rex,ipſius eccleſia eſt regnum,& conſequenter erit Monarchia,hinc ſit.

QVÆ-

QVÆSTIO II.

De primatu D. Petri.

NOta ipſum Chriſtum eſſe caput inuiſibile eccleſię, iuxta illud ad Epheſ. 1. ver. 22. *Et omnia ſubiecit ſub pedibus eius, & ipſum dedit caput ſupra omnem eccleſiam, quæ eſt corpus ipſius,* & cap. 5. v. 28. *Chriſtus caput eſt eccleſiæ.* ad Coloſſenſes 1. verſ. 18. *ipſe eſt caput corporis eccleſiæ.* Quod tamen non impedit, quin dentur in eccleſia viſibiles magiſtratus, vt tota quæſtione præcedenti probaui, nam etiam in ipſo corpore humano, datur duplex Gubernator vnus inuiſibilis, qui eſt anima, alius viſibilis, qui eſt caput, ita in eccleſia, inuiſibilis Gubernator eſt Chriſtus, quod vltro damus ſectarijs, viſibilis autem ſunt Magiſtratus, quos recenſui, licet vero Deus poſſet producere immediate effectus omnes, qui fiunt in terra, abſque cauſis ſecundis efficientibus, ſicut fecit in initio Mundi, id tamen non vult, ſed permittit cauſas ſecundas agere motus ſuos; quid ni idem dicatur de gubernatione, nam euidens eſt iure naturali, & Diuino plures homines habere à Deo poteſtatem gubernatiuam, velut Maritus in vxorem, Pater in filios, Dominus in ſeruos, Rector in Ciuitate, Rex in regno, ergo, patet Deum communicaſſe hominibus ſuam poteſtatem gubernatiuam, vnde ſit.

ARTICVLVS I.

Chriſtus ſtatuit & determinat D. Petrum fore ſupremum & viſibile caput ſuæ eccleſiæ.

PRobatur Matth. 16. verſ. 16. *Vos autem quem me eſſe dicitis? Reſpondens Simon Petrus dixit, tu es Chriſtus filius Dei viui: Reſpondens autem Ieſus dixit, beatus es Simon Bariona:* Hunc locum cum

Catholicis authoribus ſic pondero, optimam Petri confeſſionem laudat Chriſtus & reddit rationem, quia *Caro & ſanguis non reuelauit, ſed Pater meus qui eſt in Cœlis.* Explicat Chriſtus in D. Petro adeſſe Patris reuelationem, & eſſe à patre ſuo ſpecialiter illuminatum, quod ſane eſt maximum priuilegium, *& ego dico tibi* certe nullus quantumuis ineptus grammaticus vel logicus negare poteſt, quin ſermo Chriſti dirigatur ad Petrum, nam ait *tu es Petrus*, ecce hic nulla eſt æquiuocatio, nam ſermocinatio eſt de Petro, tanquam de ſubiecto, *& ſuper hanc petram ædificabo eccleſiam meam.* Hic Catholici per petram intelligunt Petrum, ſuper quem Chriſtus promittit ædificare eccleſiam ſuam, quia ipſum caput eccleſiæ eſt conſtituturus, Rex enim & primus magiſtratus, caput & fundamentum eſt regni; ſectarij autem varie dicunt, alij per petram intelligentes Chriſtum, alij fidem Petri, prima expoſitio eſt ab eccleſia Catholica, quæ in interpretanda ſcriptura non poteſt errare, atque adeo eſt certa, alia vero dubia eſt, ſed demus vtramque explicationem eſſe probabilem.

Interim pergamus ad ſequentia, videamus an explicent prima verba, addit Chriſtus, *& tibi dabo.* Ecce particula *&* coniungit ſermonem cum præcedentibus de Petro habitis, *dabo* promittit, quare tunc non dedit? quia dum uixit ipſemet voluit eſſe viſibile caput ſuæ eccleſiæ, pergit Chriſtus, *tibi dabo claues Regni Cœlorum*, claues dicunt poteſtatem claudendi, & aperiendi, & introducendi, hinc claues Ciuitatum dantur gubernatoribus, ad quos ſpectat excludere & introducere, ſed videamus cuius rei vel loci ſint iſtæ claues, an vnius cubiculi, domus, vel Ciuitatis? declarat Chriſtus inquiens *Regni Cœlorum* non vnius oppidi, vel orbis, ſed eccleſiæ cœleſtis & à Cœlo deſcendentis; ergo ſi iſtæ claues ſunt Regni Cœlorum, hæc poteſtas ad omnes Regni partes ſe extendit & reſpicit totum regnum.

Proſequitur Chriſtus inſtitutum ſermonem,

Et

Et quodcumque ligaueris ſuper terram,notentur verba *ligaueris*, hæc enim dicunt poteſtatem ligandi, poteſtas autem ligandi, eſt poteſtas obligandi, regna enim ligantur & obligantur legibus,non funibus vel catenis, nam lex dicitur á ligando, & obligando, obligare autem, & leges condere ad poteſtatem gubernatiuam ſpectant, notetur obiectum illius actionis, non dicit Chriſtus ligaueris hoc vel illud,ſed inquit *quodcumque*,ergo extendit ſe ad omnia, quæ in aliquo Regno ligari poſſunt, ergo eſt ſumma poteſtas, addit *ſuper Terram*, ergo loquitur de Regno Chriſti cœleſti quidem quoad originem, terreno vero quoad locum,locus autem in quo Sanctus Petrus poteſt ligare,non eſt Ciuitas vel oppidum, ſed orbis terrarum;ergo illius poteſtas vbique in RegnoChriſti eſt, adeoque eſt generalis,ſubiungit,*Eris ligatum & in Cœlis*,vt oſtendat Chriſtus primam poteſtatem eſſe in Cœlo, Petrum autem illam habere inſtar vicarij & proregis, quibus á ſuperiori poteſtas communicata eſt, hinc inquit *Quidquid ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in Cœlis*, ideſt leges tuæ, & præcepta tua erunt confirmata in Cœlo,& ſequitur *quodcumque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in Cœlis.*

Vbi nota quod Petrus fuerit iam anteaApoſtolus,vt patet Matth.10. *Duodecim autem Apoſtolorum nomina ſunt hæc,primus Simon qui dicitur Petrus.* Vnde ſi Chriſtus aliquid nouum hic promittit, erit ſuper gradum apoſtolatus,quare ex dictis ſic arguo, vel ergo, Chriſtus promittit Petro aliquid vel nihil? ſi nihil quomodo verificatur *& tibi dabo*? ſi aliquid; vel hoc eſt Apoſtolatus, vel ſupra Apoſtolatum,vel infra Apoſtolatum?non poteſt eſſeApoſtolatus,quia iam hic ipſi fuit collatus, ſicut & cœteris loco iam citato, non poteſt eſſe infra Apoſtolatum, quia hoc non eſſet præmium laudatæ confeſſionis, eſſet enim potius diminutio, quam exaltatio, nec videretur Chriſtus dare, ſed auferre mercedem confeſſionis

factæ,

factæ, ſi ſupra Apoſtolatum, nihil magis eſt tale, quam vt Apoſtolorum Princeps conſtituatur.

ARTICVLVS II.

Chriſtus ſupremam regendæ Eccleſiæ poteſtatem, antea promiſſam D. Petro confert.

PRobatur Ioan. vltimo verſ. 15. ac deinceps *Cum ergo prandiſſent, dicit Simoni Petro Ieſus*, iam patet quis dicat, & cui dicat, & quando dicat ſequitur prima interrogatio Chriſti, *Simon Ioannis diligis me plus his?* expendo ſimiliter hunc locum, ſicut locum artic. præced. cum expoſitoribus ſcripturæ, Petrus ergo hic nomine proprio interrogatur, & quidem de duobus, nempe an diligat, & an plus diligat Ieſum, quam cœteri, *Reſpondet Petrus etiam Domine tu ſcis quia amo te*, Chriſtus concludit *paſce agnos meos, vbi paſce*, quæ eſt vox imperatiui modi, imperat Petro, atque adeo Chriſtus dat Petro officium & poteſtatem paſcendi, præceptum enim Regis de aliqua actione producenda, dat officium & poteſtatem ad illam, ſi enim Rex dicat Caio, guberna talem Ciuitatem, erit factus Gubernator illius, vbi nota quod proprium Paſtoris ſit paſcere, vnde Petrus factus eſt Paſtor, quid ſit autem paſcere ſtatim dicam.

Secunda vice interrogat Chriſtus Petrum, quare ſubdit Euangeliſta, *Dicit ei iterum, Simon Ioannis diligis me plus his?* ecce eadem repetita interrogatio? *Reſpondet Petrus, etiam Domine tu ſcis, quia amo te*, concludit Chriſtus, *paſce agnos meos, dicit ei tertio Simon Ioannis amas me? contriſtatus eſt Petrus, quia dixit ei tertio amas me, & dixit ei Domine tu omnia noſti, tu ſcis quia amo te, paſce oues meas*, quia autem oues ſunt matres agnorum & Epiſcopi, ac Prælati, & qui aliorum curam habent ſunt veluti

Pa-

Patres,ac matres ſubditorũ,vult ſignificare Chriſtus, quod non ſolum fideles, & ſubitos, ſed etiam Prælatos paſcere debeat,hic ſane in hoc colloquio, res omni admiratione digna eſt, quod Chriſtus tam ſapiens ter eandem interrogationem fecerit Petro? Petrus ter dederit eandem reſponſionem, & Chriſtus ter ex illa reſponſione fecerit concluſionem.cur ter idem repetit Chriſtus? cur ter eandem curam demandat?

Nunc autem videndum, quid ſignificet paſcere in ſcriptura? paſcere ergo idem eſt ac regere pſal.79. verſ.10. *qui Regis Iſrael intende*, in Hebraico habetur *qui paſcis*, & ſic traducunt ipſa biblia Anglicana, vnde ſequitur, *qui deducis velut ouem Ioſeph*, & pſal.77.verſ.70. *& elegit Dauid ſeruum ſuum, & ſuſtulit eum de gregibus ouium, de poſt fœtantes accepit eum: paſcere Iacob ſeruum ſuum, & Iſrael hæreditatem ſuam.* Ieremię 3. verſ.15. *Dabo vobis paſtores iuxta cor meum,& paſcent vos ſcientia, & doctrina:* Item 2.Reg.5.verſ.2.*dixit autem Dominus ad te, tu paſces populum meum Iſrael, & tu eris Dux ſuper Iſrael.* Ergo paſcere eſt regere & gubernare, ſicut igitur cura paſcendi oues Chriſti eſt commiſſa Petro,ita & cura regendi, ac gubernandi.

Vnde ſic arguo, Petro ſingulariter & in particulari vt vidimus commiſſa eſt cura paſcendi agnos & oues Chriſti,vel ergo omnes & ſinguli Chriſtiani Apoſtoli, Euangeliſtæ, Doctores, Principes & Reges ſunt agni & oues Chriſti, vel non; ſi non ergo non ſunt fideles, neque hæreditatem habent in Regno Chriſti, & Dei: ſi ſunt oues Chriſti,debent paſci & regi à Petro. Reſpondent ſectarij inuerſo & præcipiti vt ſolent modo,per locum illum,*paſce oues meas* nihil noui fuiſſe collatum Petro,& eandem curam fuiſſe commiſſam cœteris, dicunt hoc illi de cerebro ſuo vertiginoſo, ſed non probant;peto ergo vbi ſit ille locus, qui dicat eos fuiſſe pares, quando quidem vt articulo ſequenti oſtendam, Petrus exercue-

cuer t hinc ſupremam authoritatem: vbi ergo habent locum qui id dicat? dicunt, *prædicate Euangelium omni creaturæ, accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata remittuntur eis.* Contra priore loco non ſingulis, ſed omnibus docendi munus tradit, idem eſt de ſecundo loco.

Imo inde argumentum in rem noſtrã ſumo illic omnibus Apoſtolis ſimul ſumptis orbis docendi cura demandatur, hic autem Petro ſingulariter omniũ cura committitur, cum enim omnibus Apoſtolis e quibus erat Petrus, antea parem dediſſet poteſtatem, quid potuit eſſe cauſæ, cur nunc ſingularibus verbis oues ſuas commendet Petro, ſi eadem fuit hæc, vt prior illa poteſtas? ſi eam ante dedit Petro & alijs Apoſtolis, cur eam illi iterum tradit? vt quid renouat poteſtatem iam datam? quod ſi eandem renouat, cur non ijſdem verbis eam tradit? cur non eodem ritu? cur non eodem affectu, ſed ter interrogato, num diligeret? cur maiorem ab eo quam à cœteris amorem exigit? cur non omnibus eandem ſimul tradit? ergo præter illam, quam Chriſtus poteſtatem dedit Apoſtolis, propriam hic Petrus accipit quod vt magis pateat ſit.

ARTICVLVS III.

D. Petrus ſupremam Paſtoris iuriſdictionem a Chriſto ipſi collatam, in ſe agnouit, eamq; exercuit.

PRobatur, aſſertio Act. 1. ver. *In diebus illis exurgens Petrus in medio fratrum dixit,* nota in medio fratrum, ſic Chriſtus Ioan. 20. verſ. 19. vbi *erant diſcipuli congregati, venit Ieſus & ſtetit in medio &* dixit & verſ. 26. *venit Ieſus ianuis clauſis, & ſtetit in medio,* locus ergo medius erat honoratior, ſtat itaque Petrus in medio tanquam ſuperior, ſequitur Petrus verſ. 21. *Oportet ergo ex his viris, qui nobiſcũ ſunt in omni tempore,* & infra *Teſtem reſurrectionis*

eius

eius nobiſcum fieri vnum ex iſtis, vel ergo Petrus potuit iuridice ſic loqui, & procedere, vel non? ſi non vt quid igitur ipſe præ cœteris loquitur? vt quid ordinat fieri electionem? vt quid diſponit? ſi autem potuit iſta iuridice facere; ergo Petrus ibi habuit ſupremam authoritatem in eccleſiam, nec obſtat quod ſuffragia aliorum poſtulauerit, quia etiam Rex, qui poteſtate ſuperior eſt ab aſſiſtentibus ſibi conſiliarijs ſententiam exquirit de aliquo ad præfecturam vel magiſtratum eligendo.

Item primus prædicat in die Pentecoſtes Act. 2 verſ. 13. *Stans autem Petrus cum vndecim, leuauit vocem ſuam & locutus eſt eis, viri Iudæi percipite verba mea, non enim ſicut vos æſtimatis, hi ebrij ſunt cum ſit hora diei tertia, ſed hoc eſt, quod dictum eſt per Prophetam Ioel*, & verſ. 37. *his autem auditis compuncti ſunt corde, & dixerunt ad Petrum, & ad reliquos Apoſtolos, quid faciemus? Petrus verò ad eos, pœnitentiam, inquit, agite.* Hic primus Petrus prædicat, & aliorum Apoſtolorum patrocinium ſuſcipit, aduentum Spiritus ſancti ex ſcriptura declarat, ipſas ſcripturas expoſuit, efficaci ſermone tot millia hominum conuertit, eodem modo quo Chriſtus, dum eſſet ſuperſtes, & Apoſtoli illi aſſiſterent, ſolus prædicabat, ſcripturas interpretabatur, & multi ad eius Prædicationem conuertebantur, ſic Petrus vt Vicarius Chriſti, Chriſtum imitatur, vnde Chryſoſtomus homil. 4. in Act. Apoſtorum. *Erat Petrus os omnium, cauſam fidei agit pro omnibus, primus exiſtit, verbi concionator, primus coegit eccleſiam*, Vel ergo hic omnes Apoſtoli erant pares in authoritate, vel non? ſi erant pares, cur Petrus primus loquitur? cur potius quam Andreas eius frater maior natu, & prior ad Apoſtolatum vocatus? cur ſolus hic prædicat? cur reſpondet nomine omnium? cur eorum patrocinium ſuſcipit? ſi ergo iuridice, ſi legitime tunc aſſumpſit ſibi præ omnibus loqui, concionari, proponere Euangelium, ergo habuit ſupra cœteros authoritatem, & con-

conſequenter non erant pares, deinde damnauit morte Ananiam, & Saphiram tanquam ſupremus Iudex Act.5.verſ.1. *Quidam nomine Ananias cum Saphira vxore ſua, vendidit agrum, & fraudauit, dixit autē Petrus Anania cur tentauit ſatanas cor tuum audiens Ananias cecidit & expirauit, ad Saphiram vero, dixit autem ei Petrus, dic mihi mulier ſi tanti agrum vendidiſti? confeſtim cecidit & expirauit*. Petrus præſentibus Apoſtolis examinat, interrogat, iudicat & fert ſententiam, crimina in eccleſiam commiſſa, punit, eius ſententiam mors miraculo conſecuta eſt.

Item primus edit ſigna, nam Act.3.verſ.6. ſanat claudum ex vtero matris ſuæ ad portam templi ſpecioſam, Act.9. ſuſcitat à morte Tabitham diſcipulam, ibidem ſanat Æneam octo annis iacentem in grabato; doctrinam euangelicam miraculis confirmat, ita vt Act.5. verſ. 25. in plateas eijcerent infirmos, *vt veniente Petro ſaltem vmbra illius obumbraret quemquam illorum, & liberarentur ab infirmitatibus ſuis*. Quod eſt pluſquam ſudarijs vt Paulus, vel tactu fimbriæ vt Chriſtus ſanare, primus gentibus Euangelium prædicat, & coram eis ſigna edit Act.10 ſicut illi in lintei viſione de Cęlo demiſſi oſtenū eſt, primus in cōcilio Apoſtolorū ſētentiā definitiuā tulit quā reliqui ſequuti sūt, paucis additis à B. Iacobo quæ ad Iudæos ſpectabant ait enim Act.15. *viri fratres vos ſcitis quoniam Deus in nobis, elegit per os meū audire gentes verbum Euangelii & credere*, quæ verba in præſentia Pauli prolata primatum Petri commendant.

Quæ omnia confirmantur ex diuerſis S. Petri prærogatiuis, prima eſt, quod quoties nominantur Apoſtoli, Petrus nominetur primo loco Matth. 10. & Lucæ 6. ſecunda, fuit primus, qui habuit reuelationem de diuinitate Chriſti Matth.16.verſ.16. Tertia Petro præ cæteris apparuit Chriſtus Lucæ 24. 1. ad Corinth.15. quinta pro Petro in carcere conſtituto oratio fiebat ſine intermiſſione ab eccleſia Act. 12.

Act. 12. cur potius pro Petro, quam pro reliquis Apoſtolis, quam pro Iacobo & Stephano, qui fuerunt in eodẽ periculo, niſi Petrus eſſet aliquid plus. Sexta teſtatur D. Paulus ad Gal. primo verſ. 18. ſe iuiſſe Ieroſoly mã videre Petrum. Septima Marc. 16 *Dicite diſcipulis eius & Petro*, vt dicitur Act. 2. *dixerunt ad Petrum & ad reliquos Apoſtolos*, quaſi vero Petrus non eſſet etiam Apoſtolus, ſignificatur ergo Princeps & caput Apoſtolorum, ſicut cum dicitur in Euangelio Ieſus cum diſcipulis ſuis, & in Pentateucho, Moyſes cum populo, vt diſtinguatur caput a membris, octaua quod Chriſtus pro ſe & Petro ſoluerit Tributum Matth. 17. verſ. 26. nona & maxime principalis eſt perpetua infallibilitas conceſſa Petro Lucæ 22. verſ. 32. *ego autem rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua & tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos*? ergo Petrus habuit curam confirmandi alios in fide tanquam paſtor.

Vel ergo Petrus fuit caput eccleſiæ, vel non? ſi non, cur toties functiones capitis exercuit? cur primo loco nominatur? cur dicitur ipſi paſce oues meas? cur ſimiliter dicitur, tibi dabo claues Regni Cœlorum, quod nulli vnquam Apoſtolo dictũ eſt, niſi ſoli Petro? cũ ergo Petrus exercuerit officiũ capitis, vtiq; legitime exercuit, & cõſequenter fuit caput eccleſię.

ARTICVLVS IV.

Supremam D. Petri authoritatem aſſerunt Patres, tam Græci quam Latini. ex Græcis.

DIonyſius Areopagita lib. de Diuinis nominibus cap. 8. *aderat Petrus ſupremum decus, & antiquiſſimum Theologorum columen*, Orig. ad caput 6. Epiſt. ad Rom. *& Petro cum ſumma rerum de paſcendis ouibus traderetur & ſuper ipſum velut ſuper petram fundaretur eccleſia, nullius confeſſio virtutis alterius ab eo niſi Charitatis exigitur.* Athanaſius

Epiſt.

Epiſt.ad Fœlicem *tu es Petrus ſicut veraciter dicit Diuinum eloquium, & ſuper fundamentum tuum eccleſiæ columnæ ſunt conſeruatæ* Baſilius Magnus oratione 3. de peccato *adminiſter talis ac tantæ ſententiæ eſt Beatus Petrus, qui omnibus aliis diſcipulis antepoſitus fuit, & qui Teſtimonium maius, & qui beatitudinem longe ampliorem cæteris omnibus adeptus erat, cui denique claues Regni Cœlorum erant concreditæ,* Gregorius Nazianzenus orat. 25. quæ eſt de moderatione in diſputationibus ſeruãda. *Vides quem admodum ex Chriſti Diſcipulis magnis vtique omnibus, & excelſis atque electione dignis hic,* ſcilicet Petrus, *Petra vocetur, atque eccleſiæ fundamenta in fidem ſuam recipiat, ac reliqui diſcipuli eum ſibi præferri æquo animo ferant.*

Ioannes Chryſoſtomus in pſal.50. *vt intelligas iuſtos miſericordiæ præſidio muniri,* & infra, *columna illa eccleſiæ, illa fidei baſis, illud Apoſtolici chori caput Petrus,* & homil.1. in Matth. *Petrum futurum eccleſiæ paſtorem conſtituit,* infra, *Deus concedere ſolus poteſt vt futura eccleſia tot tantiſq; fluctibus irrumpentibus immobilis maneat, cuius paſtor & caput homo ignobilis & Piſcator.* Cyrillus Alexandrinus lib.12. in Ioann. cap.64. *Cum Saluator a Diſcipulis quæreret, vos autem quem me eſſe dicitis, Petrus vt Princeps caputque cæterorum primus exclamauit, tu es Chriſtus,* & Cyrillus Hieroſolymitanus Cathecheſi 11. *Omnibus Apoſtolis reticentibus Petrus Princeps Apoſtolorum, & ſupremus eccleſiæ præco dicit, tu es Chriſtus filius Dei viui,* ſed ſufficiat pro omnibus Concilium Calcedonenſe ſexcentorum triginta Petrum Act.3. *ter beatiſſimus & omni laude digniſſimus Beatus Petrus Apoſtolus, qui & Petra & crepido Catholicæ & rectæ fidei fundamentum.*

Ex Latinis.

TErtull.de præſcriptionibus cap.22. per modum interrogantis inquit. *Latuit aliquid Petrum ædificandæ eccleſiæ Petram dictum, claues regni Cœlorum*

lorum conſecutum, & ſoluendi & alligandi in Cœlis & in terris poteſtatem? Cyprianus Epiſt. 40. *Deus vnus, & Chriſtus vnus, & vna eccleſia, Cathedra vna ſuper Petrum Domini voce fundata, aliud altare conſtitui aut ſacerdotium nouum fieri, præter vnum altare, & vnum ſacerdotium non poteſt.* lib.de vnitate eccleſiæ, & *quamuis Apoſtolis omnibus poſt reſurrectionē ſuam, parem poteſtatem tribuat, & dicat, ſicut miſit me Pater, & ego mitto vos.* & infra, *tamen vt vnitatem manifeſtaret, vnam Cathedram conſtituit, & vnitatis eiuſdem originem ab vno incipientem, ſua authoritate diſpoſuit,* & poſt *primatus Petro datur vt vna Chriſti eccleſia & Cathedra vna monſtretur* Ambroſius ad cap.22. Lucę, *Vnde contriſtatus Petrus, quia tertio interrogaſſet amas me? ſed Dominus non dubitat, qui interrogabat, non vt diſceret, ſed vt doceret, quem eleuandus in Cælum ſui amoris, velut vicarium relinquebat* & infra, *& ideo, quia ſolus profitetur omnibus antefertur,* idem in cap.1.ad Gal. *dignum erat vt cuperet Paulus videre Petrum, qui primus erat inter Apoſtolos, cui deſignauerit Saluator curam eccleſiarū.*

Hieronymus in pſal. 13. *Nullus ex diſcipulis, neq; Petrus qui caput eſt eccleſiæ,* Epiſt. 54.ad Marcellum *Apoſtolus Petrus ſuper quem Dominus fundauit eccleſiam:* lib.1.aduerſus Iouinianum cap.14. *propterea inter duodecim vnus eligitur, vt capite conſtituto Schiſmatis tollatur occaſio.* Aug.tract.56.in Ioan. *quis neſcit primum omnium Apoſtolorum eſſe beatiſſimum Petrum,* & ſerm.5.in feſto D. Petri, *ſolus inter Apoſtolos meruit audire.* Amen dico tibi, quia tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo eccleſiam meā; *dignus certe, qui ædificandis in domo Dei populis lapis eſſet ad fundamentum, columna ad ſuſtentaculum, clauis ad Regnum,* quid plura referam?

Perpende.

IN hac difficultate iuimus ad ſcripturas, & nobis noſtræque ſententiæ fauent, ſi cauillentur ſectarij ſcripturas illas eſſe veras, aliter tamen intelligendas,

iuimus ad intellectum, ad expoſitiones, ad incorruptos interpretes Græcos, & Latinos, eorum temporum, quibus fatentur A catholici viguiſſe fidem eccleſiæ Patres illorum ſæculorum venerantur, & aſſerunt Petri primatum; cui hic potius credemus, num tot Sanctis Doctoribus, denique toti Calcedonenſi Concilio, an potius Luthero Excucullato Monacho, Caluino ſacrilego, & Apoſtatæ Sacerdoti, alijſq; huiuſmodi fallaciſſimis impoſtoribus? ſi dicant credendum potius Luthero, Caluino, dicant cur his potius, quam Chryſoſtomo, Baſilio, Athanaſio, vtrique Cyrillo; Auguſtino, Hieronymo, Ambroſio toti denique Calcedonenſi concilio ſexcentorum triginta Patrum? inſanire certe videtur, qui orbis terrarum conſenſum primitiuæ eccleſiæ teſtimonium, antiquiſſimorum Patrum aſſertiones, poſtponeret Lutheri & Caluini impoſturis, nulla authoritate ſuffultis, nulla ratione probatis, nulla antiquitate ſtabilitis, vnde ſequitur.

ARTICVLVS V.

Primatum D. Petri probant rationes Theologicæ.

DEus, & natura nihil operantur fruſtra, cum ſemper agant propter aliquem finem, hinc quodlibet regnum habet pro fine commune bonum, ſiue ſpirituale vt in regno Chriſti, ſiue temporale vt in alijs regnis: hoc autem commune bonum per tria potiſſimum media acquiritur; primum eſt vnitas populorum, per quam fouetur mutuum commercium & delectatio ex conuictu proueniens, ac firmitas ad communitatem tuendam, ſecundum medium eſt ordo, nam vnio plurium ſine ordine tumultum, ſeditiones, & confuſiones generat, ad quæ vitanda ordo inter ſuperiores & inferiores conſtitutus eſt, adeo vt Ariſtoteles omnem ſocietatem ſiue paruam, ſiue magnam diuidat in duas partes, quarum vna ſubeſt, altera præeſt, vna gubernat, altera gubernatur deinde

de inter ipſos gubernantes neceſſarius eſt ordo, qui ſane nequit dari, niſi vnus primus Magiſtratus, cui alij Magiſtratus ſubſint conſtituatur, niſi enim omnes Ciuitates eiuſdẽ regni vni ſupremo magiſtratui pareant, non poterit dari ordo, hinc ait D. Hieronymus. *Vnus conſtituitur, vt ſchiſmatis tollatur occaſio.*

Tertium medium eſt optima gubernatio, quæ vt ait Ariſtoteles, tunc optima eſt, quando ſumma poteſtas gubernatiua in vna ſingulari perſona reſidet; quare vnumquodque regnum habet pro ſcopo hæc tria, ſcilicet vnitatem, ordinem & optimam gubernationem, ex quo habetur, quod illud ſit de intrinſeca ratione regni, per quod regnum ad hæc tria primo ordinatum eſt, illud autem a quo hæc efficiuntur in omni regno, eſt primus Magiſtratus, in vna ſingulari perſona conſtitutus, & hic vocatur Rex, ſiue ſupremus Princeps, qui utique in regno vnitatem conſtituit, quia ipſe eſt vnus, & illi vni omnes obediunt, conſtituit ordinem, quia ipſe eſt primus, ſub quo ſunt inferiores Magiſtratus, qui ab illo eliguntur, reguntur, & diriguntur, conſtituit optimam gubernationem, quia non poteſt ab alijs impediri cum pares in gubernatione non habeat, vnde valde accomodata eſt ad cito & recte prouidendum, & exequendum quod bonum publicum requirit.

Quare cum Regnum Chriſti ſit perfectiſſimum habeatq; pro fine commune bonum ſpirituale, quod vtique obtinetur per vnitatem, ordinem, & optimam gubernationem, requirit neceſſario vnum ſupremum Magiſtratum, in ſingulari perſona conſtitutum, quod ſic probo, vel enim in regno, ſeu eccleſia Chriſti eſt ſocietas humana viſibilis; vel non? ſi non, ergo non eſt eccleſia, quæ nulla habet membra, ſi autem hæc eccleſia, ſeu regnum eſt ſocietas humana, vel hæc ſocietas habet viſibiles Magiſtratus vel non? ſi non, ergo eſt potius inordinata quam ordinata ſocietas: ſi autem habeat Magiſtratus: vel inter hos dabitur ſubordinatio, vel non? ſi non ergo nullus ordo, ſi detur

ſubordinatio debemus tunc recurrere ad vnum primum & viſibilem magiſtratum in ſingulari perſona conſtitutum, vt habeatur in eccleſia Chriſti vnitas, ordo, & optima gubernatio, vt videmus in ipſa naturæ lege, quæ etiam apud infideles inſtituit vnum ſingularem & ſupremum Magiſtratum, ſic item inſtituit lex Moyſaica, ſi autem lex Euangelica non deſtruxit, ſed perfecit vtramque legem, quod ordinatur in vtroque illo ſtatu, obſeruari debet in regno, ſeu eccleſia Chriſti.

Quod ſi dixeris ad Chriſtum tantummodo pertinere eſſe ſupremum Rectorem, & caput Eccleſiæ? adeo vt videatur inconueniens, quod vllum ſub ſe habeat viſibilem magiſtratum, contra eſto Chriſtus ex dictis ſit caput inuiſibile eccleſiæ, Petrum tamen vt vidimus conſtituit Vicarium ſuum. contra 2. ſic etiam eſſet incoueniens quod Maritus, Pater, Dominus, Princeps, Rex, Reſpublica, Epiſcopi haberent vllam authoritatem in alios, contra Apoſtol. ad Rom. 13. verſ. 1. *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit, non eſt poteſtas niſi a Deo, qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit. Contra Chriſtum* Matth. 23. *ſuper cathedram Moyſi ſederunt ſcribæ & & Phaiſæi, omnia ergo quæcumque dixerint vobis ſeruate & facite.* Cur ergo Chriſtus in ſuo Regno quod eſt perfectiſſimum, quod requirit vnitatem, ordinem, & optimum regimen non inſtitueret vnum ſupremum, & viſibilem magiſtratum.

Deinde ex veteri Teſtamento habemus Deum per viſibiles Magiſtratus gubernare, vt Prou. 8. *per me reges regnant, & Conditores legũ iuſta decernunt.*

Item Moyſes, Aaron, Samuel, Dauid, & alij multi, ſiue duces, ſiue Reges, ſiue Iudices, aut Pontifices gubernatiuã poteſtatem tum ſæcularem, tum eccleſiaſticam habuerunt, & illa vſi ſunt, & tamen Deus inuiſibiliter, tum populum Hebræum, tum magiſtratus illos gubernabat, ergo in illo regno viſibili Deus per viſibiles Magiſtratus gubernabat, tunc ſic

vel

vel ergo hæc meditata gubernatio conuenit Deo,vel non?ſi non cur ergo illa vſus eſt in veteri Teſtamento? ſi conuenit, cur ergo hęretici eam negant in nouo,in quo fit expreſſa mentio & inſtitutio viſibilis magiſtratus.

Item in nouo Teſtamento ordinatur obediendum poteſtati,Reges eſſe honorandos,Patribus,maritis,dominis parendum,Epiſcopos regere eccleſiam Dei,audiendam eſſe eccleſiam,Apoſtolis datam eſſe poteſtatem remittendi peccata, conficiendi Euchariſtiam,baptizandi,docendi populos legem Dei,hæc autem omnia pertinent ad poteſtatem gubernatiuã, Petro dixit, *Tibi dabo claues Regni Cœlorum,item paſce oues meas*. Præterea in omni lege fuit vnus ſummus Sacerdos,vt in lege naturæ Melchiſedec, in lege veteri vnus Aaron,in Cœlo vnus Deus,ſummus omnium Monarcha, tempore quo vixit Dominus vnus tantum Chriſtus, in corpore vnum caput cui cœtera membra obediunt,in œconomia vnus Pater familias, in Ciuitate vnus præfectus,in Regno vnus Rex,in exercitu vnus Imperator, in naui vnus Nauarcha,in potentijs animæ vna voluntas cæteris imperans,& ſic eccleſia eſt vnum ouile,& vnus Paſtor, hæc ergo gubernatio ſuprema per vnum viſibile caput eſt conformis legi naturę,legi veteri,& legi gratiæ,ac rationi rectæ.

QVÆSTIO III.

Soluuntur Obiectiones.

ARTICVLVS I.

Soluuntur obiectiones ex nouo Teſtamento petita.

Obijciunt 1.Chriſtus dixit ne vocemini Rabbi, nec Magiſtri,nec Domini, vnus enim eſt Magiſter noſter,& Dominus Chriſtus Ieſus, ergo non

datur ſupremus magiſter viſibilis in eccleſia. Reſp. quod Chriſtus ſit Dominus, & Magiſter per ſe primo, quod non impedit quin alij ſint Domini, & Magiſtri ſub ipſo, nam cum ſcriptura dicat vnus eſt Magiſter, vnus Dominus, & ex alia parte admittat Doctores, Paſtores, Epiſcopos vt vidimus quæſtione prima, dicatque Dominis eſſe obediendum, magiſtros eſſe audiendos, Patres honorandos, cumque ſcriptura ſibi ipſi non contradicat, ſignum eſt quod in primo loco ſic intelligatur, vt Chriſtus ſit Dominus primo, & per ſe, alij vero ſecundario, & participatiue.

Obijciunt 2. illud ad Gal. 2. *Qui operatus eſt Petro in apoſtolatum circumciſionis, operatus eſt mihi inter gentes*; Ergo Petrus non fuit vniuerſalis paſtor. Reſp. quod licet Petrus habuerit poteſtatem in totam eccleſiam, exercitium tamen habuit peculiare, & fructuoſum inter Iudæos, in quo ſane miro modo repræſentabat Chriſtum, qui & ſi vniuerſalis paſtor eſſet, Miniſter tamen fuit circumciſionis prædicando, & ſigna edendo apud Iudæos, ſed, & Petrus curam vniuerſorum habuit cum gentibus etiam prędicauerit, & ſederit in diuerſis locis, vt Antiochiæ, & & Romæ, nec fuit ſpecialis Epiſcopus Iudæorum, ſed Iacobus. Dices vnus non poteſt paſcere omnes; ſed contra paſcit, qui per alios paſcit, vt Chriſtus per alios baptizabat. Inſtabis, Paulus prædicauit ſine authoritate Petri. Reſp. eum habuiſſe quidem illam facultatem à Chriſto, ſed ſub Petro: atque adeo iuit Ieroſolymam vt conferret cum illo Euangelium ad Gal. primo; nec obſtat quod ad Gal. 2. nominetur Iacobus ante Petrum, quia aliqui patres putant Textum illum non ſic legendum, ſed ſic, Cephas, Iacobus, Ioannes. Dices concilium illud Act. 15. non fuiſſe indictum a Petro ac proinde non fuiſſe ſummum Pontificem, ſed hæc eſt nugatio cum à nullo alio conſtet indictum certe primus ibi loquitur.

Objicies 3. illud Pauli de Petro ad Gal. 2. *In fa-*

faciem ei reſtiti, quia reprehenſibilis erat. Sed contra in eo facto non arguitur maior poteſtas Pauli ; ſed maior prudentia,vt quiuis Epiſcopus, & alij ſubditi poſſent reſiſtere aliquo modo maioribus Prælatis, qui ab inferioribus ſubinde poſſunt cum humili charitate corripi, error autem Petri fuit venialis tantum, & in facto,non in fide: vnde Aug. Epiſt.19. ad Hieronym. *Rarius,& Sanctius exemplum Petrus poſteris præbuit, quo non dedignarentur a poſterioribus corrigi,quam Paulus, quo confidenter auderent minores maioribus pro defendenda veritate ſalua Charitate reſiſtere.* Ergo cenſet Auguſtinus Petrum fuiſſe Paulo ſuperiorem.

Obijciunt 4.mittitur Petrus cum Ioanne in Samariam Act.8.ergo non erat ſummus Pontifex Reſp. miſſum quidem fuiſſe non per modum Imperij, ſed conſilij, & exhortationis, miſſus eſt autem vt maior ad confirmandum, non vt eorum Apoſtolus,ſicut ab eccleſia Antiochena Act.15. miſſus eſt Paulus Ieroſolymam, & Ioſue 22. miſſus eſt ſummus Sacerdos, & decem Principes tribuum. Dices, Petrus non permiſit ſe adorari à Cornelio Act. 10. ergo non agnouit in ſe ſupremam dignitatem. Reſp.cum Cornelio à lapide ibi in facto illo Cornelium non errasſe,& adoraſſe Petrum adoratione ciuili, Petrum tamen ex mera humilitate eum honorem reſpuiſſe,ſicut liberum eſſet cuicumque Principi honorem ſibi debitum hic,& nunc non acceptare.

Obijciunt vltimo, omnes Apoſtoli vocantur fratres Matth. 23. verſ. 8. *Omnes autem vos fratres eſtis.* Et Lucæ 22. *Petre rogaui pro te,tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos:* ergo omnes Apoſtoli erant pares Petro. retorqueo argumentum Matth.11.verſ.47. *Ecce mater tua, & fratres tui foris ſtant, & extendens manum in Diſcipulos ſuos dixit,ecce Mater mea,& fratres mei.* Matth.28.verſ.10. *Tunc ait illis Ieſus nolite timere, ita nuntiate fratribus meis, vt eant in Galilæam;* Ergo Apoſtoli, & di-

diſcipuli erant pares Chriſto,eſt ne bona conſequentia,hic Princeps eſt frater regis, ergo tam vnus quã alter eſt Rex,valetne cõſequentia?fratres ergo erant Petri in Charitate,& fide, non pares in dignitate.

ARTICVLVS II.

Soluuntur obiectiones ex facto Regum veteris Teſtamenti.

GEneratim obijciunt primo, Reges eſſe capita eccleſiarum , idque vſitatum fuiſſe in veteri Teſtamento, ad quod probandum adducunt multa loca,ad quæ omnia bene , & neruoſe reſpondet Becanus tomo ſecundo in fine , vnde generalem hanc obiectionem ſimili reſponſione diluo , nempe quod Deut.17.vbi præſcribitur quomodo Rex debeat eligi, viuere, & gubernare,nulla prorſus mentio fiat de ſpirituali iuriſdictione regum, imo in eodem capite , primo aſſignauit Deus Sacerdotes tanquam Iudices, poſtea loquitur de Regibus,deinde Aggæi 2.ver.12. *Hæc dicit Dominus interroga Sacerdotes legem* , non regem, Malachiæ 2. verſ. 7. *Labia Sacerdotis cuſtodient ſcientiam,& legem requirent ex ore eius* , Non ex ore Regis, ſed Sacerdotis,& cauſa mox additur, *Quia Angelus Domini exercituum eſt*,quaſi dicat Sacerdos eſt nuntius, ſeu Interpres diuinæ voluntatis , & num.27.verſ.21. *Pro Ioſue ſi quid agendum erit , Eleazar Sacerdos conſulat Dominum .*

In nouo Teſtamento non Regibus , vel Principibus ſæcularibus dicitur . *Si peccauerit in te frater tuus &c.* Dic non Regi, ſed eccleſiæ , Petro dicitur *paſce oues meas*, non Regibus 1.Corint.12.quoſdam poſuit Deus in eccleſia Apoſtolos, Prophetas, Doctores, Paſtores,dicant iſtius ſententiæ authores vbi in toto nouo Teſtamento habeatur Reges eſſe capita eccleſiarum,eos eſſe Iudices controuerſiarum hunc certe,articulum ipſi reponunt inter ſua credibilia , à quo

à quo vtique pendet fides ipſorum, & æterna ſalus, ſint, ſcilicet, nec ne Reges, iudices controuerſiarum fidei, vel capita eccleſiarum? dicant ergo vbi hoc eſt reuelatum, ad exempla adducta ex veteri Teſtamento ſigillatim reſpondeo.

Primo adducunt exemplum Regis Ioſaphat quod exercuerit iuriſdictionem ſpiritualem 2. Paralipom.cap.19. ſed eſt ad oppoſitum, ait enim ibi Ioſaphat, *Amarias autem Sacerdos, & Pontifex veſter in his, quæ ad Deum pertinent præſidebit*, Cur cæci iſti non legunt Scripturām integre, ſed malunt impugnare agnitam ueritatem; ſecundo inſtant de Dauide 2.Reg.5 uerſ.6. *Non ingredieris huc niſi abſtuleris cæcos, & claudos*, per cæcos inquiunt intelliguntur abuſus templi, quos Rex Dauid tanquam caput Eccleſiæ debebat tollere, ò diuinos Interpretes? ob fallacem hanc expoſitionem, & ſe, & Regem ſuum ęternę damnationis diſcrimini committunt: impoſtura igitur eſt ſimilis priori., nam ſi noctuæ iſtæ legerent bene Textum uiderent illud dici à Iebuſęis Dauidi per contemptum, quaſi dicerent cęci, & claudi ſufficiunt cuſtodire Ciuitatem, contra omnes tuas uires, quos poſuerunt incolæ in mænibus in contemptum Dauid, ut habet Gloſſa interlinealis, & ita intelligunt Ioſephus lib.7. cap. 2. Theodoret. quæſtione 16 deinde quid curæ fuit Iebuſæis infidelibus de templo?

Inſtant tertio, Dauid præceſſit Arcam Paralip.13. & arcæ præſaltauit 2.Reg.6.uerſ.14.ergo habuit primatum; contra, populus Iſrael præceſſit arcam Ioſue 6.ergo habuit primatum, pueri Chriſtiani apud Catholicos præcedunt Euchariſtiam, ergo habent primatum, Stulta conſequentia. Inſtant 4. Rex Salomon ædificauit, & dedicauit Templum, ergo habuit primatum, contra nam ibidem ubi hæc dicuntur; nempe 1.Paralip.28.uer.1.& 2.Paralip.6.uerſ.10 & 3.Reg. 8. ſemper Sacerdotes prima munia exercuerunt, tètigere uaſa, intulerunt arcam, ſacrificarunt,

ora-

orauit Salomon, contulit ſumptus, quid inde pro primatu? mercatores ædificant templa, interſunt dedicationi, ſuntne capita eccleſiarum?

Inſtant tamen Salomon depoſuit Abiathar Pontificem: ergo (addo ego) dabatur ſummus Pontifex. dico itaque cum grauiſſimis Authoribus Salomonem id feciſſe Dei inſtinctu, non regia, ſed prophetica authoritate, vt colligitur ex illo 3. Regum 2. verſ. 27. *Eiecit Salomon Abiathar, vt impleretur ſermo Domini, quem locutus eſt ſuper Domum Heli in Silo.* Cum ergo tribus Heli iuxta Dei ordinationem ceciderit, a prærogatiua habendi ſummos Pontifices de ſtirpe ſua merito Abiathar ex iſto albo excluſus fuit, ſed demus gratis Salomonem id feciſſe Regia authoritate, quod tamen probari non poteſt, non conſtat, num legitime id fecerit, multa fecere reges contra Leuitas, Sacerdotes, Prophetas, ſed non legimus an iuſte facta. Loca interim noui Teſtamenti primatum D. Petri ſat probant.

QVÆSTIO IV.

De perpetuitate huius authoritatis, & illius priuilegio,

ARTICVLVS I.

Supremam D. Petri authoritatem voluit Deus in Eccleſia perpetuam eſſe.

NOta quod eccleſia non conferat hanc poteſtatem ſucceſſoribus D. Petri, ſed confertur ab ipſo Chriſto eis, quos eccleſia legitime nominauerit. Sicut enim in Embrionem iam diſpoſitum, & organis diſtinctum, Deus per ſe infundit animam rationalem, & homo tantum poteſt diſponere materiam ad illam recipiendam, ita eccleſia poteſt tantum perſonam nominare, & legitime electæ Deus per ſe tradit poteſtatem.

Quod

Quod autem hanc authoritatem voluerit Deus in eccleſia perpetuam, probatur 1. quia Chriſtus qui eſt primarium fundamentum, & primarium caput eccleſiæ, quia eam per ſe perpetuo humano modo viſibiliter præſens non erat recturus, voluit habere Vicarium ſucceſſorem, ergo etiam Petrus; neque enim vlla ratio probabilis fingi poteſt, cur Chriſtus debuerit potius habere ſucceſſorem, quam Petrus, atqui Petrus ipſe fuit ſucceſſor, & Vicarius Chriſti, ergo ipſe Petrus debuit habere ſucceſſorem.

Secundo eadem debuit eſſe forma eccleſię Chriſti ſucceſſiue duraturæ, quæ data eſt à Chriſto primitiuæ eccleſiæ tempore Apoſtolorum exiſtenti, ſed tunc eccleſia habuit caput viſibile, ergo eadem regendi forma debuit deinceps eccleſia gubernari, quod ſic probo, vel talis ſuprema poteſtas, in primitiua eccleſia conceſſa D. Petro, fuit ex pœna, vel ex dono, vel ex debito boni regiminis, non ex pœna, quia nulla fuit in primitiua eccleſia tam grauis culpa, quę talem pœnam mereretur: ſi ex dono cur tali dono eccleſia priuaretur, cum eccleſia indefectibiliter perſeueret, vt probaui? ſi ex debito boni regiminis, ſicut de facto eſt, ergo eodem modo debet ſemper eccleſia ſpeciem huius boni regiminis tenere; nec enim poteſt vnquam ex ſcriptura, traditione, vel patribus probari, cur Chriſtus bonum regimen in eccleſia, tantum pro aliquo tempore, & non pro ſemper ſtatuere voluerit, eo magis, quod fideles in primitiua eccleſia fuerint feruentiores in charitate, ſi ergo tum temporis debuit conſtitui ſupremus Paſtor, multo magis cæteris temporibus, quibus tot naſcuntur ſciſmata, ad quæ tollenda, medium efficaciſſimum eſt vnitas capitis, vt ait D. Hieronymus, *ex duodecim vnus eligitur, vt capite conſtituto ſciſmatis tollatur occaſio.*

Item quæ Petro contulit Chriſtus, non propter ipſum Petrum, ſed propter amorem ſuarum ouium, ac beneficium, & vtilitatem illarum impertiuit, vt

innuit

innuit Apoſtolus 1. ad Corinth. 12. verſ. 11. *Datur manifeſtatio Spiritus ad vtilitatem*. Vnde ſic arguo, donum prædicandi, munus baptizandi, poteſtas abſoluendi, & alia huiuſmodi manſerunt poſt mortem Apoſtolorum; ergo, & Magiſtratus Petri: probo, oues Chriſti manſerunt poſt Petrum, & manent iam per mille ſexcentos, & plures annos, & permanebunt vſque in finem ſæculi; ergo ſicut primitiua eccleſia habuit caput, ita, & eccleſia ſucceſſiue perſeuerans debet habere: vnde cum dicit Chriſtus Petro, Lucæ 22: *Confirma fratres tuos*, & Ioan. 21: *paſce oues meas*, Petro, & ſuis ſucceſſoribus loquitur, ſicut quando loquebatur Apoſtolis, vt prædicarent, baptizarent, docerent, haberentque poteſtatem abſoluendi, certe, & Apoſtolos, & Apoſtolorum ſucceſſores alloquebatur, alioquin per mortem Apoſtolorum extincta eſset poteſtas baptizandi, prædicandi, docendi, abſoluendi, quod nemo ſanæ mentis dicit, & hic modus loquendi eſt vſitatus in ſcriptura, vt loquens Deus vni, loquatur generaliter omnibus, ſic quod dixit ad Adamum, & Euam, dixit omnibus hominibus, quare iſta propoſitio dicta Adamo, *In ſudore vultus tui veſceris pane tuo, & in cinerem reuerteris*; ad omnes homines extenditur; & illa alia dicta Euæ. *In dolore paries, & ſub viri poteſtate eris*, Extenditur ad mulieres generaliter, quare propoſitio illa, dicta Petro, extenditur ad omnes Petri ſucceſſores, ſicut dicta ad Apoſtolos extenduntur ad omnes Apoſtolorum ſucceſsores, neque ad hoc requiritur noua reuelatio, ſed ſufficit reuelationis iam factæ noua applicatio, ſicut ad aſſerendum Petrum, aut Paulum eſſe creaturas Dei, non eſt opus noua reuelatione, ſed ſufficit noua applicatio reuelationis factæ in illo Textu *Omnia per ipſum facta ſunt*.

Hinc fallit, & fallitur Caluinus, dicendo, eſto conceſſa fuerit Petro ſuprema authoritas, non ſequi eam tranſiuiſſe ad poſteros, cum id non habeatur in ſcriptura; antequam enim reſpondeam, peterem ab

iſto ſpermologo, cur prædicauit Caluinus, cur nouam ſectam inſtituit, cum id non habeatur in Scriptura? vbi enim in illa fit mentio de Caluino, de Caluini ſecta? cur hodie miniſtelli ipſius prædicant, baptizant, cœnam adminiſtrant, cum de ijs non fiat mētio in ſcriptura? cur de fide credunt Machabæos, Tobiam, Iudith, Eccleſiaſticum non eſſe Canonicos libros, Geneſim vero, Regum, Euangeliorum libros eſſe, cum id non habeatur in ſcriptura? Reſpondeo ergo vt ſupra, quod Chriſtus mandans Apoſtolis vt docerent, prædicarent, baptizarent non dixit, hæc mando vobis, & veſtris ſucceſsoribus, vnde tamen non licet inferre hæc munia in morte Apoſtolorum fuiſſe extincta, quod ergo contulit Apoſtolis, contulit etiam eorum ſucceſſoribus, ſic etiam quod contulit Petro, contulit Petri ſucceſſoribus, quæ reſponſio ſufficiat iſtis nugatoribus.

ARTICVLVS II.

Supremo, & viſibili Eccleſiæ Capiti conceſſa eſt infallibilitas in doctrina fidei, & morum determinanda.

PRobatur Lucæ 22. *Simon, Simon, ecce Satanas expetiuit vos, vt cribraret ſicut triticum; ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos.* Hic plura ſunt notanda, primum, non eſſe dubium, quin Chriſtus obtinuerit quod rogauit, iuxta illud ad Hebr. 5. verſic. 7. *Exauditus eſt pro ſua reuerentia:* Secundum, quod Chriſtus non roget pro Petro, vt pro perſona priuata, ſed prout erat electus Princeps Apoſtolorum, & totius eccleſiæ caput, nam illa verba, tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos, clare indicant, ideo Chriſtum rogaſſe pro Petro, vt poſ-

poſſet confirmare fratres ſuos , ſcilicet Apoſtolos , quod ſpectat ad officium ſummi Paſtoris ; tertium eſt , quod non petierit hoc priuilegium pro eccleſiæ capite ad determinatum tempus , non enim dicit , rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua in mea paſſione, ſed abſolute dixit vt non deficiat, ergo abſolute iuxta illa verba , intelligendum eſt hoc priuilegium .

Quæ ſane conceſſio concordat cum lege naturali,& dictamine rationis . Nam quotieſcumque Deus obligat hominem ad aliquid ſupernaturale faciendum , tunc debet dare medium ſupernaturale , per quod effectus ſupernaturalis à Deo ordinatus facilius produci poſſit; ſed Deus obligat omnes fideles, ad omnes veritates Euangelicas cum certitudine fidei credendas , ergo dedit illis medium per quod fidei certitudo in cordibus fidelium fieri poſſit , hoc autem medium debuit eſſe viſibile,& omnibus commune, quodque omni tempore detur, non poteſt autem eſſe melius, quam caput viſibile habens infallibilitatis priuilegium,cuius eſt paſcere gregem Chriſti, ſcientia, & doctrina,iuxta illud *paſce oues meas*, ad gregem vero ſpectat audire Paſtorem , iuxta illud Lucæ 10.verſ.16. *Qui vos audit, me audit*, terribile eſt quod ſequitur *Qui vos ſpernit, me ſpernit*; ergo Deus obligat fideles, vt audiant Paſtorem ſuum , maxime vero caput eccleſiæ ; ſed impoſſibile eſt , quod Deus nos obliget ad ſequendum , & audiendum paſtorem erroneum,falſarium,aut impoſtorem, ergo hoc ipſo quo obligamur,cum certitudine fidei credere veritates reuelatas , nobis propoſitas à ſupremo eccleſiæ paſtore,iam hoc infallibilitatis priuilegium ipſi conueniet ex officio, quod habet confirmandi alios in fide .

Deinde , Deus hoc ipſum priuilegium dedit Prophetis, Apoſtolis. & Euangeliſtis, ergo à fortiori conceſſit ſupremo , & viſibili eccleſiæ capiti , primus enim Magiſtratus debet omnes differentias ,

quæ

quæ in regno occurunt, vltimate determinare, & id habuit ſummus Sacerdos in ſynagoga, Deuteronomij 17. ergo hoc capiti eccleſiæ, quod in regno Chriſti eſt primus magiſtratus conueniet, ſicut conueniebat capiti ſynagogę, à quo quærenda fuit iudicij veritas, quam ſane ipſe dare non poſſet, niſi eſſet infallibilis, nec eius decreto, & ſententiæ Deus iuberet fideles illius temporis ſtare, ſi illi decreto, & ſententiæ potuiſſet ſubeſſe falſum: hinc á paritate, ſi caput eccleſiæ in rebus fidei, & morum determinandis poteſt errare, non poterit vltimare, & infallibiliter veritates fidei determinare; ergo hoc priuilegium fuit ipſi conuenientiſſime a Deo conceſſum. Item in quocumque genere eſt vnum primum *Quod eſt metrum, & menſura aliorum magiſtratuum, & omnium ſubditorum*, & eſt illud per quod in regno omnia primo determinantur, ſed viſibile caput eccleſiæ, eſt primus magiſtratus, ergo ad ipſum pertinet vltima determinatio in rebus fidei, & morum, hæc autem fit per priuilegium non errandi.

Item fideles totius orbis quærunt certo ſcire, quodnam ſit verum medium ſuæ ſalutis, ideſt, quænam ſit vera, & completa ſumma Sancti Euangelij, quæ in tota eccleſia à ſingulis fidelibus ſit obſeruanda, quis nunc hanc ſummam colliget, conficiet, determinabit? quis vbique cum certitudine fidei docendam curabit? vtique vniuerſalis eccleſiæ paſtor, vel ergo huic ſummæ, fideles cum certitudine fidei credent, vel non? ſi non, ergo ab eccleſia tollitur certitudo. Si certo credent, ergo Vicarius Chriſti habet priuilegium non errandi, in determinandis fidei veritatibus, & ſtatuenda Euangelij ſumma, demus vero in aliqua Mundi plaga ortam eſſe hæreſim, tunc fideles volent ſciſcitari veritatem, ad quem tunc recurrent? non ad ſcripturam, quam hæretici pro ſe allegant, & ſibi fauere contendunt: non ad ſpiritum priuatum, quia etiam Hæretici hoc ſe

affla-

afflari præſumunt, de quo dubitatur, albus an ater ſit, ergo recurrendum fidelibus, tunc ad caput eccleſiæ, & Vicarium Chriſti, vel itaque tunc certo credent ei, vel non? ſi credant, ergo habet priuilegium non errandi, in quo ſolo fundatur certitudo, ſi non credent, à quo tunc habent certitudinem? nō à ſcriptura, non à ſpiritu priuato, vt probaui, ergo vel nullum Iudicem in Terris admittent, vel ſi ſic erit Vicarius Chriſti.

Quęres hic obiter, an mali magiſtratus amittant poteſtatem? Reſp. in magiſtratu duo conſiderari, nempe ipſam poteſtatem, & malum vſum, ſeu abuſum poteſtatis; quæ duo non ſunt confundenda, vnde nō ſequitur, hic abutitur ſua poteſtate, ergo ipſa poteſtas mala eſt, vnde dico, in malis hominibus reſidere poteſtatem, eiſque obediendum eſſe, nam in veteri Teſtamento, numerantur multi mali Principes vt Heli, Saul, Salomon, Roboam, & alij qui ſuam tamen retinuere authoritatem, & Chriſtus monet ſcribis, & phariſæis ſedentibus ſuper Cathedram Moyſi obediendum, & 1. Petri 2. *Obedite Dominis, non tantum bonis, ſed etiam Diſcolis.*

ARTICVLVS III.

Supremum, & viſibile Caput Eccleſiæ, eſt vltimus controuerſiarum Iudex.

HÆc aſſertio ſequitur ex dictis, nam hoc ipſo quo probatum eſt dari in eccleſia ſupremum, & viſibile caput, illico infertur ad eum ſpectare, & penes eum reſidere Tribunal, ſeu ſupremam authoritatem decidendi, iudicandi, ac dirimendi controuerſias fidei, & morum. probatur breuiter, nam habet omnes conditiones legitimi Iudicis imo illas ipſas, quas hæretici requirunt, prima eſt authoritas, ſecunda infallibilitas, vt certo, & infallibiliter Senten-

tentiam pronuntiet, tertia vt ab eo prouocare non liceat, quarta vt non ducatur ſtudio partium, quinta vt ſententiam ſic ferat, vt vtraque pars videat, cui cauſa adiudicatur, obligando partem aduerſam, vt deſiſtat ab erroneo iudicio ſub pœna damnationis.

Prima conditio nempe authoritas habetur Matth. 16. verſ. 19. *Tibi dabo claues Regni Cœlorum*: Vbi nota, per claues hic ſignificari duplicem poteſtatem in quocumque Iudice cuiuſuis fori, vnam neceſſariam ad cognoſcendam authentice cauſam, alteram iudicandi, & ſententiam ferendi, hæ autem claues à Chriſto collatæ ſunt D. Petro, tanquam ſuo Vicario ſuper totum Corpus myſticum eccleſiæ, in duplici foro, nempe in foro publico cauſarum eccleſiæ, & in foro ſecreto Sacramenti pœnitentiæ claues fori pœnitentiæ reſident in ordine presbyteratus; claues vero fori publici in maioribus eccleſię prælatis, dependenter à capite vniuerſalis eccleſiæ, in quo veluti Chriſti Vicario Chriſtus ipſe vniuerſalem fundauit eccleſiam, *ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam, & tibi* indiuidualiter inquit, *dabo claues regni Cœlorum*, ſcilicet in prædicto foro publico ad omnes cauſas, ſiue fidei, ſiue morum, per vltimam Sententiam aperiendas, vnde ſicut clauis, eſt inſtrumentum materiale ad aperiendum, vel claudendum oſtium, per quod intratur in aliquem locū, ita ſpiritualiter ſignificat prædictam publicam poteſtatem ſpiritualem in capite vniuerſalis eccleſiæ per ſententiam definitiuam, ad aperiendum vel claudendum hominibus primo oſtium militantis eccleſiæ, ſecundo triumphantis, hinc notanda eſt duplex præcellentia huius poteſtatis, vna in vniuerſitate cauſarum iudicandarum, quam innuit Chriſtus loco citato Matth. 16. *Quodcumque ligaueris ſuper terram erit ligatum, & in Cœlis*. Altera in infallibilitate vltimati iudicij, & hinc.

Sequitur ſecunda conditio, nempe infallibilitas conceſſa eccleſiæ capiti, vt luculenter probaui arti-

culo præcedenti,ex Lucæ 22.*Ego rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua , & tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos:* Quod ſpectat ad officium ſummi Paſtoris: vnde ſuperfluum eſt hanc conditionem iterum hic probare;tertia vero, quod non liceat ab eo prouocare, probatur ex capite] citato Matth. 16. *Quodcumque ligaueris ſuper terram erit ligatum , & in Cælis, & quodcumque ſolueris ſuper terram erit ſolutum, & in Cœlis*, Hinc quidquid ab eccleſiæ capite,vel credendum,vel obſeruandum proponitur, & definitur,hoc ipſum in Cœlo ratum habendum eſſe promittit Chriſtus, & illud ipſum à capite viſibili definiendum,quod in Cœlo definietur, ſed non licet prouocare à ſententia in Cœlo rata, & confirmata, ergo non licet prouocare à iudicio vltimato capitis eccleſiæ, in Cœlis vtique iuxta promiſſionem Chriſti, rato,approbato, & confirmato, hoc ipſum argumentum fuſius proſecutus ſum,diſtinctione de Concilijs,quæſtione prima.

Quarta etiam conditio, nempe vt non ducatur ſtudio partium, habetur in illis item verbis Luc. 22. *Rogaui pro te.vt non deficiat fides tua,& tu confirma fratres tuos,paſce oues meas*, Ioan.21. & Ioan.4. *Spiritus Sanctus docebit vos omnia , & ſuggere vobis omnia*, Ex quibus omnibus infertur, eccleſiæ capiti conceſſam eſſe veracitatem, quæ conflatur, tum ex ſapientia infallibili,vt non decipiatur, tum ex bonitate vt non decipiat,aut conſequenter ducatur ſtudio partium,ſicut enim(vt conſtat ex articulo præcedenti) Chriſtus aſſiſtit eccleſiæ, & eius capiti vt non decipiatur,ita aſſiſtit eiſdem vt non decipiant.

Quinta denique vt Sententiam ſic ferat, vt vtraque pars videat, cui cauſa adiudicatur obligando parte aduerſam vt acquieſcat,probatur Matth.18. *Dic Eccleſiæ, ſi Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus, & Publicanus.* Si enim eccleſia viſibilis non eſset ſub capite viſibili, ut tota hac diſtinctione probaui, non poſset Senſibiliter lites dirimere, nec con-

controuerſiæ inter homines unquam deciderentur, & hinc fruſtra frater peccans deferretur ad Tribunal Eccleſiæ, fruſtra diceretur à Chriſto, confirma fratres tuos controuertentes per ultimam ſententiã infallibilem, fruſtra inquam hæc ſi uiſibile caput non ita ſenſibiliter proferret ſententiam ut ſciretur cui parti cauſa eſset adiudicata, fruſtra diceretur, *Oues meas paſce*, quæ commiſſio ſenſibile miniſterium ſenſibiliter in cauſis eccleſię exercendum deſignat, quod autem pars aduerſa teneatur ſub pena mortis acquieſcere, patet ex loco citato. *Si eccleſiam non audierit ſit tibi ſicut Ethnicus, & Publicanus*, Vbi Chriſtus comminatur mortem, & patet à paritate ex Deut. 17. *Qui autem ſuperbierit nolens obedire Sacerdotis imperio morietur*; Ergo ſimiliter, qui noluerit ſupremo, & viſibili eccleſiæ capiti acquieſcere morietur, cur enim minoris authoritatis eſſet caput eccleſiæ Chriſti, quam fuit caput ſynagogę?

Tandem confirmat totum hunc Articulum locus ille Ioan. 21. *Paſce oues meas*, ubi totus Grex illius curæ commiſſus eſt, & boni paſtoris munus eſt mala paſcua, à bonis diſcernere, & ſibi commiſsos ab ijs arcere, item lites inter ſubditos componere, ius partibus dicere, ut patet in omnium magiſtratuum uſu, dari autem hunc magiſtratum in eccleſia, cum ſubordinatione ad unum ſupremum, & uiſibile caput. Hac diſtinctione oſtendi, ergo hoc caput erit ultimus controuerſiarum Iudex, quæ hic obijci poſſent, ſoluta ſunt quæſtione præcedenti.

DISTINCTIO VII.

An modernis Acatholicorum ſectis conueniant ſigna veræ, & viſibilis Chriſti eccleſiæ.

EX dictis conſtat dari in hoc orbe unam, ueram uiſibilem, ac infallibilem Chriſti eccleſiam, quæ eſt adæquata credendi regula, omniumque controuerſiarum iudex, cuius difinitionibus ſub æternæ damnationis pœna ſtandum; in qua ſola ſit uera ſalus & fides, extra quam nulla ſalus: eamque ijs eſse notis inſignitam, Quæ illam aperte demonſtrent humano generi: item illam eſſe regnum bene ordinatum á magiſtratibus ſuis gubernatum: nunc iterum de modernis ſectarijs occurrit ſermo, an ipſi ſibi has notas uendicare poſſint? ſigna enim, quę ipſi, pro legitima eccleſia, requirunt, nempe puritatem doctrinæ, & legitimam Sacramentorum adminiſtrationem, prædictis ſectarijs non conuenire, ſatis ſuperq; oſtenſum eſt per totam primam partem: quod ſi hæ notæ de quibus modo acturus ſum, eis non conueniant, omni titulo uerę Chriſti eccleſiæ, careant neceſse eſt. quod ut probem ſit.

QVÆSTIO I.

An apud modernos Sectarios ſit vnitas vel ſanctitas?

VTi non poteſt ab uno Deo, opinionum in fidei capitibus eſse diuerſitas, cum repugnantia ab uno ueritatis oraculo non profluant - ita illic ueritatis adulteratio deputanda eſt, ubi doctrinæ diuerſitas in rebus fidei reperitur, & ubi nulla morum diſciplinæ, uel doctrinæ ſanctitas elucet, inde ſana doctrina exulat, quod nimis clarum apparebit ex ſequentibus de modernis ſectarijs.

ARTICVLVS I.

Apud modernos Heterodoxos nulla eſt vnitas.

DIſſentiunt in præcipuis doctrinæ capitibus moderni Acatholici: realem præſentiam admittunt Lutherani; negant mordicus Caluiniſtæ: iuſtum ex iuſtitia, & gratia excidere poſſe, tenent Remonſtrantes in collatione Hagienſi; non poſſe vero excidere, negant perfricta fronte ibidem contra Remonſtrantes Caluiniſtæ. Proteſtantes Angliæ quandam eccleſiaſticæ Hierarchiæ ſeriem admittunt ex Rege, Archiepiſcopis, Epiſcopis, decanis conflatam, vt conſtat ex confeſſione Anglica: hanc Hierarchiam cane peius, & angue oderunt, ac deteſtantur Puritani, & Caluiniſtæ, in confeſſione Gallica art. 30. centuriatores Lutherani, in defenſione confeſſionis Martiniſtarum dicunt liturgias Caluiniſtarum, *Non de vno ſolo ſacrilegio abominabiles eſſe, ſed animas præcipitare in infinitum æternæ damnationis.* Imo teſte Brerlæo, ſcripſerunt ex Lutheranis, contra Caluiniſtas quadraginta ſeptem authores, de his præcipuis capitibus, ſcilicet, de cœna Domini, baptiſmo, peccato originali, perſona Chriſti, de prædeſtinatione, de miniſterio Verbi &c.

E contra vero, Caluinus ipſe accerrime in Luteranos inuehitur, admonitione tertia ad Ioachimum Vveſtphalum, aſſerens eos eſſe. *Homines vertiginoſos, phreneticos, beſtias, prodigioſe cæcos, deſperate impudentes; nihil aliud quam falſarios &c.* Pulchra ſane elogia. de Cœna autem Domini, de incarnationeſ, & alijs ſubſtantialibus articulis inueniuntur viginti ſeptem libri compoſiti à Caluiniſtis contra Lutheranos teſte citato Ioanne Brerlæo: & idem author numerat ducentos viginti ſex libros à poteſtantibus, contra alios proteſtantes, de ſola Euchariſtia ſcriptos, ab anno 1574. vſque ad annum 1598. graſ-

ſatur idem incendium inter præfatos poteſtantes, & Puritanos, hi apud Maſſonium in ſuo miniſterio, pag.398. vocant proteſtantes, *perniciofos vſurpatores, latrones, lupos, Epiſcopos Diaboli*. Proteſtantes e contra apud eundem vocant, *puritanos delirantes, ſciſmaticos &c.* tantane animis cæleſtibus iræ? inteſtinas halce diuiſiones, & contradictiones didicerunt prætenti reformari à ſuis protoparentibus; nam in operibus Lutheri. Coccius lib. 8. de ſignis eccleſiæ, numerat octoginta contradictiones de ſequentibus, nempe de mandatis Dei, de oratione, horis canonicis, votis, obedientia, cælibatu, tranſubſtantiatione, miſſa, communione; de quibus quod aſſerit in vno loco, negat in alio. Caluinus de Chriſti meritis, oratione, gratia, morte, omnipotentia Dei, authore peccati, Trinitate, cœna, baptiſmo, pluſquam triginti vicibus ſibi contradicit.

Puduit reformatos tantæ diſcordiæ, & aiunt eiuſmodi diuiſiones, vel contradictiones non eſſe in rebus fidei: ſed contra, eſſe in fidei eſſentialibus, ex his conſtat, nam confeſſio Heluetica,& catechiſmus Geneuenſis dicunt fidem requiſitam ad ſalutem conſiſtere in ſymbolo Apoſtolorum ſolummodo. ſed Muſculus tit. de eccleſia, Hofmannus in offic. The. Georgius Calixtus ad Theol. Moguntiné, addunt alia, ſcilicet ſymbolum Conſtant. Athanaſij, Anathematiſmos Epheſini, confeſſionem Calcedonenſem. item alia fuit doctrina religionis reformatæ ſub Henrico Octauo, alia ſub alijs; item alia fuit liturgia Henrici, alia Ædvvardi, alia Eliſabethæ, alia Iacobi. ad hæc quoties confeſſiones mutatæ, quoties articuli variati, probat FitSimon in ſua Britonomachia, has vero diuiſiones,non eſſe in rebus leuibus, ſed in fundamentalibus fidei, fatentur aperte ex aduerſarijs, Nicolaus Gallus in theſibus, & hyppotheſibus; Seleucerus in tertia parte comment in pſal.131.Couellus in ſua defenſione art. 11. quid ergo dicemus de his; certe Chriſtus Ioan.17. verſ. 20. rogat, vt, *Qui*

credituri ſunt, vnum ſint, ſicut act. 4. verſ.32. *Multitudinis credentium erat cor vnum , & anima vna.* & Apoſtolus 2.ad Corinth.1. v.17. *nunquid leuitate vſus ſum? aut quæ cogito, ſecundum carnē cogito, vt ſit apud me,* eſt & non? *Fidelis autem Deus, quia ſermo noſter qui fuit apud vos, non eſt in illo,* eſt & non, ſed eſt, *in illo fuit,* id eſt vnitas, & conſonantia; ergo cum Deus non ſit diſſenſionis, ſed Deus pacis, vbi diſcordia, & diſsonantia in rebus fidei, illa religo nō erit à Deo pacis, ſed à diabolo diuiſionis patre, & authore.

ARTICVLVS II.

Apud prætentos reformatos nulla ſanctitas.

IN notis eccleſiæ , dixi ſanctitatem reſplendere in tribus, nempe in moribus, in miraculis, in doctrina, & triplici hac ſanctitate plerumq; conſueuerunt florere, quotquot Deus præcones veritatis orbi ſucceſſiuis ſęculis, deſtinauit, vt Noe, Abraham, Moyſes, Apoſt: quā lōge iſta, à reformatę religionis chimicis exulauerint, norunt ex actis, geſtis, & ſcriptis eorum, quotquot illa luſtrarunt. in primis , ſi mores ſpectemus. Caluinus ſodomitici criminis reus, à grauiſſimis authortbus refertur, & à martyre Campiano dicitur ſtigmaticus perfuga ob inuſtum humeris eius lilij Gallici ſignum, in infamiam commiſſi ſceleris ; neque id negat , nullo tantæ enormitatis habito rubore , Vitakerus in reſponſione ad eaſdem rationes, Zuinglius presbyter, & paſtor in Iurich fatetur ſe, & ſuos ob libidinis ardorem eſse infames in facie eccleſiarum , adeoque ſcortum habuit . vti ſimiliter fecit Carolſtadius Archidiaconus Vitembergenſis.

Lutherus, Beza, Oecolampadius, Petrus Martyr, Bucerus, erant excucullati monachi : Lutherus monialem, vt inceſtui, ſacrilegium adderet, duxit; cui , vt ipſe fatetur , per inde fuit de vxore, ac de cibo , & potu cogitare ; eo ſcilicet . euaſit , huius pſeudo-

Apoſtoli ſalacitas; vt pari ardore, & victum apperet & venerem; Beza Mechus ſimul, & pæderaſta fuit, vt in feſcenninis ſuis verſibus de ſua candida, Claudia, ſcilicet, *ſartoris pariſienſis* vxore, ab ipſo rapta & Audeberto ſuo catamito, compoſitis fatetur, propriæ ſuæ turpitudinis præco. Cæteri pariter magiſtrorum ſuorum exempla ſecuti, carnis ſuæ incendijs aduſti, libidini ſuæ laxarunt habenas, quos miratur Eraſmus in Epiſt. ad fratres inferioris Germaniæ, tanto carnis æſtu flagrare, qui ſe iactabant agi Spiritu Chriſti.

De ſanctitate miraculorum non eſt, quod agamus cum aduerſarijs: tentauit Lutherus miraculum cudere, referente Frederico Staffilo occulari teſte in reſponſione ad Iacobum Smidelinum pag. 404. ſed aſtutus orci cerberus vomicam clauſtri, Lutherum, in eas redegit anguſtias, *vt mirari liceret*, inquit Staffilus, *quot Lutherus angoribus correptus ſurſum, deorſum curſitaret, inſtar ouis parturientis*. Tentauit item Caluinus, teſte Bolſeco in eius vita, Brulleum pauperem ficte mortuum ſuſcitare. ſed Deus, qui nequit eſse teſtis falſus, ficte mortuum vere mori fecit, nunquam poſtea reſuſcitatum; hinc Eraſmus merito dicit huiuſmodi homines, ne equum quidem claudum ſanare potuiſse, ſed lepidam excogitauere Heterodoxi viam, palliandi impotentiam ſuam in hac parte, nempe cum nulla ipſis affulgeret, vel affulgeat ſpes patrandi miracula, omnia prorſus miracula negare inde huc ab Apoſtolorum morte.

Nullam doctrinæ ſanctitatem apud aduerſarios eſse, oſtendit manifeſte tota prima pars, ita vt dogmata eorum, ſiue fidem ſpectes, ſiue mores, ne latum vnguem diſtent ab atheiſmo, & ſane tantæ impietatis ſemina iecerunt primi prætentæ reformationis fabri, nam Lutherus diſp. 2. Lypſica, *hæc cauſa*, inquit, *nec propter Deum cæpta eſt, nec propter Deum finietur*. Si non propter Deum, ergo propter diabolum, à quo genuine fatetur Lutherus tom. 7. Ger.

Vvit.fol.479.& tom.6.Ienenſi. fol.82. ſe accepiſſe ſuam doctrinam, vt verbo diaboli niti totam, Lutheri confeſſione pateat. Nec id ipſum veretur agnoſcere Feder eus Balduinus, & in colloquijs manſalibus pari ſi non maiori familiaritate, dicit Lutherus ſe, & diaboli, & Catharinę ſuę conſortio frui ſolitum. *Diabolus*, inquit, *frequentius, & propius mihi condormit, quam mea Chatarina*, quam quæſo doctrinæ ſanctitatem ab iſto ſperent Heterodoxi, cui ſocij diabolus, & ſacrilega Monialis. Zuinglius vero in ſubſidio Euchariſtiæ, *viſus eſt monitor adeſſe*, inquit, *albus, ater ue ſit neſcio*, impia Caluini dogmata, impijſſimę, & nefandiſſimæ illius blaſphemię digito demonſtrant, quas in Chriſtum auernali ructu euomit; lib.1.inſtit.cap.16. *Diros*, inquit, *in anima cruciatus damnati, & perditi hominis pertulit.* in cap.26. Math. *Diuina maledictionis horrore percuſſus eſt.* & in c.27. *ſic videmus Chriſtum ex omni parte vexatum fuiſſe, vt deſperatione obrutus, ab inuocando Deo abſiſteret quod erat ſaluti renuntiare.* O mentem inferno natam! potuit ne aliquid in blaſphemiis excogitari immanius? hi; & ſimiles ſunt reformatæ religionis conditores, quos ego credo non Dei, ſed Satanæ fuiſſe miniſtros.

QVÆSTIO II.

Religio Sectariorum non eſt Catholica ſiue quoad tempus; ſiue quoad locum, adeoque non eſt antiqua, ſed noua.

RELigionem Chriſtianam, ſeu eccleſiam Chriſti eſſe Catholicam, ſiue vniuerſalem, tum quoad tempus, ideſt, perpetuam, indefectibilem, nunquam interruptam; tum etiam quoad locum, quatenus extenditur vſque ad fines Orbis Terræ iam probaui ſuo loco, quæritur verò etiam hic, an Religio ſectariorũ ſit Catholica, ſiue vniuerſalis, ideſt, perpetua, quoad tempus ſaltem, adeo vt à morte Chriſti, vſque in ho-

hodernam diem ſine vlla interruptione durauerit, ſi enim ſemel defecit, vera Chriſti eccleſia eſſe non potuit, ſi non defecit, quæritur, per quos canales huc vſque tranſiuerit? qui fuerint profeſſores illius, quo Orbis terræ loco, vel angulo fuerit? quibus ſæculis floruerit? quæ gentes, quæ regna eam coluerint? in quibus annalibus, libris, Bibliothecis de illa fiat mentio? hinc fit.

ARTICVLVS I.

Recenſentur ſectæ omnes, quæ ſingulis ſæculis emerſerant, vt videatur, an ab eis ducant moderni Sectarij Originem.

VT accuratius diſpiciamus noua ſit, an vetus ſectariorum religio, ſeu irreligio, & hæreſis, quæ velut cancer ſerpere, ac exedere membra eccleſię, ab vno amplius ſęculo cœpit: cenſum ineo hęreſum omnium, quę ſingulis ęuis emerſerant, & Apoſtolici ſymboli articulos per ordinem irrito impetiuere conatu, duobus ergo prioribus ſæculis Simoniaci, à Simone Mago, Menandriani, Baſilidiani, Valentiniſtę, Marcioniſtę, Manichęi, & Gnoſtici, articulum primum ſymboli Apoſtolorum oppugnarunt ſuadentes, non eſſe. *Vnum Deum Patrem omnipotentem Creatorem Cæli & Terræ.*

Tertio ſęculo Praxeas, Noetus, Sabellius, & Paulus Samoſatenus cornibus ſuis ventilarunt articulum ſecundum, in quo aſſeritur diuinitas Chriſti, deinde Photinus, Arius, & Eunomius tribuerunt Chriſto naturam aliam à natura Patris, neque vtriuſque perſonas diſtinxerunt, circa quartum ſæculum Neſtorius, Thedorus Mopſueſtenus, Eutyches, & Dioſcorus conuellere tentarunt articulos 3. 4. 5. 6. & 7. circa quintum verò ſæculum idem conati ſunt Petrus Gnapheus, Seuerus Antiochenus, Iulius Halicarnaſseus; ſicut ad ſextum & ſeptimum ſęcu-

ſæculum Iacobus Syrus, Cyrus Alexandrinus, Sergius, Phyrrhus, Paulus Conſtantinopolitanus, ac demum diuiſa in ſectas plurimas Eutychetis poſteritas.

Hi ergo alijs atque alijs machinis ſubruere voluerunt myſteria diuina Incarnationis, Paſſionis, Reſurrectionis, & vniuerſalis, extremique Iudicij; cum primi perſonas duas in Chriſto, humanam, diuinamque aſtruerent; & Chriſtum Deum, à Chriſto homine ſeparantes, affirmarent Chriſtum hominem tantum opera redemptionis noſtræ peregiſſe: vltimi verò è contrario naturam vnam ex duabus conflarent, crederentque Incarnationem, Paſſionem, Reſurrectionem, & extremum Iudicium eſſe inania hominum commenta. Græci verò ab octauo ſæculo auſpicati ſuum ſciſma, conati ſunt deſtruere velle articulum octauum, quia pronunciarunt Spiritum Sanctum á filio non procedere, licet vt aduertit Cornelius a Lapide in cap. 15. act. Apoſt. & Bellar. in præfatione ad controuerſias, multo ante ſciſma Græcorum quarto ſcilicet ſæculo, partim Macedonius Spiritum Sanctum Deum eſſe, partim Theodorétus eum procedere à filio negauerint, ſtetit interim totis caſtris per tot œcumenica concilia aduerſum hos catholica eccleſia, vnde hi omnes coacti ſunt receptui canere.

Caſtra idcirco metati ſunt, noui hoſtes, contra eccleſiam, eiuſque Sacramenta, itaque ab anno milleſſimo vſque ad hanc noſtram ætatem Berengariani Petrobuſiani, Albigenſes, Vvicleffiſtæ, Huſſitæ, Lutherani, Zuingliani, Caluiniſtæ, Confeſſioniſtæ, Anabaptiſtæ, &c. quaſi rabidi moloſſi latrare cœperunt contra 9. & 10. articulum, nempe *Sanctam eccleſiam catholicam, Communionem ſanctorum, remiſſionem peccatorum.* Imo duos poſtremos etiam negare videntur, ſcilicet carnis reſurrectionem, & vitam æternam in ſuis ſcriptis, & dictis.

Demus nunc Sectarijs noſtri ſæculi, qui declinant tam ſtudioſe nouitatis ignominiam, demus inquam

quam eis antiquitatem, quam poſſumus in ipſorum errore maximam & ſit.

ARTICVLVS II.

Sectarij non poſſunt extendere antiquitatem ſuæ Religionis ad nouatores primi, ſecundi, tertij, quarti, quinti, ſexti, & ſeptimi ſæculi.

DE nouo iſtius Religionis fœtu, mirum quantis premantur anguſtijs ſectarij, vt illius deſignent Patrem, vt matrem oſtendant, ſed certe ſi Lutherum, Caluinum, Bezam, & cæteros huius maſſæ homines à titulo parentum huius monſtroſæ prolis excludant, erit interim fœtus incerti Authoris, ſoboles ignoti parentis, ſine Patre, ſine Matre, inſtar fungi nocturnis tenebris nemine aduertente progeniti, quæram ergo hic, an ſaltem retroactis ſæculis auos habuerit, vt ſic ad minus videatur, an tanquam Phœnix in cineres poſtmodum ſuos reſolutus, iterum ſub viris iſtis reuixerit?

Ordior ab Ario, bellum ille vt vidimus indixit Chriſti diuinitati, indixere ſimiliter Photinus, Eunomius, & ante Praxeas, Noetus, Sabellius, hos omnes ſi ſectarij abauos ſuos aſſeruerint, cum illis negabunt. *quod in principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum*, negabunt ſymboli Nicæni articulum, *vnum Dominum Ieſum Chriſtum, filium Dei vnigenitum, Deum de Deo, genitum non factum, conſubſtantialem Patri.* vel ergo iſti erãt hæretici, vel non? ſi non, cur damnantur à ſcriptura Ioan. 1. cur à Concilio Nicæno? ſi autem erant hæretici, iterum ſubſumo vel eos Sectarij agnoſcunt pro ſuis proauis, vel non? ſi agnoſcunt, ergo hæreticos blaſphemos, Chriſti hoſtes pro ſuis parentibus agnoſcunt, ſi hos nolint pro ſuis admittere: ergo ad hos genalogiam ſuã texere non poterunt, multo minus ad Simoniacos, Menandrianos, Baſilidianos Valentini-

ſtas

ſtas, Marcioniſtas, Manichæos, Gnoſticos, qui negabant eſſe. *vnum Deum Patrem omnipotentem, Creatorem Cœli & terræ.*

Pergamus ad 4. & 5. ſæculum, his temporibus Neſtorius, Eutyches, Dioſcorus, & alij ſupra relati, partim perſonam Chriſti, partim duas illius impetiere naturas, cum his ſi ſenſerint ſectarij, diſſentient hiſce Euangeliſtæ verbis, *& Verbum caro factum eſt.* Diſſentient hiſce articulis Apoſtolici ſymboli, *qui conceptus eſt de Spiritu ſancto, natus ex Maria Virgine.* diſſentient Nicæno ſymbolo, *crucifixus etiã pro nobis, paſſus & ſepultus eſt.* Vel ergo ab his propagatos ſe eſſe dicent ſectarij, vel non? ſi non, ergo quarto, & quinto ſæculo ne ſcintilla de iſta religione vixit? ergo ab his temporibus auos vel abauos quærere non poſſunt, ſi vero ab his propagari ſe glorientur, ergo tunc glorientur: ſe de prædamnatis ſectis, de hæretica, & blaſphema radice, de gente non ſancta eſſe, ſi dicant hos non fuiſſe tales, quales aſſeruntur eſſe, dicam ego me potius credere patribus concilij Epheſini & Calcedonenſis, item Auguſtino, Hieronymo, Epiphanio,, Cypriano, & aliјs celeberrimis, ſanctiſſimiſque viris, qui iſtis exſtitere temporibus, quam fœdifrago excucullato monacho, ſtigmatico perfugæ, & alijs eiuſdem Colluuiei hominibus, heſternum nobis producentibus commentum de ſuo mendaci cerebro.

Si dixerint iterum, licet iſti in præfatis errauerint, multa tamen alia ſalutaria tradidiſſe dogmata, quæ hodie profitentur Acatholici, itane vero ſectarij magiſtros erroris, magiſtros uultis habere ſalutis æternæ, credamne ego eos qui poſuerunt in Cœlum os ſuum, ſpiritum habuiſſe cœleſtem? credamne ego eis aſtitiſſe Chriſtum, qui in Chriſtum blaphemiarum effuderant virus, ſi tales volunt ſectarij habere parentes, ego talium parentum filios eodem quo illi afflari credo Spiritu, Spiritu inquam erroris, ſpiritu mendacij & blaſphemiæ de ſexto, &7.

ſæcu-

ſæculo quid dicam? cum fœces illorum dierum Iacobus Syrus, *Paulus* Conſtantinopolitanus, *Cyrus* Alexandrinus, idem cum quarti & quinti ſæculi portentis tenuerint, ſi ſenſerint cum illis Sectarij, eandem cum illis partem, & ſortem habeant, vel deſignent quinam alij exſtiterint præter hos, & Romanos, à quibus ipſi originem ducant, nunquam deſignabunt, ego ad alia tranſeo.

ARTICVLVS III.

In octauo ſæculo, nullus Religionis reformatæ truncus, vnde à Græcis ſeriem non ducit.

HÆret ad huc in gremio ſectariorum nouellæ Religionis Embrio, nec dum illius originem deſignant; ſed o quid non mortalia pectora cogis dura neceſſitas? miſerunt illi ad octaui ſæculi abortum ad ſciſma Græcorum, vt ſi parentem ſe non agnoſceret, permitteret certe, vt nouæ Religionis fœtus velut lappa fimbrijs illius hæreret eccleſiæ, teſtis locuples ſit Hieremias Conſtantinopolitanus Patriarcha, Teſtis liber ab ipſo ſcriptus, & inſcriptus *cenſura orientalis eccleſiæ.* ſeu doctrina exhortatoria ad Germanos conſcripta, liber latine verſus eſt à Stanislao Socolouio Poloniæ Regis Theologo.

Reſpondet Heremias per capita. 1. capite tenet Spiritum Sanctum non procedere à filio, ibidem Sanctos inuocat & eorum interceſſiones aſſerit, hanc clauſulam ſectarij non admittunt, & ſit prima differentia inter eos, & Græcos. quarto capite, admittit in eccleſia poteſtatem remittendi peccata, additque fidem per bona opera comprobandam, idem repetit cap. *6.* & ſit ſecunda, & tertia differentia Græcorum à ſectarijs, qui iſta omnia negant cap. 7. ad verba ſectariorum reſpondens de eccleſia ait, admittenda eſſe ſeptem Sacramenta, nec plura, nec pauciora, hæc ſectarij negant & ſit quarta differentia

octa-

octauo capite ſuadet obedientiam,erga eccleſiæ Miniſtros, diſſuadent Sectarij, & fit quinta differentia, decimo capite fatetur, & expreſſe aſſerit realem præſentiam corporis,& ſanguinis Chriſti ſub ſpeciebus conſecratis: hoc autem myſterium quibus diris, blaſphemijs, & execrationibus non proſequũtur ſectarij, & fit ſexta ſolemniſſima, & eſsentialis differentia inter ſectarios & Græcos.

Vndecimo capite refutat errorem Sectariorum de Sacramento pœnitentiæ, & cap. duodecimo refutat eorumdem errorem de ſatisfactione,quàm poſt confeſſionem exercendam ait, hanc reſpuunt ſectarij, & fit ſeptima differentia, decimo tertio capite commendat & agnoſcit ſacrificium incruentum corporis, & ſanguinis Chriſti, hoc negant ſectarij, & fit octaua ſolemniſſima differentia, decimo quarto capite Sacramentum ordinis probat, & approbat, reprobant ſectarij, & fit nona differentia. decimo octauo capite refutat errores Sectariorum de gratia, & libero arbitrio, cap. 19. docet Deum non eſſe Authorem peccati. cap.20. admittit traditiones. capit.21. admittit cultum Sanctorum,& fit decima, vndecima 12.13.& 14. differentia,concludit,& hortatur ſectarios ad hæc omnia credenda,& ſic promittit eos recipere, promittunt Græci pluſquam ſperabam,volunt eſse parentes religionis ſine parente ab antiquis ſæculis habito, ſequitur, *modo,* inquit, *Apoſtolicas, & ſynodicas nobiſcum ſimul ſequi traditiones volueritis, hiſque vos ipſos ſubijcere*, dura eſt conditio à Patriarcha nomine orientalis eccleſiæ propoſita,deſperata res eſt.

Vultis ne vos ſubijcere illi eccleſiæ,o ſectarij?ſi vultis,doctrinam de ſeptem Sacramentis, de ſacrificio miſsæ, de tranſubſtantiatione de veneratione, & interceſſione Sanctorum, debetis amplecti, ſi non vultis, Græcos veſtræ religionis patres non habebitis, & ſic in octauo ſæculo nullus Truncus,nulla radix, vnde pullulauerit inſperatus ille profeſſionis ve-

veſtræ fœtus, proinde remanet deforme monſtrum e nihili ſcrobibus emergens, in confuſionis nubibus ambulans, vel date vnum iſtius Religionis Profeſſorem, nominate locum, libros, annales; qui de illo iſto ſæculo loquantur: neminem dabitis, ſed vlterius pergo.

ARTICVLVS IV.

Præcluditur Sectariorum effugium ad Petrum de Bruis, Berengarium, VValdenſes, VViclefum, Huſſitas, adeo vt ab his originem ducere non poſſint.

VT concedamus vetuſtatem errori, quem hodie contra realem pręſentiam mordicus fouent ſectarij, ægre vltra Petrsm de Bruis, & Berengarium ibimus, docuerunt ergo iſti verum Chriſti corpus in Euchariſtia non eſse, ſed ſolum ſignificari. Petrus de Bruis damnatus fuit in concilio ſecundo Lateranenſi. Berengarius autem palinodiam cantans hæreſim ſic abiurauit, *abiuro omnem hæreſim, confiteor de Sacramento dominicæ menſæ, poſt conſecrationem non ſolum Sacramentum, ſed etiam verum Corpus, & ſanguinem Domini noſtri Ieſu Chriſti eſſe*; & relapſus iterum abiurat errorem, teſte Beato Lanfranco Contuanenſi Archiep. Apud Iuonem part.2. c.20. docuit item Berengarius infantes non debere baptizari, nec debere coli matrimonia, ſed omnes fęminas omnibus maribus communes eſse, ponderent canonem iſtum vxorati Epiſcopi, & miniſtri, ſi velint iurare in verba Berengarij.

Vel ergo agnoſcunt hunc ſectarij pro ſuo protoparente, vel non? ſi non, ergo ab illo ſeriem, aut progreſſum non ducunt, ſi eum agnoſcunt, ergo periurum ſequuntur Authorem, quod ſic probo. nam in eadem profeſſione, ſeu abiuratione facta à Berengario

gario

gario inquit ipſemet, *eos verò cui contra hanc fidem venerint cum dogmatibus, & ſectatoribus ſuis, æterno anathemate dignos pronuncio*, tunc ſic ad hominem, vel vere hic iurat Berengarius, vel falſo? ſi vere, ergo ſectarij tenentes oppoſitum, iudice Berengario ſunt hæretici, & æterno anathemate digni, ſi falſo iurat vt credunt ſectarij, ergo periurum habent Apoſtolum, qui publice negat eam opinionem, quam ipſi hodie tenent contra realem præſentiam Corporis Chriſti, & ſic in eum quadrat locus Apoſtoli ad Gal. 2. verſ. 18. *ſi enim quæ deſtruxi, iterum hæc ædifico præuaricatorem me conſtituo*.

Deinde hæreticus fuit Berengarius quod ſuſtulerit Sacramentum matrimonij, quod negauerit paruulos eſſe baptizandos, quod fœminas omnes dixerit eſſe communes, quis credet quod in illo ore locutus ſit Spiritus veritatis, in quo locutus eſt ſpiritus mendacij? credet ne quis ab eodem ſpiritu venire orthodoxam fidem, & impios errores? deinde demus ſectarijs, hunc etiam anteſignanum, demus fuiſſe Authorem illius opinionis contra realem præſentiam, tunc certè viguit vera et viſibilis Chriſti eccleſia, peto nunc quiſnam ante Berengarium, vel Petrum de Bruis illam opinionem docuit? quo concilio fuit definita, quo ſæculo, quo loco propoſita, in eccleſia illa, quæ nunquam errauit? ergo ſicut cum prædictis cæpit, ita ante eos nunquam fuit audita.

Eamus ad Vvaldenſes, & Albigenſes, hi teſte Rogerio, Iacobo Vtriacho, Reinero, docuerunt reijcienhum eſſe vetus Teſtamentum, matrimonia eſſe damnata, promiſcuos concubitus eſſe ſanctos, non obediendum Prælatis, neminem eſſe maiorem in eccleſia, terram & populum non eſſe diuidendum per partes, omnes Principes, et Iudices eſſe damnatos, et ſic ſuſtulerunt regna, reſpublicas, Reges, Principes, Dominos, Iudices, dicebant itē baptiſmum infantium non prodeſſe, maleficos non eſſe damnandos, à cingulo deorſum non committi pec-

catum, quod Chriſtus fuerit filius Ioſephi, & Mariæ, quod Chriſtus per illorum ſectam ſaluus factus ſit, non dari reſurrectionem, vel infernum, cum eccleſia, tamen catholica tenebant dari abſolutionem à peccatis, tranſubſtantiationem, ſacrificium, & Sacerdotes; hæc de iſtis ſupramemorati Authores .

Vel ergo ad hos ſe referunt ſectarij, vel non ? ſi non, ergo ab illis originem non trahunt, ſi ſic, ergo cum illis renuntiare debent veteri teſtamento , regibus, principibus, Dominis, iudicibus, permittere maleficos , omnia denique vitiorum genera ſi à cingulo deorſum, non committatur peccatum, item admittere blaſphemias contra Chriſtum , non futuram reſurrectionem, non dari Infernum, dari tamen cum eccleſia catholica abſolutionem à peccatis in foro pœnitentiæ, realem præſentiam, ſacerdotes, ſacrificium, hos ſi voluerint ſectarij ſuos eſſe maiores, illa omnia dogmata tenere debent .

Pergo ad Vviclefum & ſuos: docuit: (prout refert Ioannes Przibram:) Deum debere obedire diabolo, matrimonium inter fratres , & ſorores eſſe licitum , nullum eſſe Dominum ciuilem , dum eſt in peccato mortali , populares ad ſuum libitum poſſe Dominos delinquentes corrigere, eccleſiaſticos non debere habere poſſeſſiones , docuit tamen cum Eccleſia catholica hoſtiam conſecratam eſſe adorandam, dari Purgatorium , colenda eſſe Sacramenta imagines , reliquias , ornamenta eſſe laudabilia ; inuocandam eſſe Beatam Virginem , Angelos colendos .

Vel ergo iſte erit Author Euangelij reformati vel non ? ſi non , ergo ab hoc trunco non pullulat nouella iſta religio : ſi ille eſt Author , ergo cum blaſphemo iſto blaſphemabunt ſectarij contra Deum, rebellabunt contra Principes , admittent illicita matrimonia inter fratres, & ſorores , admittent item cum eccleſia Catholica adorationem hoſtiæ conſecratæ , cultum *B*eatæ Virginis , & Angelo-

rum

rum, cultum Imaginum ac reliquiarum, Purgatorium, paramenta altaris, & alia huiuſmodi pluſcula, quæ ſectariorum Palato nimis amara videntur, ergo ab iſto fruſtra antiquitatis ſubſidia petunt.

Tranſeamus ad Ioannem Hus, & Huſſitas, tenuit iſte, vt ex Aduerſarijs fatentur Lutherus in colloquijs Germanicis, Simon de Voyon in Comment. Super Catalogum doct. Eccleſiæ, Melancthon apud Ioannem Brerleum, Chriſtum obediuiſſe Diabolo, nullum eſſe Dominum ciuilem dum eſt in peccato mortali, omnem Tyrannum à quocumque vaſallo poſſe occidi, & ad hoc licitum eſſe vti quolibet ſtratagemate, nullum eſſe prælatum, tamen teſte Luthero citato tenuit cum Eccleſia Catholica, dari Sacramentum pœnitentiæ conſtans tribus ſuis partibus, peccata eſſe confitenda, dari ſacrificium propitiatorium, realem præſentiam Corporis Chriſti, Purgatorium, cultum, & inuocationem Sanctorum admitti debere, Papam eſſe vicarium Chriſti, obſtupuerunt Lutheri dentes ad vuam tam acerbam, in Ioanne Hus repertam vt dixerit in aſſert. art. 3. *Non rectè faciunt, qui me Huſſitam vocant, non enim mecum ille ſentit.*

Vel ergo ſentiunt cum Hus Sectarij, vel non? ſi non, ergo illum inter maiores ſuos recenſere non poſſunt, ſi ſentiunt, ergo ſentient contra Chriſtum, fouebunt atrocia læſæ maieſtatis crimina contra ſuos Principes; ſentient cum Eccleſia Catholica dari verum ſacrificium, realem præſentiam, Purgatorium, cultum Sanctorum, Sacramentum pœnitentiæ cum ſuis partibus; ſed his omnibus diſſentiunt, cum Hus ergo conſentire non poſſunt. Quid pluribus? percurrendo omnia ſæcula, ad huc nouellæ Religionis auos, vel maiores inuenire non poſſumus, vt tandem ad Lutherum, vel Caluinum veniendum ſit.

ARTICVLVS V.

Euaſio Sectariorum referentium ſe per ignotam ſeriem ad Chriſtum, Apoſtolos, & primitiuam Eccleſiam præcluditur.

FAtigarunt ingenia ſua ſectarij, vt ſuæ Religionis genealogiam ab antiquis contexerent temporibus, ſed irrito vt vidimus conatu, proinde auſus eſt Caluinus impia temeritate aſſerere Chriſtum ſuæ promiſſionis, & aſſiſtentiæ oblitum extitiſſe, atque adeo eius Eccleſiam defeciſſe, in qua blaſphemia ſuo præluxit ipſi exemplo Lutherus, vt ipſi inſoliti dogmatis haberentur Authores, ſed vtriuſque impoſtura ſat ſuperque refutata eſt diſtinct. 1. & 2. nunc vel à Romanis, vel à ſectarijs, quos ex omnibus ſæculis enumeraui, vel ab aliquo alio ducenda erit origo iſtius Religionis, non à Romanis vt infra videbimus, non à prædictis ſectarijs vt huc vſque vidimus, ergo ab aliquo alio, ſed peto vt hunc deſignent, vbi, quando, quo loco vixerit? nuſquam inuenient: de iſto omnia monumenta ſilent.

Author ergo Lutherus votorum ſuorum tranſgreſſor: ſit ita, peto cuius authoritate prodierit nouus iſte Euangeliſta? an forte Chriſti? ſed contra peto quæ ſigna, quæ opera oſtendunt eum eſſe miſſum à Chriſto: vita certe ſacrilega contrarium clamat: ſed miſit ne Chriſtus nouum hunc reformatorem, cui honorandum fuit ſemper vt ſacrilegæ Moniali ſacrilegus Monacus adhæreret, qui non erubeſcit Diaboli ſe Diſcipulum fateri, vnde ergo erit nobis exolorata hæc Lutheri miſſio cum clamet Apoſtolus ad Gal. 1. *Sed licet nos aut Angelus de Cœlo euangelizet vobis, præterquamquod euangelizauimus vobis, anathema ſit.* Si ad ſcripturam prouocêt, ibi non legimus Lutherum Apoſtolum: oſtendant vbi

in

in ſcriptura reuelatum ſit, quod vera, & viſibilis Chriſti Eccleſia, aduerſus quam inquit Chriſtus *Portæ Inferi, non præualebunt*, Debuerit deficere, & per Lutherum reſtaurari? donec id oſtendāt, non eſt credendum Lutherum miſſum à Chriſto.

Tranſeo ad Caluinum, Bezam, Bucerum, & cæteros, extra hos originem illius religionis non reperio, primi illi huius fidei ſtructores, ſi ad Lutherum prouocant, Caluinus ſupra Lutherum eſt, ſupra Caluinum Diſcipuli, aliud vt vidimus Lutherani inter ſe, aliud Caluiniſtæ ſentiunt, idque non in leuibus, ſed in ſummis fidei Capitibus, hi ergo erunt primi noui dogmatis aſſertores, quod ſi ipſi non ſint primi, alium deſignent, qui retroactis ætatibus eadem prorſus omnia docuerit, ſi hunc aliquem nequeant deſignare, antiquitatem non prætendant, quod ſi iterum ad ſcripturam prouocent, prouocant omnes quotquot vnquam fuerant ſectæ, prouocant Caluiniſtæ, Puritani, Fanatici, ſi ad Apoſtolicas, & originales fidei Eccleſias, prouocant etiam ad eaſdem omnes hæreſiarchæ: deinde ſi has ipſas Apoſtolicas Eccleſias prætendant Sectarij ſuas eſſe matrices, peto quibus ſucceſſoribus quæ ab Apoſtolis acceperant, tradiderunt? à quibus Lutherus, Caluinus, & eorum ſequaces hæc acceperunt? quis illis per Apoſtolicos ſucceſſores tradita in manum dedit? cuius imperio, nutu, vel monitu? item ſi continua ſucceſſionis ſerie peruenit ad eos hæc doctrina, dicant quo Concilio declarata, in quibus annalibus, & monimentis de illa fiat mentio?

Iterum ſi dicant ſe miſſos à Chriſto, contra hoc infra, interim quæ miracula hanc Lutheri doctrinam confirmant, vel ipſius miſſionem approbant? quis teſtis? nemo niſi Lutherus ipſe, Caluinus dicit etiam ſe miſſum, ſed dicunt ſimiliter omnium prædamnatarum hæreſum primipili, ſi dicenti fides eſt adhibenda, cur eandem non adhibeam Ario, Sabellio, manichæis? cur non eandem Sexcentis alijs? ſed

omnibus adhibere fidem, fides ipſa, quæ vna eſt, prohibet, & tamen vni ex omnibus iſtis eam adhibere, & vni tantum nulla ratio euincit, nulla virtus demonſtrat, nulla ſcriptura cogit, vt ſi tandem originem, vel ſeriem reformatæ Religionis indages, nihil inuenias præter nubes, & nebulas, ergo a primo ad vltimum iſta religio non eſt Catholica.

ARTICVLVS VI.

Si inanis illa euaſio ſectariorum prætendentium antiquitatem ipſis fauet, fauet etiam omnibus prædamnatis Sectis, vnde concluditur eos vltra Lutherum, & Caluinum progredi non poſſe.

CVm viderent Sectarij Scripturæ Teſtimonia nimis expreſſe conuincere perpetuam Eccleſię durationem, ne illorum Religio hac careret prærogatiua, faciunt, quod ſolent Atheiſtę, qui cum cauſam incauſatam negent, omnem tamen rem productam, ab alio produci debere non negent, proceſſum in infinitum in Cauſis excogitauere per confuſum chaos excurrentes: idipſum faciunt in ſuæ Religionis aſſerendo proceſſu ſectarij, eam deducendo per incognitas latebras, nec monumenta, vel Teſtes vllos producunt, audacter tamen obtrudunt ſuam ſemper extitiſſe Religionem; ſi quæras vbi, aut quo ſæculo? hic hærent, obtrudendo tamen, ſemper fuit, vt inquit libellus quidam Anglice editus, *Reſpice vltra Lutherum*, Scilicet Religionem iſtam quęre vltra illum, ſed quæſiuimus, & reſpeximus per omnes ætates, nec ueſtigium Euangelij reformati reperire potuimus, niſi velimus excitare cineres præmortuarum hæreſum, & inde eam deducere.

Reſpondet Doctor Vvotton Anglus, credimus Eccleſiam ſemper extitiſse, illam fuiſse hanc noſtrã ſcimus, quam latuiſse, apud nos non eſt inconue-

niens

niens, probate vos contrarium. Ridicula ſane reſponſio, ac ſi ego dicerem, credo me, & meos maiores eſse,& fuiſse hæredes coronæ Hiſpaniæ, probent alij contrarium, vrgemus enim, vbinam latuerit illa Eccleſia,an in montibus lunæ, vel in centro Terræ? ego credo ibi latuiſse, vbi latuere Lutherus, & Caluinus antequam gignerentur,vel certe cum toties recurrant iſti ad latentem Eccleſiam, de qua ſe eſse glorianiantur,eam latuiſse in mente Principis tenebrarum; ſat interim probatum eſt diſt.1.veram, & viſibilem Chriſti Eccleſiam nunquam defeciſse.

Nunc ex omnibus his effugijs concludo,ſi quidquam valent, valere etiam pro omnibus mundi ſectis, nam ſecundum eos, ad aſserendum hanc, & non illam eſse veram, & antiquam Religionem, non requiritur authoritas, ratio, vel memoria hominum,ſed ſufficit cuiuslibet cerebri fictio,cur enim non liceat Arianis, Manichæis, Neſtorianis, Turcis,cur non etiam Romanis, à quibus omnibus ſi petas,vbi eſt vera Religio? pro antiquitate Religionis aſserenda poterunt ſimiliter ad nubes, & latebras recurrere, & eadem figmenta aſserere, quæ pro ſe aſserunt Sectarij.

Deinde ſtante hoc effugio, cur non liceat cuilibet dicere ſe eſse Eliam,Enoch,Moyſem,Meſſiam, aut vnum ex Prophetis,cum iuxta viam ſectariorum non requiratur Teſtimonium, vel authoritas ad id aſserendum, ergo à primo ad vltimum diſcutiendo antiquitatem Religionis reformatæ, vltra Lutherum, & Caluinum progredi non poſsumus, ſi enim progrediamur, ipſiſmet ſactarijs fatentibus, præter tenebras, & caliginem nihil de illa aliud inueniemus, vnde ſicut non eſt Catholica, ſeu vniuerſalis quoad tempus, ita neque eſt quoad locum, tot enim apud eos religiones, quot capita vt vix reperias inter eos tres vnius Sententiæ, ſed dicunt ſe habere ſucceſſionem doctrinæ Apoſtolicæ. Contra ſit.

QVÆSTIO IV.

Religio quam hodie profitentur ſectarij, non eſt apoſtolica, neque de ſcripturæ aut apoſtolicæ doctrinæ fontibus deſumpta.

VEram Chriſti Eccleſiam debere eſse apoſtolicam, conſtat ex dictis de notis Eccleſiæ, vnde requiritur primo, vt doctrina quam tenet, ſemper à tempore Apoſtolorũ, per Epiſcopos, & Doctores ſine intermiſſione docta fuerit, ſecundo vt nihil in rebus fidei contrarium aliter doceat, quam Apoſtoli docuerint, vel in primitiua eccleſia doctum, creditumque fuerit, probaui quæſtione præcedenti Sectarios non poſse maiores, auos, vel profeſsores vllos antiquos illius Religionis, quam hodie colunt, proferre, nunc videndum an habeant doctrinam Apoſtolicam, aut legitimam miſſionem, & ſit.

ARTICVLVS I.

Sectarij ſucceſſionem ab Apoſtolis continuam demonſtrare non poſſunt.

HAnc ſucceſſionem requirit Tertull. de præſcriptionibus cap. 32. *Edant ergo origines ſuarũ Eccleſiarum, euoluant ordinem ſuorum Epiſcoporum per ſucceſſiones ab initio decurrentem.* Athanaſius in decreta ſynodi Nicęnę: *Ecce nos probauimus ſucceſſionem doctrinæ noſtræ de manu in manum: vos noui Iudæi, & Caiphæ filij, quos progenitores doctrinæ veſtræ poteſtis demonſtrare?* Aug. lib. contra Ep. fund. cap. 4 *Tenet me in Eccleſia ab ipſa ſede Petri ſucceſſio Sacerdotum.* Quæ cum ita ſint.

Nunc peto a quo vel ſucceſſionem doctrinę, vel miſſionem acceperunt Euãgelij reformati primi Predi-

dicatores aut enim hanc acceperunt ab Arianis Manichæis, Neſtorianis, Huſſitis, Vvaldenſibus, Berengario, Vvicleſiſtis; vel ab Eccleſia Romana, vel à ſeipſis immediate, vel à Deo tanquam extraordinaria miſſi, vel à magiſtratu, & populo; nec enim aliunde, aut alio imaginabili modo poſſunt ſucceſſionem, vel miſſionem ſuam prætendere, niſi vel ab inferno, vel à Rectoribus tenebrarum, hinc autem non fatebuntur ſe miſſos, quia ergo inſtantia habet quatuor partes per ſingulas diſcurro.

Vel ergo ſuccedunt Arianis, Manichæis, Neſtorianis, Huſſitis, VVicleſiſtis, VValdenſibus vel non? ſi non, ergo ab his neque ſucceſſionem, neque miſſionem accepere; ſi his ſuccedunt, ergo cum illis negabunt tot ſymboli articulos, & ſic erunt prædamnatarum hæreſum ſectatores, atque ab apoſtatis, & blaſphemis Hæreticis miſſi vt quæſt. præced. probaui.

Vel igitur ſi non iſtis ſuccedunt, fuerunt miſſi ab Eccleſia Romana, vel non? ſi non, ergo hinc etiam miſſionem ſuam nequeunt prætendere; ſi ab iſta fuerint miſſi, oſtendant diploma ſuæ miſſionis, vbi quando, quo die fuerint miſſi? deinde dato, & nunquam conceſſo, quod ab Eccleſia Romana noui Apoſtolatus ſucceſſionem, & miſſionem acceperint, tunc ſic arguo, vel ergo quando primi illi prædicatores prodierunt, Eccleſia Romana, à qua fuerunt miſſi ſic ſupponendo, habuit veram fidem, verum, & purum Euangelium, veram doctrinam Apoſtolicam, vel non? ſi non, ergo ab Eccleſia erronea, & ſeducta fuerunt miſſi, & conſequenter ipſi fuerunt Hæretici, Sciſmatici, Apoſtatæ ſeductores nonminus quam ſi de fæce Arianorum, Manichæorum. & aliorum huiuſmodi prodirent, ſi habuit tunc veram fidem, Religionem, & doctrinam Romana Eccleſia, quare iuxta eius doctrinam, & ſententiam non docuerunt ipſi? ergo cum contra ipſius mandata, & mentem ſeduxerint Populum, eandem Eccle-

ſiam falſo accuſauerint de erroribus, fuerunt maligniſſimi Calumniatores, & fallaciſſimi impoſtores: ergo non Apoſtolicam, ſed Apoſtaticam doctrinam prædicarunt, ergo contra veram fidem, & verum Euangelium ſenſerunt, & docuerunt, deinde negant ſe miſſos à Romana Eccleſia, ergo ab illa ſucceſſionem non accepere.

Si autem à ſeipſis fuerũt miſſi, miſſio illa eſt nulla, iuxta illud Apoſtoli ad Rom. 10. verſ. 15. *Quomodo prædicabunt niſi mittantur* Et ad Hebræos 5. verſ. 4. *Nec quiſquam ſumit ſibi honorem, ſed qui vocatur à Deo tanquam Aaron, ſic, Chriſtus non ſemet ipſum clarificauit vt Pontifex fieret, ſed qui locutus eſt ad eum filius meus es tu &c.* Sic ab orbe condito quot quot venerunt, miſſi fuerunt, Noe, Abraham, Moyſes, Chriſtus, Apoſtoli, & miſſionem ſuam virtutibus, prodigijs, miraculis probauere, *Domino cooperãte, & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis.* Et qui non ſic mittuntur, ſunt ex illis de quibus Ieremiæ 23. verſ. 21. *Non mittebam Prophetas, & ipſi currebant, non loquebar ad eos, & ipſi prophetabant,* Tales etiam ſeipſos intrudentes damnant ipſi ſectarij, ſcilicet confeſſio Heluetica poſterior art. 18. reformati Galli in diſciplina Gall. cap. 1. art. 4. & 15. Apologia Eccleſiæ Anglicanæ: ergo non ſufficit hominem mitti à ſe ipſo.

Si dicãt ſe miſſos extraordinarie à Deo vt vult Bucananus loc. 42. §. 47. Meiſnerus Conſ. Cath. par. 2. conſid. 7. artic. 3. Synopſis puræ Theologię diſp. 42. Theſi 41. probent hoc ipſum ex ſcriptura aperta, per quam ſolam volunt nos reformare, legant nomina ſuorum prædicantium, & reformatorum in ſacra pagina, & credemus, legant quod fuerint miſſi à Deo, vel ſi id non poſſunt, ſignum Apoſtolatus in virtutibus, ſignis, vel miraculis proferant, & adhuc credemus: quod ſi neque ita ſuam miſſionem probauerint quorſum potius illis fidem adhibebimus, quam Arianis, Manichæis, Neſtorianis,

Ma-

Mahometanis, vel Hebræis deinde cur non ipſi credent Romanis aſſerentibus ſe etiam miſſos à Deo,& ſi ipſi nolint Romanis credere, cur Romani deberent credere ipſis? quo titulo vel iure? vnde ſic arguo, vel ſectarij tenent de fide Lutherum,Caluinū, & alios iſtius Euāgelij reformati prædicatores fuiſſe miſſos à Deo, vel non tenent? ſi non ergo ſectarij nō ſunt infallibiliter certi,an à Deo fuerint miſſi, an potius à Diabolo; ſi de fide id tenent, oſtendant hoc ipſum in aliquo principio reuelato, ſine gloſſis conſequentijs, mutatione, in ſcriptura inquam cū aliud principium reuelatum non admittant, oſtendant ergo quo libro, verſu, capite dicantur iſti miſſi? & donec id oſtendant,erit dubium an fuerint miſſionarij Cœleſtes, an vero emiſſarij infernales.

Si denique dicant ſe miſſos à Magiſtratu, vel Populo,hoc ipſum legant in ſcriptura ſufficere, vbi dicit ſcriptura ad ſæculares ſpectare mittere Prædicatores, vel Apoſtolos,cum in eadem legamus punitos fuiſſe qui miniſteria Eccleſiæ inuaſerunt, de Saule; 1. Reg. 13. verſ. 2. de Ieroboam 3. Reg. 12. & act. 15. legimus recurſum habitum fuiſſe ad Apoſtolos pro quęſtionibus fidei, & primę ad Corinth. 12. & ad Epheſ. 4. Datos à Deo Apoſtolos,Prophetas,Euangeliſtas; Doctores, Paſtores *In opus Miniſterij, vt non ſimus paruuli fluctuantes.* Vbi mentio de populo vel ſæcularibus? in veteri Teſtamento cauſæ fidei remittebātur ad Sacerdotes Leuitici generis Deut. 17. in Euangelio remittuntur ad Eccleſiam *dic Eccleſiæ* Math. 18 & Eccleſia conſtat ouibus, & paſtoribus *paſce oues meas*, quod ſi omnes doctores, Paſtores, Apoſtoli, quænam erunt oues deinde vel eſt de fide apud ſectarios, quod ad ſęculares,& magiſtratus ſpectet mittere Prædicatores,vel non? ſi non eſt, ergo dato caſu quod fuerint miſſi à magiſtratu vel Populo,non ſunt certi certitudine fidei, ſed potius dubij eos fuiſſe legitime miſſos,& conſequenter exponunt ſe certiſſimo damnationis diſcrimini, ſequentes Prædicatores,

res, de quorum authentica miſſione nullo modo conſtat, & ſubeſt omnimoda ratio dubitandi: ſi eſt ipſis de fide, oſtendant quo ſcripturæ loco id ſit reuelatū? & donec id oſtendant, erunt dubij de legitima eorū authoritate; tandem Imperator, Reges principes, & Magiſtratus Europæ, tunc erant Catholici Romani, & tunc redit argumentum ſuprafactum de Eccleſia Romana, ſed dicunt ſe habere ſucceſſionem doctrinę Apoſtolicæ quod ſufficit, contra ſit.

ARTICVLVS II.

Ex ipſis ſectariorum principijs oſtenditur eos non habere ſucceſſionem Apoſtolicam, adeoque nec veram Eccleſiam.

VEl enim hanc ſucceſſionem ſtatuunt aduerſarij in legitima miniſtrorum ſerie, vel puritate doctrinæ, vel in adminiſtratione Sacramentorum, vel in vtraque? ſi primum, actum eſt de cauſa religionis reformatæ, tum ex art. præcedenti, tum vlterius ex eorum confeſſionibus. Nam confeſſio Gallica art. 31. ait *Credimus neminem ſe debere, propria authoritate in munia eccleſiaſtica intrudere, ſed hoc fieri per electionem.* Quod addit ibi de extraordinaria ſua miſſione, refutatum eſt art. præced. & hoc ipſo coguntur fateri, ſuos miniſtros nulli in munijs Eccleſiaſticis ſucceſſiſſe, adeoque nec continua ſucceſſionis ſerie, ab Apoſtolis deſcendiſſe, ad aliam ergo ſucceſſionem recurrant neceſſe eſt, ſequitur confeſſio Anglica, art. 23. *Nemini licet aſſumere ſibi officium publicæ prædicationis, aut adminiſtrandi Sacramenta in congregatione, antequam, legitime vocetur, & mittatur, ij autem ſunt legitime vocati; qui ſunt electi ab ijs, qui publica pollent authoritate.* Sub ſequitur confeſſio Auguſtana art. 14. *De ordine eccleſiaſtico docent quod nemo debeat in Eccleſia publicè docere, aut Sacramenta adminiſtrare, niſi rite vocatus.*

Nunc ſic, ex dictis ſecundum aduerſarios, nemo debet propria ſua authoritate ſe intrudere in munia Eccleſiaſtica: quæro igitur qua authoritate in hæc ſe intruſere primi Religionis reformatæ fabri? ſi propria ſua authoritate, iam ex principijs aduerſariorum, ſunt fures, & lupi; quod ſine legitima vocatione, vel authoritate, iſta munia ſacrilege ſibi arrogauerint: ſi dicant ſe miſſos fuiſſe extraordinaria authoritate, hoc art. praeced. refutatum eſt: & vlterius reijcitur, nam non ſigna, non mores Sancti, non miracula iſtam vocationem oſtendunt, ſicut olim oſtenderũt quotquot vnquam à Deo miſſi ſunt. Deinde, ſi extraordinaria iſta prætenſio valeat pro ipſis, valebit pro quouis alio, quilibet enim dicet idem ſibi licere, ſe etiam miſſum eſſe à Deo. Tandem per hanc nugatoriam euaſionem, hoc ipſo arrogare ſibi non poſſunt ſucceſſionem continuam ab Apoſtolis, quam tamen eſſe de ratione veræ Chriſti eccleſiæ, ex dictis conſtat. Vt autem probent ſe legitime miſſos, debent oſtendere totam Chriſti eccleſiam defeciſse, & erraſse, adeoque Euangelium falli.

Sed dicent ſe habere ſucceſſionem doctrinę, & legitimam Sacramentorum adminiſtrationem. Contra 1. nam tota prima pars euidenter oſtendit, impia religionis iſtius principia repugnare euangelio, cum excludant omnes virtutes Chriſtianas, mandatorum obſeruantiam, peccatorum pœnitentiam, Dei timorem, cultum, reuerentiam, & Chriſti dignitatem, ac prærogatiuas impugnent, laxent omnibus vitijs habenas, vt ne latum vnguem diſtent à Turciſmo, imo nec Atheiſmo; vbi ergo puritas doctrinæ, in tam impuris principijs? Contra ſecundo quomodo quæſo erit legitima Sacramentorum adminiſtratio, vbi non probatur legitima miniſtrorum miſſio, vel vocatio, quam aduerſarij, nec hactenus probarunt, nec in æternum probabunt?

Deinde actum eſt de iſta religione, ſi illam no-

vam

vam dicant aduerſarij; actum pariter ſi veterem, nam ſufficit eam nouam eſse, vt non ſit Apoſtolica, & eſse veterem demonſtrare non poſsunt, cum potius nouam eſse tota quæſtione præcedenti oſtenderim: Ergo Catholica, & Apoſtolica non eſt, vera enim Chriſti religio eſt, quæ ueram ipſius doctrinam profitetur, quam Apoſtoli docuerunt, poſt Apoſtolos alij fideles gentibus tradiderunt, quam perpetuò duraſse, ac durare debere tota diſt. 1. & 2. oſtendi. Vera igitur Chriſti Religio non eſt, quæ tempore Apoſtolorum non fuit, quæ ſeriem ab Apoſtolis continuam, tam in doctrina, quam in Paſtoribus non habet, eamque aduerſarijs deeſse, ſufficenter patet ex dictis. Vel enim prætenti reformati in Cathedra, & authoritate alicui ſucceſserunt, qui ab Apoſtolis ſuam poteſtatem ordinis, & iuriſdictionis recognoſcit, uel nemini? Primum dici non poteſt, nec enim vnquam aſſignabunt, à quo proceſserint, vel miſſi fuerint? Si autem nemini ſucceſserunt, ſed ſeipſos intruſerunt, ergo iterum fures ſunt, & latrones.

Vnde ſic rurſus inſto, nulla eccleſia de nouo erecta, eſt vera Chriſti eccleſia; ſed omnis prætenta reformatio eſt eccleſia de nouo erecta. Ergo nulla prætenta reformatio eſt vera Chriſti eccleſia. Maior conſtat ex diſtinctione prima, & ſecunda huius partis; vbi oſtendi perpetuitatem viſibilis Chriſti eccleſiæ: nulla autem eccleſia de nouo erecta poteſt prætendere, talem continuam ſtabilitatem, adeoque nec eſt vera Chriſti eccleſia: Atqui prætentam ſuam Eccleſiam fatentur aduerſarij eſſe de nouo erectam, cum eam vocent reformatam. Contra quem titulum ſic iterum vrgeo, nulla eccleſia reformata, eſt vera Chriſti eccleſia; Sed omnis ſectariorum eccleſia eſt reformata; ergo nulla ſectariorum eccleſia, eſt vera Chriſti eccleſia. Maior patet, nam omnis eccleſia reformata ſupponit, aut ſupponere debet in doctrina fidei, & morum aliquid deforme,

forme, quod reformandum fuerit, vel actu reformatum: ſed vera Chriſti eccleſia, non ſupponit, nec ſupponere debet, aliquid deforme, vel erroneum in doctrina fidei, & morum reformandum, vt conſtat ex diſtinctione ſecunda huius partis; licet enim eccleſia corrigat, & reformet prauos mores, abuſus, & vitia, quæ ſubinde inter fideles ſerpunt; doctrina tamen fidei aut morum, vt non ſubeſt errori, ita nec correctioni. Cum ergo omnis ſectariorum eccleſia ſit reformationis titulo inſignita, non erit vera Chriſti eccleſia.

Nam nullam notam veræ eccleſiæ habet, non enim eſt vna vt vidimus, nam ducentas ſectas diuerſas apud iſtos reformatos, ex ipſis aduerſarijs Pantaleon Functius, & Lypſienſes enumerant. Non item eſt Sancta, ne quidem in doctrina, cum nullum articulum controuerſum proferat ex ſcriptura, nec per ſcripturam probet, vt patet ex prima parte. Vbi impuritas doctrinæ reformatæ oſtenſa eſt. Nec etiã eſt Catholica, vt conſtat ex quæſt. præced. nec tandem Apoſtolica, vt hactenus probatum eſt: cum ibi nullus ſit ordo, nulla ſucceſſio, ibi pulcherrima Monarchię forma in nouam anarchiam tranſmutata, ibi interpretandi munus a Paſtoribus eccleſiæ ad textores, lanificos, mulierculas deuolutum. Hinc eccleſiaſticæ diſciplinæ euerſio, noxia, & impunita libertas, iuris; & legum contemptus, ſacrorum profanatio, bellorum, cædiumque lamentabiles tragædiæ, ex iſta Religione natæ, vnum hic ego rogo vt aduerſarij denubilent mentem, & quærant vnam Sanctam, Catholicam, & Apoſtolicam Eccleſiam, quam ego nunc demonſtrare aggredior.

DI-

DISTINCTIO VIII.

Solam Romanam, eſſe vnam, Sanctam, Catholicam, Apoſtolicam Eccleſiam, atque adeo illam, vel nullam in terris, eſſe veram Chriſti Eccleſiam.

ACcedimus tandem ad centrum totius difficultatis, nempe an in principijs hactenus præmiſſis, & probatis includatur propoſitio illa, quæ inter partes huc vſque acerrime controuertitur; quænam ſcilicet ſit illa vera Chriſti eccleſia, quæ à reſtituta ſalute perſecutionum fluctibus impetita, nunquam concuſſa, Hæreticorum Machinis oppugnata, nunquam expugnata, aduerſus errorum tenebras conſpicua, aduerſus Inferorum portas immobilis, & intrepida ſtetit *Columna, & firmamentum veritatis*: Et hanc eſſe Romanam eccleſiamq́; ex dictis, velut Concluſio expræmiſſis vi ſua, & pondere manifeſte ſequitur: vt autem vera à falſis, certa à dubijs ſeparemus, & omnem tollamus æquiuocationem, per Romanam eccleſiam, non intelligimus Populum illum fidelem Romæ tantum habitantem à Romano Pontifice tanquam proprio epiſcopo immediate gubernatum ſed.

Romana Eccleſia prout hic accipitur eſt Catholica, Apoſtolica, & vniuerſalis Eccleſia militans, per orbẽ diſperſa, cuius viſibile Caput in Terris eſt Romanus Pontifex. Dicitur Romana, tum quia Romanus Pontifex eſt illius caput, tum quia Romana eccleſia ſtricte conſiderata eſt mater, & magiſtra omnium eccleſiarum, quæ vbique ſunt, & colunt veram Chriſti fidem, religionem, tum denique vt diſtingua-

guatur à Luterana, Caluiniſtica, Ariana, Puritana, & alijs huiuſmodi, quorum nomina non ſunt ſcripta in libro vitæ, nec in verbo Dei.

QVÆSTIO I.

Sola Romana eſt vna.

HAnc vnitatem in fide præſertim, in obedientia, in communione, eſſe infallibilem veræ eccleſiæ notam, probaui diſtinctione quinta.

ARTICVLVS I.

Ex principijs, & cauſis vnitatis probatur Romanam Eccleſiam eſſe vnam.

VNitatem eiuſque Cauſam exponit Apoſtolus ad Epheſios quarto, verſic. 4. *Vnum corpus, & vnus Spiritus, ſicut vocati eſtis in vna ſpe vocationis veſtræ, vnus Dominus, vna fides, vnum baptiſma, vnus Deus, & Pater omnium.* Sic ergo ſtatuit vnitatem D. Paulus, ſcilicet, vt credatur vnus Deus, & Pater omnium, ideſt, vt ſit vna ſupremæ Diuinitatis confeſſio, et vnus de vero Deo ſenſus, deinde, vt ſit vnus Dominus, et credatur vnus Chriſtus, qualis in ſe eſt, non qualem ſibi finxerunt Hæretici, ſoluentes Ieſum, non in ſemetipſo quidem illum deſtruendo, cum hoc ſit impoſſibile, ſed obiectiue, ideſt Chriſtum, quaſi complexum ex ſuppoſito diuino, et humana natura, in mentibus fidelium diſſoluendo, annexas illius proprietates, ſeparando, vt diſſoluerant olim Haretici eius diuinitatem negando, vel humanitatem impugnando, et diſſoluunt hodie Sectarij eius infallibilitatem perfricta fronte inficiando, dum eum defuiſſe ſuis promiſſis aſſerunt, deſeruiſſe ſponſam ſuam, et impijſſime perſuadent eccleſiam fuiſſe à Diabolo diſſipatam, et conſe-

conſequenter aduerſus illam præualuiſſe portas Inferi, vult ergo Apoſtolus, vt credamus vnum Chriſtum fidelem, & veracem, qui nunquam ſuis promiſſis defuerit, ſemperque aſtiterit ſuæ Eccleſiæ.

Vult item, vt ſit vna communis explicatio, & expoſitio credendorum, vt non id quiſque credat, quod vult, quantum vult, & quomodo vult, vt ſolent ſectarij, ſed id tantum vnuſquiſque credat, quod, & quantum, & quomodo à maioribus primitus præſcriptum eſt vt credat, vult vnum baptiſma, ideſt eadem Sacramenta, eundemque eorum numerum, atque adeo primum, & maxime neceſſarium commemorat baptiſmi Sacramentum, vt cætera cum illo intelligantur. tandem ſtatuit vnam, eandemque ſpem vocationis, nempe vt vnum, & idem credatur de immortalitate animarum, de illarum vltimo fine, & receptaculis, de medijs ſpei vocationis fide, ſpe, Charitate, alijſque virtutibus, de iuſtificatione, & meritis operum, legibus, & alijs ſimilibus ad Eccleſiæ Chriſti regimen, finem, profectumque conducentibus.

Poſtremo vt vnitatis cauſam magis declaret, ait ibidem *Vnum Corpus, & vnus Spiritus*, In vnoquoque autem animante, vnitatis cauſæ, ſeu principia ſunt, tum anima ipſa, ſiue ſpiritus, ſi facultates internas ſpectes; tum etiam caput, ſi exteriora membra, & earumdem ad animam, & ad caput, debitam ſubiectionem, ſubalternationem, & conſenſum attendas, ita etiam vnitatis Eccleſiæ principia, & cauſæ ſunt vnitas animæ, ſeu ſpiritus, ideſt vna fides, ſcilicet vnum commune ſymbolum, vna communis expoſitio, ac interpretatio credendorum, vnus ordinatus, & conformis credendi modus, vt nō quod vult, quantum vult, & quomodo vult, quilibet, & qualibet, ſed quod, & quantum, & quomodo credendum à maioribus accepit, & credendum ab eccleſia proponitur, credat.

Dein-

Deinde eſt vnitas capitis, quæ eſt vnitas Paſtoris, vnde habetur vnio, ordo, & optima gubernatio, vt probaui diſtinctione ſexta per totam; ſed quis Paſtor, niſi ille, cui toties repetitis vicibus *Paſce agnos meos, paſce oues meas*, Munus paſcendi demandatur? quis Paſtor niſi Petrus: eiuſque ſucceſſores? quæ vnio, quis ordo, quæ coordinatio membrorum, niſi obedientia, & ſubiectio ad Catholicum ſcripturæ ſenſum, ad caput viſibile, ad Paſtores eccleſiæ, *Vt non ſimus paruuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ*? Ad Epheſ. 4. & monet recte Cyprianus de vnitate eccleſiæ, *Exordium ab vnitate proficiſcitur, primatus Petro datur, vt vna Chriſti eccleſia, & Cathedra vna monſtretur*.

Quæ igitur eccleſia vnum habet Paſtorem, & omnium facultatum, atque membrorum ad ipſum caput, conglutinationem, & conſenſum, vnum Iudicem controuerſiarum, vnum Catholicum, & omnium temporum, atque locorum vniuerſalem ſcripturæ ſenſum, cum primis Patribus vnitatem fidei, & orthodoxæ doctrinæ ſequitur, illa vera, & propria vnitatis principia habet, atque adeo eſt vna; ſed ſola Romana eccleſia hanc vnitatem ſeruat, & ſequitur: ergo ſola Romana eccleſia, eſt vna vera, & propria Chriſti eccleſia quod vt probem ſit.

ARTICVLVS II.

Vnitatem Romanæ eccleſiæ, probat tum vnanimis membrorũ ipſius in orthodoxæ fidei doctrina conſenſus, tum ex aduerſo irreconciliabilis Sectariorum diſſenſus.

STupendus, admirabilis, & ſupra omnem humanam prudentiam apparet Romano Catholicorum conſenſus credendi, & ſentiendi in his om-

conſequenter aduerſus illam præualuiſſe portas Inferi, vult ergo Apoſtolus, vt credamus vnum Chriſtum fidelem, & veracem, qui nunquam ſuis promiſſis defuerit, ſemperque aſtiterit ſuæ Eccleſiæ.

Vult item, vt ſit vna communis explicatio, & expoſitio credendorum, vt non id quiſque credat, quod vult, quantum vult, & quomodo vult, vt ſolent ſectarij, ſed id tantum vnuſquiſque credat, quod, & quantum, & quomodo à maioribus primitus præſcriptum eſt vt credat, vult vnum baptiſma, ideſt eadem Sacramenta, eundemque eorum numerum, atque adeo primum, & maxime neceſſarium commemorat baptiſmi Sacramentum, vt cætera cum illo intelligantur. tandem ſtatuit vnam, eandemque ſpem vocationis, nempe vt vnum, & idem credatur de immortalitate animarum, de illarum vltimo fine, & receptaculis, de medijs ſpei vocationis fide, ſpe, Charitate, alijſque virtutibus, de iuſtificatione, & meritis operum, legibus, & alijs ſimilibus ad Eccleſiæ Chriſti regimen, finem, profectumque conducentibus.

Poſtremo vt vnitatis cauſam magis declaret, ait ibidem *Vnum Corpus, & vnus Spiritus*, In vnoquoque autem animante, vnitatis cauſæ, ſeu principia ſunt, tum anima ipſa, ſiue ſpiritus, ſi facultates internas ſpectes; tum etiam caput, ſi exteriora membra, & earumdem ad animam, & ad caput, debitam ſubiectionem, ſubalternationem, & conſenſum attendas, ita etiam vnitatis Eccleſiæ principia, & cauſæ ſunt vnitas animæ, ſeu ſpiritus, ideſt vna fides, ſcilicet vnum commune ſymbolum, vna communis expoſitio, ac interpretatio credendorum, vnus ordinatus, & conformis credendi modus, vt nō quod vult, quantum vult, & quomodo vult, quilibet, & qualibet, ſed quod, & quantum, & quomodo credendum à maioribus accepit, & credendum ab eccleſia proponitur, credat.

Dein-

Deinde eſt vnitas capitis, quæ eſt vnitas Paſtoris, vnde habetur vnio, ordo, & optima gubernatio, vt probaui diſtinctione ſexta per totam; ſed quis Paſtor, niſi ille, cui toties repetitis vicibus *Paſce agnos meos, paſce oues meas*, Munus paſcendi demandatur? quis Paſtor niſi Petrus: eiuſque ſucceſſores? quæ vnio, quis ordo, quæ coordinatio membrorum, niſi obedientia, & ſubiectio ad Catholicum ſcripturæ ſenſum, ad caput viſibile, ad Paſtores eccleſiæ, *Vt non ſimus paruuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ?* Ad Epheſ. 4. & monet recte Cyprianus de vnitate eccleſiæ, *Exordium ab vnitate proficiſcitur, primatus Petro datur, vt vna Chriſti eccleſia, & Cathedra vna monſtretur.*

Quæ igitur eccleſia vnum habet Paſtorem, & omnium facultatum, atque membrorum ad ipſum caput, conglutinationem, & conſenſum, vnum Iudicem controuerſiarum, vnum Catholicum, & omnium temporum, atque locorum vniuerſalem ſcripturæ ſenſum, cum primis Patribus vnitatem fidei, & orthodoxæ doctrinæ ſequitur, illa vera, & propria vnitatis principia habet, atque adeo eſt vna; ſed ſola Romana eccleſia hanc vnitatem ſeruat, & ſequitur: ergo ſola Romana eccleſia, eſt vna vera, & propria Chriſti eccleſia quod vt probem ſit.

ARTICVLVS II.

Vnitatem Romanæ eccleſiæ, probat tum vnanimis membrorũ ipſius in orthodoxæ fidei doctrina conſenſus, tum ex aduerſo irreconciliabilis Sectariorum diſſenſus.

STupendus, admirabilis, & ſupra omnem humanam prudentiam apparet Romano Catholicorum conſenſus credendi, & ſentiendi in his om-

nibus articulis, nempe in eo, quod credimus de Euchariſtia, in qua credimus, nos vere realiter, ac ſubſtantialiter recipere corpus, & ſanguinem Domini noſtri Ieſu Chriſti, de ſacrificio miſſæ, de ſeptem Sacramentis, de purgatorio, de inuocatione, & cultu Sanctorum, de cultu Reliquiarum ac imaginum: de traditionibus Apoſtolicis, & eccleſiaſticis, item in eo quod recipimus ſcripturam ſacram, iuxta intelligentiam, & ſenſum quem tenet, & tenuit ſemper eccleſia, ad quam ſpectat iudicare de vero ſenſu, ac de interpretatione eiuſdem ſcripturæ, item in eo, quod credimus ſanctam catholicam, & Apoſtolicam Romanam eccleſiam, eſſe matrem, & magiſtram omnium aliarum eccleſiarum, Romanum Pontificem eſſe ſucceſſorem Diui Petri, Vicarium Chriſti in terris, ac viſibile totius eccleſiæ caput, in his inquam credendis, quam ſint catholici ſolliciti, ſeruare vnitatem ſpiritus in vinculo pacis, vel hinc collige.

Percurre ſi volueris Orbis Terræ plagas, circumſpice omnibus locis Populum Catholicum, quære à catholicis, Hibernis, Anglis, Scotis, à Belgis, Germanis, Gallis, Hiſpanis, Italis, quære à Pannonijs, Sarmatis, Græcis, Europæis omnibus, omnibus inquam, qui Catholicum profitentur nomen, quære ab Affricis, Aſianis, Americis, Sinis, Iaponijs Orientalium, occidentaliumque Indiarum incolis, Romanæ eccleſiæ communionē ſequentibus, quid credunt circa Deum, circa Chriſtum Dominum, circa ſymbolum, circa ſpem vocationis, circa merita bonorum operum, circa omnia quæ ſuperius enumerauimus? audies omnes quotquot ſunt, vnum idemque ſentire, quod Roma ſentit, vnum idemque credere, vnum idemque, quantumuis multiplicibus, & diuerſis idiomatibus, profiteri.

Et quamuis viri docti in ſcholaſticis opinionibus, ſub inde inter ſe diſſentiant, in rebus fidei, omnes conſpirant in vnum, nec mirum, quia eccleſia Roma-

Romana habet optimum ſeruandæ vnitatis modum nempe vnitatem obedientiæ erga Prælatos, cum Plebs Paſtoribus, Paſtores Epiſcopis, Epiſcopi omnes, omnes inquam catholici, vni ſummo Pontifici obediant; litigant ſubinde Reſpublicæ Catholicæ, diſſident regna, pugnant inter ſe Principes de Terrarum limitibus, de Tributis vectigalibus, ſeruato interim vnanimi in rebus fidei conſenſu.

Qui autem vnitatem negaret eſſe meliorem diuiſione, impugnaret Chriſtum aſſerentem, *omne Regnum diuiſum deſolabitur*, rogantem vt *credituri ſint vnum*, impugnaret Apoſtolum Paulum, id ipſum probantem ad Epheſ. 4. & 1. ad Corinth. 12. impugnaret apertiſſimum rationis lumen *virtus vnita fortior, diſſipata debilior:* impugnaret omnem prudentiæ humanæ politiam, quærentis in Regnis, rebuspublicis, oppidis Ciuitatibus pacem concordiam vnitatem impugnaret Patres ſupra diſt. 5. pro vnitate citatos, illa ergo erit vera Chriſti eccleſia quæ vna ſit, ſeu quæ ſemper eſt vna & eadem, hoc eſt quæ non exoriatur hoc anno, altero autem occidat, quæ nunc his de rebus illud ſentiat, & iudicet, alias vero aliud, & iterum aliud, ſed ea demum erit vna eccleſia, quæ vnum, & idem de rebus iiſdem ſemper ſenſerit, & ſentiat, & ſenſus ab initio acceptos, perſeuerantiſſime tueatur, *quæ more paruulorum non fluctuet, nec circumferatur omni vento doctrinæ*, quæ & ſi proficiat, & ſua habeat incrementa, eaſdem tamen rerum ſpecies conſeruet, vt quamuis in gramine, herba, ſpica ſit, vnum tamen, & idem frumentum permaneat: quæ denique vt ait Irenæus lib. 1. cap. 1. *Quam accepit prædicationem, & fidem, diligenter cuſtodit, quaſi vnam domum inhabitans, ſimiliter credit quaſi vnam animam habens, & vnum cor, & conſonanter hæc prædicat, & docet, & tradit quaſi vnum poſſidens os.*

Dicunt vero ſectarij inter nos bella eſſe, imo diuiſiones, & ſectas, Thomiſtas Scotiſtas, & tot di-

uerſorum ordinum religiones,tot inſtituta diuerſa? contra primum inter Petrum, & Paulum, inter Paulum, & Barnabam, inter Hieronymum, & Auguſtinum, in primitiua eccleſia ſalua ſemper fidei vnitate, ortæ ſunt quæſtiunculæ, concertatum eſt de legalibus, diſputatum de probabilibus quibuſdam ſententijs, diuiſiones tamen illæ non fidei, ſed facti, ſeu opinionis humanæ fuere: Scotiſtæ, Thomiſtæ, neutrales de opinionibus mere ſcholaſticis altercantur: Religioſi vero ordines ad conſilia Euangelica, ad perfectionem chriſtianam aſſequendam, citra diſſidium fidei aſpirant: da mihi ſcholam, da academiam, da doctorem aut Profeſſorem Catholicum, qui doceat, dictet aut profiteatur, quidquam contra ſupramemoratos articulos, contra id quod docet, ſentit, aut credendum proponit Romana Eccleſia, da conuentum, da collegium, da clauſtrum catholicum, in quo publice teneatur, aut credatur quidquam contra eoſdem articulos, contra eiuſdem Sanctæ Romanæ Eccleſiæ ſenſum, nemo, nemo vnus inuenietur Religioſus, niſi ſit inſanus aliquis ſuæ ſalutis oblitus, votorum ſuorum fædifragus tranſgreſſor, periurus, & infamis apoſtata, qui reſpuens Deum Patrem, eo quod *nolit habere matrem eccleſiã* ad tenebras, & errorum veſtrorum propudia, & fæces tranſeat, o ſectarij, vt luxui, & libidini, carni, & ſanguini laxet habenas?

Sed replicant ſectarij ſuas diuiſiones non fidei, ſed opinionis eſſe, ò miram euaſionem, ſed ſtultam, & futilem, citius certe mihi perſuadebunt, nullam eſſe oppoſitionem inter ignem, & aquam, inter lucem, & tenebras, quam ſe non diſſentire in rebus fidei, quaſi vero non luce meridiana clarius viderimus, tota diſtinctione præcedenti, quam irreconciliabili diſſidio, quam acerbo odio, quam inteſtino bello inuicem mordent inuicem lacerant, idque in capitalibus fidei ſuæ, ſi quæ apud illos, non conſtant ſibi in ſuis articulis Caluiniani, non Lutherani

Ana-

Anabaptiſtæ, Puritani, proteſtantes, nonnulli duo Sacramenta admittunt, alij tria, alij quinque, du-centæ ſectæ apud illos enumeratę, oſtendunt quam bene conueniant inter ſe, quam vnanimes ſint in domo ſua, in Babylonica potius turre, in qua confundunt, & diuidunt linguas eloquiorum Dei, in vna eademque æde, Pater Lutheraniſmum ſequitur, mater Caluiniſmum, filius proteſtantiſmum, filia Puritaniſmum, Ancilla Anabaptiſmum, famuli aliud ſentiunt, vt melius in Arca Noe conuenerint tot diuerſi generis, diuerſæque ſpeciei animalia, quam iſta capita inter ſe, adeo vt ſi ſingulis ſectis ſua aſſignarentur triſtega; adhuc calcibus, & cornibus mutuo ſe impeterent, adeo furibundo æſtu, adeo implacabili diſcordia, in rebus fidei rapiuntur iſta vertiginoſa cerebra.

Hinc concludo hoc diſcurſu, religio vera debet eſſe certa conſtans, et vniformis, Lutherana, Caluiniana, Puritana nihil certi habent, ſunt difformes, inconſtantes in mille fruſta diſſectæ, ſola vero Romana eſt vna, conſtans, et vniformis, ergo nulla Acatholica eſt vera, ergo ſola Romana eſt vera Chriſti eccleſia, maior ab omnibus admittitur, minor quoad primam partem probata eſt diſt. præced. qu. 1. quoad ſecundam partem probata eſt tota hac quæſtione, vnde conſequentia eſt legitima, nec valet dicere apud Turcas, et Hebræos reperiri quandam vnitatem: nam ad ſummum eſt vnitas tantum ſocietatis humanæ, et nominis, cum Turcæ diuerſimode ſentiant de Alcorano, Hebræorum vero Rabbini, varijs hinc inde ſententijs ferantur.

QVÆSTIO II.

Sola Romana Eccleſia eſt Sancta.

VEram Chriſti eccleſiam debere eſſe ſanctam in doctrina, in miraculis, in vita ſeu moribus

plurium ſanctè, pieque viuentium probaui, diſtin. 5. quia vero apud ſectarios nec vitæ ſanctitas, nec doctrinæ pietas, nec miraculorum claritas inueniuntur, duo ſtatuerunt ſuæ religionis principia, alterum contra Sanctitatem vitæ, & doctrinæ, per remotionem bonorum operum, abrogato omnium virtutum exercitio caſtitatis, abſtinentiæ, vt patet ex prima parte, alterum contrà miracula, & ſanctos miraculorum Patratores, nempe omnia prorſus negare miracula, omnes plane blaſphemare ſanctos, quid mirum, ſi non pepercerunt Deo, quem malorum Authorem faciunt, ſi non pepercerunt Chriſto, quem deſperaſſe aſſerunt Caluinus, Beza, & inſuper omnibus inferiorum tormentis obnoxium fuiſſe, tam illi, quam Lutherus affirmet.

ARTICVLVS I.

Romana Eccleſia eſt ſancta, ſanctitate doctrinæ.

ESſe Sanctam in doctrina, eſt nulla vnquam hæreſi, dogmata ſua contaminare, non Simonis Magi, non Arij, non Neſtorij, nõ Manichæorũ, non aliorum deniq; hæreticorum errores ſequi, nec ſolum ad doctrinæ ſanctitatem requiritur, nulla hæreſi ſe contaminaſſe, ſed vlterius neceſſe eſt, nulla talia habuiſſe principia, ex quibus aliqua hæreſis exoriri aut pullulare poſſit, licet enim Caluiniſtica- Lutherana, Puritana Secta, neque Arij, neque Macedonij, neque Manichæorum aut ſimilium hæreſes videatur ſectari, certe ea habet doctrinæ ſuæ fundamenta, vt 1. parte vidimus, vt non ſolum prædictis, & prædamnatis illis hæreticis ſucceſſiſſe videatur, vt patet in erroribus eorum contra liberum arbitrium, bona opera, regulam fidei, eccleſiæ perpetuitatem, & infallibilitatem, ſed etiam omnes aliæ hæreſes, quæ Chriſtianum orbem vnquam concuſſerant, in iſtorum principijs, tanquam ex hydra renaſcantur.

San-

Sanctitas etiam doctrinæ in eo elucet, quod virtutem, quod bona opera commendet, & inſtillet quod legem carni, & ſanguini contrariam vt ait Auguſt. præſcribat, quod ad ſpiritus, & mentis puritatem cum Apoſtolo Paulo, ſæpius id in epiſtolis ſuis monente, omnia reuocet, quod licentiæ & libidini viam non ſternat, quod omnem innocentiam vitæque probitatem complectatur, quod nihil inhumanum, nihil crudele, nihil enorme, nihil cum impura luxuria coniunctum doceat nihil flagitioſum tradat, promiſſiones, & vota Deo facta violari non permittat, perſonas Deo ſacratas impio ſacrilegio, e clauſtris ſuis aduenerіs impuræ caſtra non traducat, huc accedit eccleſiæ ſtudium, quo omnes ſibi ſubditos pro cuiuſque conditione nititur, perfectos vni exhibere Chriſto, legibus, ac inſtitutis ſaluberrimis imbuere, vt patet ex tot decretis pro reformatione non doctrinæ, ſed morum in omnibus pene concilijs generalibus, editis per Epiſcopos, Paſtores, Prædicatores publicatis, & pro virili parte executioni mandatis, omnibus denique medijs accendere; & prouocare alumnos eccleſiæ.

Quænam autem ſit iſta eccleſia, quæ hæc omnia prædicet, faciat, proponat, facile quiſque qui terreni phantaſmatis nebulas diſcuſſerit, iudicabit: quænã Religio à voluptatibus carnis abſtinere monet? nonne Romana? in quanam eccleſia exercentur iſta dogmata Chriſti. Mat. 19. *qui reliquerit domum fratres ſorores, vxorẽ, filios, agros propter nomen meum centuplum accipiet*, Nonne in Romana? itẽ illa Luc. 14 *Si quis venit ad me, & non odit patrem, matrem, vxorem, filios &c.* & Math. 16, *Si quis vult poſt me venire abneget ſeipſum*, in Romana, teſtatur id orbis vniuerſus, teſtantur aduerſarij ipſi; vt nimiã nobis in hac parte auſteritatem exprobrent, quod ſcilicet audiamus, quod ſequamur vocem Paſtoris noſtri hæc monẽtis, hæc verbo, et opere olim docentis, quid ad hæc vxoratus ſacrilego connubio Lutherus? quid Apoſtaticus

et ſtigmaticus perfuga Caluinus ? quid pederaſta, cum ſuo Catamito Audeberto, et nigerrimo ſcorto, ſeu candida ſua excucullatus monachus Beza ? quid infamis in facie eccleſiarum ob libidinis ſuę flammas ex propria confeſſione Zuinglius ? quid aliæ huiuſmodi generis humani peſtes, et ſentinæ ? ſuadent ne in ſuis libris, concionibus, geſtis talia, qualia hic Chriſtus ſuadet, qualia Chriſtum ſecuta, facienda monet Romana eccleſia ? minime gentium, quænam igitur ſuadet ieiunia, abſtinentias, vigilias, corporis afflictiones, Chriſti, et Apoſtolorum in moribus imitationem ? nonne ſola Romana ? ergo illa ſola eſt ſancta ſanctitate doctrinæ:

ARTICVLVS II.

Sola item Romana eſt ſancta ſanctitate morum, & conuerſione infidelium.

AD id probandum adduco D. Auguſt. videāt ſectarij quam verificentur ipſius verba in eccleſia Romana, percurrat orbis Chriſtiani regiones, Ciuitates, et oppida, et perpendant, an non rectiſſime de Romana eccleſia intelligantur Auguſt. oracula lib. de moribus eccleſiæ catholicæ c. 31. *accipite Manichæi.* (accipite, et vos Lutherani, Caluiniſtæ, cæteriq; Sectarij) *Perfectorum Chriſtianorum Catholicorum, quibus ſumma caſtitas, non laudanda tantum, ſed etiam capeſſenda viſa eſt, mores, & continentiam ſingulare, ne vos impudenter iactare, apud animos imperitorum, quaſi difficillimam rerum abſtinentiam, & caſtitatem ſi quid in vobis pudoris eſt audeatis,* & infra: *ſed ſi hoc excedit noſtram tolerantiam, quis non illos miretur, & prædicet, qui contemptis, atq; deſertis mundi huius illecebris, in communem vitam caſtiſſimam, ſanctiſſimāq; congregati, ſimul ætatem viuentes in orationibus, in diſputationibus, nulla ſuperbia tumidi, ſed modeſti, verecundi, pacati concordiſſimam vitam, & intentiſſimā in*

in Deum, gratiſſimum ipſi munus offerunt à quo iſta poſſe meruerunt, et lib. de vera Religione c. 3. *dicitur omnibus, nolite diligere mundum, neq; ea, quæ in mũdo ſunt, quoniam ea, quæ in mundo ſunt, concupiſcentia carnis eſt, & concupiſcentia oculorũ, & ambitio ſæculi, ſi hæc per totum orbem, iam populis leguntur, et cũ veneratione libentiſſime audiuntur*, et infra *ſi tot millia contemnentium nuptias, caſteq; viuentium iuuenũ, & virginum iam nemo miratur, ſi tam innumerabiles aggediuntur hanc viã, & deſertis diuitÿs, et honoribus huius mundi, ex omni hominum genere vni Deo sũmo, totam vitam dicare volentium, deſerta quondã inſulæ, ac multarum terrarum ſolitudo complentur, quid adhuc oſcitamus, quid adhuc hæremus, & dubitamus.*

Hactenus D. Auguſtinus, vbi iſta implentur? vbi fiunt? vbi exercentur? in eccleſia Romana: quinam hæc profitentur, et obſeruant? Religioſi ordines, eccleſiæ Romanæ monachi, et mendicantes aſpirantes omnes ad Euangelicam perfectionem, per ſaluberrima, ſanctiſſima, caſtiſſimaq; ſua inſtituta, nunc iterum cum Auguſtino loquor lib. de moribus eccleſiæ cap. 34. hæc ſectarij reprehendite ſi poteſtis, *iſtis ſi poteſtis, obſiſtite iſtorum ieiunÿs veſtra ieiunia, caſtitati caſtitatem, veſtitum veſtitui, epulas epulis, modeſtiam modeſtiæ, charitatem denique charitati, & quod res maxime poſtulat præceptis præcepta conferre.* Imo potius veſtram peccandi licentiam cum catholica diſciplina, *ita videbitis, quid inter oſtentatione, et ſinceritatem, inter viam rectam, et enormem inter fidem atque fallaciam, inter robur, & tumorẽ, inter beatitudinem, & miſeriam, inter vnitatem, & conſciſſionem interſit.* Subiungit Auguſtin. ibid. cap. 31. neque tamen ita anguſti ſe habent eccleſiæ catholicæ mores optimi. vt eorum tantum vitam, quos commemoraui arbitrer eſſe laudandam, quam enim multi Epiſcopi, Præsbyteri, Diaconi, & huiuſmodi Miniſtri diuinorum Sacramentorum optimi viri, atque Sanctiſſimi, ſemper inter catholicos floruerunt ne-

neque etiam paruus eſt numerus virorum Sanctiſſimorum morum, ex omni genere hominum, qui in ciuitatibus, vel oppidis degunt, & vbi hodie viſuntur huiuſmodi?vtiq;in ſola Romana eccleſia, ad hæc vbi inueniuntur opulentiſſima xenodochia, alendis curandiſque infirmis erecta? vbi tot virginum collegia, tot orphanis, pupilliſque educandis ædes tot pauperum hoſpitia, tot eleemoſynæ fundatæ,tot dotes maritandis puellis, vel monaſterio recludendis erogatæ?denique vbi tot alia pietatis opera, per orbis chriſtiani tractus in villis, oppidis, ciuitatibus exercita? nonne apud Catholicos Romanos?

Quid ad hæc ſectarij cum inſtar apum, mel de floribus noſtris colligere deberēt, Scarabæorum potius more luto fimoque adhærent, ſi quid languidum ſi quid vlceroſum apud nos vident,hic hærent; hic garriunt, quaſi vero ſanctiores ipſi mores poſſent opponere, ſed vnus pro omnibus nobis reſpondeat Auguſtinus lib.de moribus eccleſiæ cap.35. *definite eccleſiæ catholicæ maledicere, vituperando mores hominum, quos etiam ipſa condemnat,& quos quotidie tanquam malos filios corrigere ſtudet in agro quidem Domini ſinuntur eſſe etiam zizania.* Proinde inquit idem Aug.ep.18.ad Ianuar.cap.10. *eccleſia Dei inter multā paleam multaque zizania conſtituta, multa tolerat,& tamen quæ ſunt contra fidem,vel bonam vitā nec approbat,nec tacet,nec facit.* Certe dum ſectarij imperfectos catholicos reprehendunt, ſeipſos accuſant non enim mirantur prauos Turcarum mores,nō Iudæorum vſuram, non carnales ſuos luxus, & luxuriam, mirantur tamen ſi quid huiuſmodi apud catholicos Romanos vident,vt vel inuitī fateantur,ibi reprehendendos mores,vbi debet vigere ſanctitas, & hanc apud nullam ſectam quærendam eſſe niſi in ſola Romana eccleſia, à qua proinde.

Vti petenda, ita profecta eſt gentium conuerſio, & ne altius aſcendam; quinto ſæculo Hibernia per D. Patritium à Cœleſtino Romano Pontifice miſ-

miſſum, ad fidem Chriſti conuertitur: Sæculo ſexto Anglia conuerſa eſt per monachos á D. Gregor. deſtinatos, vt fatentur Centuria tores Magdeburgẽſes centur.6.cap.2. ſeptimo ſæculo conuerſi francones á S.Kiliano Hiberno cent.7. cap.2. Octauo ſæculo conuerſa magna ex parte Germania, per S.Bonifacium á Gregorio ſecundo miſſum centur.8. cap. 2. Nono ſæculo conuerſi Vvandali Slaui, Bulgari, Poloni, Dani, Moraui, et Eccleſiæ Romanæ adiuncti centur. 9. cap.2. Decimo ſæculo conuerſa multa regna opera Henrici primi Imperatoris, et Adalberti, ac Methodij Epiſcoporum cent.10.cap.2. ſæculo 11. Conuerſi magna ex parte Hungari, et Epiſcopi illis á Romano Pontifice dati, petente S. Stephano eorum rege centur. 11, cap. 2. ſæculo 12. conuerſi Noruegi per Adriannum quartum Anglum, priuſquam eſſet Pontifex, Platina in eius vita. Sæculo 13. conuerſi plurimi, in Tartaria a Dominicanis 14 ſæculo quamplurimi Iudęi, et Saraceni conuerſi á Beato Vincentio Ferrerio, hoc eodem ſæculo Indiæ Orientales, et Occidentales opera fratrum minorum, et Societatis Ieſu, ac aliorum Religioſorum fidem Chriſti amplexę ſunt, ergo in Eccleſia Romana eſt Sanctitas morum, et *Lex conuertens animas.*

ARTICVLVS III.

Sola Romana floret Sanctis, ſingulis ſoccèſſiue ſæculis.

A Martyribus ordior, ſæuierunt ergo in Eccleſiæ Romanæ membra perſecutione *Prima* Caius Caligula, Claudius Cæſar, perſecutione ſecunda anno 101. Nero, Galba, Otho perſecutione tertia anno 139. et 149. Flauius, Titus, Veſpaſianus, Domitianus, Perſecutione quarta anno 147. et 159. Nerua, et Traianus. Perſecutione 6. et 7. ad annum 255. Marcus Aurelius, Commodus, Antonius

Ælius

Ælius. Perſecutione nona, & decima ad annum 284. Didius, Iulianus, Septimius, Seuerus, in quos ſæuierunt iſti? in Romanæ, & Catholicæ Religionis Profeſſores, pro hac Catholica, & Apoſtolica fide, trecenta Martyrum millia referuntur inuicto animo cecidiſſe, & vt ex multis paucos referam, pro hac fide ſubiere Romæ mortem Linus, Cletus, Clemens, Anacletus, Euariſtus, Xiſtus, Pius, Anicetus, denique triginta Summi Pontifices, quos imitati ſunt Laurentius, Agnes, Cecilia, Martina, Romanus, Valerianus, Sebaſtianus, &c. alibi Mauritius, Georgius, Catharina, Dorothea, Lucia, quid plures referam, pleni ſunt libri, plena Martyrologia.

Nec minus Apoſtolorum ætate, habuit Eccleſia Romana ſuos Sanctos, quam alijs ſucceſſiue temporibus, vſque ad hodiernum diem, habuit ſæculo ſecundo Dionyſium, Eleutherium, Policarpum, tertio ſæculo, Narciſſum, Babylam, Gregorium Neocæſarienſem, ſæculo quarto, Paulum Eremitam, Antonium Abbatem, Baſilium Magnum, Martinum Turonenſem, Albanum Angliæ. Seculo quinto Maximum Epiſcopum, Simonem Stylitam, Patritium in Hibernia, Remigium in Gallia, Sexto ſæculo Benedictum Abbatem, Brigidam Hiberniæ, Columbam Abbatem item in Hibernia, Auguſtinum, & Mellitum in Anglia, Maurum in Gallia: ſæculo ſeptimo, Arnulphum Metenſem, Amandum Traiectenſem, Agathonem Romanum Pontificem. Octauo ſæculo Suitbertum Epiſcopum Otiliam Virginem. Sæculo nono. Ioannem Abbatem, Rembertum Hamburgenſem; Lutherum Saxonem. Sæculo decimo. Popponem, Dunſtanum Anglum, Maiolum. Sæculo vndecimo. Heribertum Colonienſem Odilonem Cluniacenſem, ſæculo Duodecimo: Malachiam, & Laurentium Hiberniæ; Bernardum Clareuallenſem, Norbertum, Brunonem, Thomam Cantuarienſem. Sæ-

culo

culo decimo tertio. Dominicum, Franciſcum Aſſiſiatem, quem Matheus Paris: (Laudatus ab Illyrico VValsho, & alijs ſectarijs, ob mordacem, Satyricum, & rodentem ſtylum) refert geſtaſſe ſtigmata, inſtar vulnerum Corporis Chriſti, fuere ex ſectarijs etiam Angliæ nonnulli, qui eo inuerecundiæ, vel ſtolidæ potius ſtultitiæ procederent, dicendo hos omnes Sanctos fuiſſe de eorum ſecta. *Sed Spectatum admiſſi riſum teneatis Amici.* Quaſi vero hi fuerint Excucullati apoſtatæ, qui Cereri, Baccho, ventri, Venerique indulgerent, prout indulgere docent verbo, & opere Sectarij.

Sed modeſtior cæteris VVitakerus pag. 369. Fatetur Franciſcum & Dominicum id ſenſiſſe, quod ſentit vulgus Papiſtarum. Id ipſum fatetur Pantaleon in Chronicis pag. 95. Melancton in Apologia confeſſionis Auguſtanæ. Centuriatores Magd. Centur. 13. Hi ſcilicet conſcientiæ remorſu ſtimulante reddunt nobis noſtra, habuit item hoc ſæculum D. Thomam Aquinatem, Bonauenturam, Petrum Mediolanenſem, Antonium Patauinum, etiam hodie miraculis clarum, habuit item Eccleſia Romana ſæculo 14. Iuonem Presbyterum, Godefredum Eptingenſem, Venturinum Bergomatem; ſæculo decimo quinto Vincentium Ferrerium, Antonium Florentinum Dominicanos, Bernardinum Senenſem, Didacum Camplutenſem Franciſcanos; denique ſæculo decimo ſexto. Franciſcum de Paula, Ignatium de Loyola, Franciſcum Xauerium, Ambos Societatis Ieſu, Philippum Nerium, Carolum Borromæum Cardinalem, Petrum de Alcantara Ordinis Minorum. Quid multis? e plurimis, hos paucos nominaui miraculorum gloria omni ætate nobiles, plures ſi volueris, in omni omnium ſæculorum hiſtoria reperies, & apud eos, quibus nulla cauſa fuit mentiendi, & redargui ab ætatis ſuæ ſcriptoribus potuiſſent, ſicubi, à vero deflexiſſent, ſicut alij reprehenſi ſunt pro ſingulis quiſque ſæ-

culis, quicumque vel mendacia ſcribere, vel aſſerere tentarunt, vt conſtat de illis impoſtoribus in hiſtorijs ſingularum ætatum relatis.

Nunc peto, vtrum Sanctos hactenus recenſitos admittant ſectarij, necne? ſi non, quomodo ſuadebunt vlli mortalium Sanctos, quos in primitiua Eccleſia legimus, tales fuiſſe, cum vtrumque non niſi traditione acceperimus? adeo vt bene inferat Auguſtinus lib. 10. De Ciuitate Dei cap. 18. *Si huiuſmodi hiſtorias tollas, iam amplius hiſtorijs, vel traditionibus nulla fides erit adhibenda*, deinde cur potius Luthero, Caluino, & alijs ſectarijs tunc non exiſtentibus, & adhuc tamen negantibus credendum, quam Chryſoſtomo, Auguſtino, Ambroſio, Gregorio, Nazianzeno, Bernardo, Bonauenturæ, Sanctorum, quibus ipſi fuerunt coæui, vitas referentibus? viderit id quilibet æquus Chriſtianus. Si autem hos admittunt Sanctos, ergo in Romana eccleſia, non minus quam in primitiua, vitæ Sanctitas miraculis confirmata viget: Si dicas eorum Sanctitatem fuiſſe Hyppocriſim, contra, idem liceret hebræis obijcere Chriſto, & Apoſtolis. Idem Paganis liceret dicere de Martyribus, ſic Ariani, Turcæ, Manichæi primitiuę eccleſiæ Sanctitatem ſpernere poſſent, ſi adhuc proteruiant, vt velint nullos Sanctos extitiſſe poſt tempora Apoſtolorum peto, vbi ſcriptura dicat nullos præter Apoſtolos, & eorum Coæuos futuros fuiſſe Sanctos, cum tamen Chriſtus dicat Marci 16. *Signa eos, qui crediderint hæc ſequentur. Dæmonia eiicient, ſerpentes tollent, ſuper ægros manus imponent, & bene habebunt.* Et Ioan. 14. *Qui crediderit in me, opera, quæ ego facio, & ipſe faciet, & maiora horum faciet.* Certe ideo hæc negarent ſectarij, quia apud ſe nullum vnquam ſperant sanctum.

AR-

ARTICVLVS IV.

Sola Romana reſplendet claritate miraculorum, ſingulis item ſæculis.

MIracula eſſe ſigna veræ fidei, probauimus diſtinctione de notis Eccleſiæ, patet in Chriſto, Apoſtolis, & primis fidei Chriſtianæ denuntiatoribus, ſinguli enim miraculorum magnitudine, doctrinæ, quam adferebant fidem fecerunt, proinde comparationem miraculorum veteris, & noui Teſtamenti inſtituo, vt mutua luce magis ſplendeant, ergo Moyſes num. 21. Serpentem æneum ligno imponit, in ſalutare Iſraeli ſpectaculum, quo tempore à ſerpentibus exterminabantur; ſed anno Chriſti 60. Tecla ipſos ſerpentes, & turgentia venena calcat illæſa; Ionas a Bellua deuoratus, triduo poſt incolumis exiuit, Eleutherius, referente Metaphraſte, & Nicephoro lib. 3. cap. 20. ad annum 120. Craticulæ iniectus maceſcere, atque adeo emori prunas, quæ etiam ferrum domant, fecit, vt neſcias vter prodigioſior, an ille in aquis illæſus, an iſte in ignibus intactus; Daniele Propheta Teſte cap. 3. Tres pueri in fornacem ignis iniecti, nihil paſſi ſunt, Policarpus Teſte Euſebio lib. 4. cap. 14. Ad annum 170. ex flammis tanquam vnguento delibutus, vegetior egreditur; Lucia ad annum 300. reſina, oleo perfuſa ardenti, circumfuſa flammis ſtetit inſauciata, nec inferior Romæ Agnes, ad annum 304. Laudata apud D. Ambroſium quæ medias inter flammas immunis caſtas voces depromit.

Daniel Propheta, vt ipſe de ſe refert cap. 6. In lacum immiſſus, vſitatam Leonum feritatem euaſit, ad Ianuarij Epiſcopi pedes anno 300. Referente Surio, eadem feritas venerabunda proſternitur, eandem reperies in Abdon, & Senen apud Suriũ, in

Agapito Præneſtino, apud Adonem. Ad Eliſæi: vocem 4. Reg. 6. Natauit ferrum; ſed, & ad Rumoldi Hiberni ad annum 870. Apud Surium enatauit puer præfocatus aquis vitæ, ſimul & ſuis redditus: natauit ad vocem D. Patritij Lapis hominem geſtans per maris fluctus, enatarunt ex aquis Coſma, & Damianus ad annum 285. Apud Surium, Secunda, & Ruffina apud eundem, qui omnes iniecti in aquas, non potuere Mergi. Eliam 3. Reg. 17: Angelus ſubcinericio pane, & aqua ſatiauerat. Coruus, qui ſexaginta annis Authore Surio, ad annum 350. Paulum pauerat, ad Antonij aduentum duplicauit annonam, id ipſum teſtatur D. Hieronymus. Defecerunt aquæ Iordanis ante arcam fœderis Domini, cum tranſiret eum, Ioſue 4. Gregorius Neocæſarienſis teſte Ruffino, Gregorio Niſſeno, Socrate, Nicephoro ad annum 280. Lycam aggeres tranſilientem, defixo ad ripam baculo repreſſit, lacum diſſidiorum inter fratres cauſam exſiccauit. Tameſis in Anglia ad Albani iuſſionem funditus profciſſus inteſtino itinere mille viros tranſuadat, authore Gilda de excidio Britannico, Beda lib. 1. cap. 7. Hiſtor. Anglic. Eliſæus 4. Reg. 4. Puerum mortuum reuocat ad vitam, alium puerum Elias reſuſcitat 3. Reg. 17. Hilarius apud Fortunatum pari imperatorio verbo, demortuum puerum vitæ reſtituit: Martinus apud Sulpitium ad annum 380. Vitam laqueo extortam breui oratione reddit Seruulo. D. Bonauentura Ordinis Minorum puerum mortuum viuum reſtituit matri, ficorum maſſa Ezechiæ vlceri medetur Iſaias 4. Reg. 20. Thaſſalius & Symon ſtylites apud Theodor. In Philotheo cap. 22. ad annum 430. Maximus Rhegienſis apud Dynamium, Patricius Hiberniæ noſtræ, apud Mathæum VVeſtmonaſter, cæcos enubilant, Paralyſi diſſolutos redintegrant, animas reuocant, redduntque ſociæ carni, & verbo hæc omnia.

Sed ſæcula ipſa repeto. *Sæculo 6. Eliam*, &

Eliſæ-

Eliſæum imitatus s. Benedictus Abbas puerum mortuum excitauit, item vti Moyſes inuenit germinaſſe virgam Aaron, num. 17. Ita in Hibernia viruit altaris ex ſuccidum lignum in virginitatis documentum, attactu Brigidæ virginis. Sæculo 7. Vti Naaman ſepties in Iordane lotus, iuxta ſermonem Eliſæi; à lepra mundatus eſt, ita Agatho Romanus Pōtifex leproſum mundauit, teſte Platina. Sæculo 8. floruit miraculis Rembertus, & Ioannicius. Sæculo nono Siſinandus Epiſcopus Compoſtellæ, in cuius obitu auditę voces Angelorum, Authore vaſæo. Sæculo decimo. Odilo Abbas puerum à natiuitate cæcum illuminauit, vndecimo S. Bernardus vndecim cæcos in diœceſi Conſtantienſi vna die illuminauit, teſte Godefrido lib. 4. cap. 4. ſæculo duodecimo s. Eliſabeth Hungariæ Regis filia, Ordinis Minorum, ſeptemdecim mortuos ſuſcitauit, referente Iacobo Montano in eius vita; decimotertio ſæculo ss. Dominicus, & Franciſcus miraculis clarent, quorum vterque tres mortuos excitauit, ſæculo 14. S. Ludouicus Ordinis Minorum 12. Mortuos ſuſcitat. ſæculo 15. Vincentius Valentinus octodecim Mortuos ſuſcitauit, ſæculo 16. S. Ignatius de Loyola mortuũ excitauit. Petrus de Alcantara Ordinis Minorum mulierem cæcam illuminauit.

Hæc ex plurimis pauca de ijs ſanctis, in quos Deus aduerſus incredulitatis ingenia, gratuita effudit de ſpiritu ſuo dona, admirandorum patratoria, quid hic memorem miracula per D. Virginem Laurēti in Italia, Hallis, & Aſpricolle in Belgio patrata? quot fuerint Energumeni liberati, cæci illuminati, claudi rectificati, luxatici ſanati, variæ, & extremæ infirmitates curatæ in his locis teſtantur ora atque oculi eorum, qui præſentes audierunt, & perceperunt.

ARTICVLVS V.

Adduntur rationes Theologicæ ex præfatis miraculis pro Romanæ Eccleſiæ ſanctitate demonſtranda.

MIra hic cudunt ſectarij, in mille gyros,& flexus ſe torquent, vt miracula negent, ea ſubinde vel præſtigijs, & faſcinationibus aſcribunt, vel vt vno verbo abſoluant, omnia negant miracula, vt olim negarunt Ariani, & negat Mahometus in Alcorano azoara, ſeu cap. 2. 15. & 31. nos vero illud Ioan. 14. repetimus. *Qui credit in me maiora horum faciet*, & cap. 2. verſ. 23. *Scimus quia a Deo veniſti magiſter, nemo enim poteſt hæc ſigna facere, quæ tu facis, niſi fuerit Deus cum illo.* Et illud Ricardi de s. Victore lib. 1. de Trinitate cap. 2. *Domine ſi error eſt, quod credimus, a te decepti ſumus, ea enim in nobis tantis ſignis, & prodigijs confirmata ſunt, et talibus, quæ non niſi per te fieri poſſunt.*

Quæcumque ergo hic á ſectarijs afferuntur ad inficianda Diuorum prodigia, eadem contra primitiuæ eccleſiæ miracula, increduli poſſent Gentiles, & Hebræi allegare; vnde ſic inſto, vel potuit Deus illa prodigia per ſanctos ſuos facere, vel non? ſi non, quid dicam, potuit in piſcina probatica. Ioann. 5. potuit in ſeptena Naami ablutione potuit in Elia pallio diuidente Iordanem. 4. Reg. 2. ſi potuit Deus hæc facere per ſuos ſanctos, quid naturæ, quid præſtigijs, quid mendacio hæc aſcribunt ſectarij? iterum inſto, potuit ne filius præſtare, quæ promiſit, *Vt qui crederet in eum, opera quæ ipſe fecit faceret, & maiora horum faceret?* Potuit ne inquam facultatem hanc concedere dilectoribus ſuis, ſuæ inquam dilectiſſimæ matri? ſi potuit, quid conceſſiſſe negas? vbi tibi reuelata veritas negatæ potentiæ? negas potuiſſe? potuit non dicam Moyſi,

Pro-

Prophetis, Apoſtolis, ſed vmbræ Petri. Act. 5. ſemicinctijs Pauli. Act. 19. Virgæ Moyſi. Exod. 9. Non inferiora concedere: cur non paria alijs ſuis dilectis? cur non paria matri? an vmbra, ſemicinctijs, Eliæ pallio, Eliſæi cadauere, Moyſi virga, vilior mater?

Quod ſi conceſſam miraculorum patrationem arbitreris á filio matri, potuit ne hæc Lauretum in Italia, Hallas, & Sichem in Belgio deligere, tanquam prodigioſis operationibus loca? ſi potuiſſe cenſes, quid negas; ſi aliud opinaris, quam cauſam adfers fruſtratoriæ in his locis petentiæ? quid Deum negas potuiſſe Laureti, Hallis, Aſpricolle, quod olim Ieroſolymis, quod in Cana Gallileę, alijſque locis? male Deum noſti, ſi non putas illum poſſe, quod non putas, & tamen ſcire debes poſſe, ſi Ioannis verba noſti, & iterum repeto. *Qui credit in me opera, quæ ego facio, & ipſe faciet, & maiora horum faciet.*

Sed inquiunt ſectarij per ſenſus fallaces, iſta percepta ſunt, & ab hominibus hæc ſcripta, qui falli poterant; ſed contra. A quo habent ſua ſectarij ſcripta, ſi ab homine non habent? certe non ab Angelo, á Dæmone, ergo neceſſum eſt eſſe, & huic credent? habent in noſtris optimorum teſtium fidê, magiſtratuum ſigna, iureiurando roborata: quæ potuit in humanis certior, firmiorque teſtatio in omnem valitura poſteritatem relinqui? putantne nos credere illius temporis homines vſque adeo fuiſſe vanos, mendaces, ſtolidos, vt quę numquam viderant, vidiſſe ſe fingerent, ſane qui diſcendi magis cupidus, quam pręſumendi, qui credendi, quam contendendi diligentior, audiens omni ſæculo á Deo per Sanctos conceſſa beneficia, de virtute miraculorum non dubitabit, ſi præſertim quindecim ætatum conſpirantem conſenſum, de ea potentia admiſerit potius, quam nouitiam doctrinam, de incredulitatis ingenio, de æmula inuidentia prognatam.

Quod aiunt de fallaci ſenſu quid dicam? ſi enim imprudenter his aſſentimur, quæ vidimus, quid dicent de Romano Proconſule? Act. 13. vt audiuit minitantem Paulum. *Eris cæcus, & exinde*, id videns, *credidit admirans ſuper doctrina Domini*, An de credendi facilitate accuſabis cæcum Ioann. 9. qui poſt luminum reſtitutionem rogante Domino num crederet, *Credo Domine*, an cum aquam in vinum conuertiſſet, Ioan. 2. *Prudenter ne crediderunt in eum diſcipuli eius*? Hos damnate ſectarij, ſi audetis, ſi prudenter hos crediſſe cenſetis, quid Catholicos dãnatis, qui non minora ſingulis ſæculis vident. De prodigijs noſtris iam taceo, de verruca, de puſtula nunc ago, quis enim ex omni ſectariorum cætu, nudo eam repreſſit verbo? vnum producant, unum inquam qui imperio ſolo, qui prece puſtulam de fronte deterſerit, verrucam abſtulerit, ſed ſcio, quid ſint reſponſuri, fugiſſe ſcilicet de mundo miracula, cum redijt cum Euangelij luce Chriſtus contra, quo abierat Chriſtus, *Qui manſurum ſe omnibus diebus, vſque ad conſummationem ſæculi promiſit*? Cænatum ſcilicet ad Æthiopes, ut poſt mille quingentos annos, eum reducerent ſectarij, ſed iſtas nugas ſat refutaui, iterum inquiunt, quid alijs opus, quam ſcriptura? ſed contra, numquid omnia retro ſæcula habuere ſcripturam? ſed aiunt iam ſcripturam ſe ipſa clareſcere, & plenum lumen effundere: contra primo, hoc aperte diſtinct. 4. refutatum eſt, contra 2. peto an ſuo, an alieno clareat lumine ſcriptura? ſi ſuo, quæro quæ nubes hoc lumen ſubduxit omnibus elapſis ſęculis toti humano generi? ſi alieno fulget lumine, peto cuius? an Lutheri? an Caluini? quis illis hanc lucem protulit tot negatam ſæculis? quis hoc dicit pręter ipſos? credamne ego iſtos acutius vidiſſe, quam omnes retroactas ætates? minime. Ergo cum in ſola eccleſia Romana vigeant miracula, doctrinæ, & morum ſanctitas, tot ſæculorum, & ætatum centurijs probatã; tot Doctorum vnanimi con-

conſenſu aſſerta, illa ſola erit vna ſancta Chriſti Eccleſia, & conſequenter Catholica quod probo.

QVÆSTIO III.

Sola Romana Eccleſia eſt Catholica.

ECcleſiam eſſe Catholicam eſt diffundi per omnia tempora, & per omnia loca ſimul, vel ſucceſſiuè, vt iam explicabo, diffundi per omnia tempora, eſt ſemper perpetuam,& ſine vlla vnquam interruptione indefectibiliter perſeuerare: diffundi vero per omnia loca, non ita intelligitur, vt omnes omnino homines, & quicumque, & vbicumque ſint contineat, cum multa ſint, & ſemper fuerint ſciſmata, hęreſes, ſed quod ſingulis, regnis, ac prouincijs fides, & eccleſia innoteſcat, ibique in aliquibus fructificet, vel ſimul, vel ſucceſſiue, vnde addit Bellarmin. lib. 4. quod ſi ſola vna prouincia retineret veram fidem, adhuc Catholica diceretur, modo poſſit oſtendere ſe tueri idem, quod vbique aliquando creditum fuit, non ſecus ac nunc quælibet diœceſis dicitur Catholica, quia eſt pars Eccleſiæ vniuerſalis ex omnibus particularibus coaleſcentis. Hinc inquit Lirinenſis in Communitorio cap. 3. *Catholicum eſt, quod vbique, quod ſemper, & ab omnibus creditum eſt.* Hinc item Eccleſiæ Catholicæ quadrat illud Apocalyſis 5. *Redemiſti nos Domine in ſanguine tuo ex omni tribu, & lingua, & populo, & natione, & fociſti nos Deo noſtro regnum.* Quare Eccleſia Catholica eſt illa, quæ vel ſimul, vel ſucceſſiue vbique eſt in omni gente, & populo, & natione, qvod peculiare eſt veræ Eccleſiæ, nam licet Mahometiſmus ſatis extendatur, non tamen à morte Chriſti ſemper, & vbique, & ab omni gente creditus eſt, Catholica autem eccleſia in omni gente habet, & ſemper habuit portionem aliquam, non

Genevæ tantum, non Vvittenbergę non in Scotia, vel Anglia ſolum, ſed vbique Terrarum cum eius ſonus exierit in omnem terram, ſit ergo.

ARTICVLVS I.

Sola Romana Eccleſia eſt perpetua, & conſequenter Catholica, ſeu vniuerſalis quoad tempus.

DE ratione veræ Eccleſiæ eſſe, fidem nunquam amittere probaui diſt. 2. quod autem eccleſia Romana acceperit veram Chriſti fidem, probo ex epiſtola D. Pauli ad Rom. cap. 1. *Paulus ſeruus Ieſu Chriſti vocatus Apoſtolus, omnibus qui ſunt Romæ dilectis Dei, vocatis ſanctis, gratia vobis, & pax à Deo Patre noſtro, & Domino noſtro Ieſu Chriſto*, & verſ. 8. *Primum quidem gratias ago Deo meo, per Ieſum Chriſtum, pro omnibus vobis, quia fides veſtra annunciatur in vniuerſo mundo.* Hinc tria animaduerte, primum ab Apoſtolo hic declarari initium Romanæ eccleſiæ, ſecundum, eam recepiſſe fidem antequam Paulus Romam venerit; tertium, ab vrbe Romana fidẽ Chriſti, temporibus Pauli diuulgari cœpiſſe per totum Orbem, *Quia fides*, inquit *veſtra annuntiatur in vniuerſo mundo*, iuxta illud Pſal. 18. *In omnem terram exiuit ſonus eorum.* Quod autem ante aduentum Pauli viguerit fides Chriſti Romæ declarat ibidem verſ. 11. *Deſidero enim videre vos, vt aliquid impertiar vobis gratiæ ſpiritualis ad confirmandos vos, id eſt ſimul conſolari in vobis per eam, quæ inuicem eſt fidem veſtram, atque meam.* Confirmari autem non poterant, niſi prius fidem haberent.

Probatur 2. ex eadem Epiſtola cap. vltim. verſ. 17. *Rogo autem vos fratres, vt obſeruetis eos, qui diſſenſiones, & offendicula præter doctrinam, quã didiciſtis faciunt, & declinate ab illis:* Ergo Romani ante aduentum Pauli, iam didicerunt doctrinam fidei, ſubiungit ibidem verſ. 19. *Veſtra enim obedientia in omnem*

nem locum diuulgata eſt, Item actorum 28. verſ. 16. *Cum autem veniſſemus Romam, permiſſum eſt Paulò manere ſibi cum cuſtodiente ſe milite, ſuſcipiebat omnes qui ingrediebantur ad eum, prædicans regnum Dei, & docens, quæ ſunt de Domino Ieſu Chriſto.* Ex his de fide habemus, Romanam eccleſiam fuiſſe ſemel veram Chriſti eccleſiam, veramque eius habuiſſe fidem.

Per Romanam autem eccleſiam intelligo vniuerſalem, Catholicam, & Apoſtolicam Eccleſiam militantem, cuius viſibile caput in terris eſt Romanus Pontifex, vt initio diſtinctionis inſinuaui, nunc ſic argumentor, vel Aduerſarij tenent de fide Romanam eccleſiam defeciſſe, vel non tenent? ſi non tenent de fide, ergo non ſunt infallibiliter certi Romanam Eccleſiam vnquam defeciſse, & conſequenter ob fallacem, & mendacem opinionem ſunt rei ſacrilegi ſciſmatis; ſi de fide id tenent, vel hoc habent reuelatum in verbo Dei ſcripto, vel in verbo Dei tradito, ſeu traditione? non ſecundum, quia ſectarij non tenent vllam traditionem eſſe verbum Dei, ſi autem id habent reuelatum in verbo ſcripto, vrgeo, & peto vbi habeatur expreſsè, ſine diminutione, additione, gloſsa, vel conſequentia in ſcriptura ſacra, quod Eccleſia Romana defecerit, vel errauerit in fide, oſtendant vbi? quo loco?

Si autem recurrerint ad ipſas traditiones, vt velint inde deducere Romanam eccleſiam defeciſse a fide Chriſti: contra peto qua traditione id habetur? an id inueniatur in aliquo Concilio œcumenico? peto quonam? qua illius definitione, vel deciſione? quis fuit auctor illius defectionis? quiſnam errores illos in eam inuexit? quis primus aduertit: ideſt quis eccleſiam illam, quam quinque prioribus ſæculis ſine ruga, & macula fuiſse fatentur ſectarij, in illa deteſtanda proſtitutione deprehendit? quis accuſauit Suſannam illam caſtiſſimam, niſi duo illi iudices, alter ſaxo Germanus, excucullatus monachus ſacrilego connubio vxoratus, alter Gallus ſtigmati-

mati-

maticus perſuga, Gomorrhæos ignes promeritus, tanto nimirum poſt admiſsum crimen interuallo, ac interſtitio.

Iterum vrgeo, quænam Catholica Synodus ſeſe oppoſuit; quinam orthodoxi Doctores, contra defectum illum, & naſcentes errores publice proteſtati ſunt? quo ſæculo, vt inſiſtam cum P. Campiano, quo anno, in qua orbis plaga, regno, natione, ſub quibus Principibus, Regibus, Imperatoribus, Pontificibus, mutauit, intruſitue Roma nouam Religionem? qua via quo impetu, vel violentia, quo augmento, vel ſucceſsu noua, extranea, & inuſitata religio peruaſit vrbem, & orbem? quos tumultus, rumores, ſtrepitus, quærelas ſaltem protulit vel generauit inaudita fides? dormiuitne orbis terrarum totus, quando Roma, cuius geſta, & acta toti mundo ſunt nota, quando Roma inquam cudit noua Sacramenta, nouam fidei Religioniſque doctrinã? exſtititne inter mortales vllus hiſtoricus, qui obſcure ſaltem, in ſuos commentarios rem tam notabilem referret?

Certe nos cum omnibus his circumſtantijs, deſignare poſsumus quinam ſingulis ſucceſſiue ſæculis impiarum hæreſum authores fuerint, quas orbis plagas infecerint, quo incremento, vel decremento proceſserint, ſic deſignauimus diſtinctione præcedenti, quæſtione ſecunda omnium ætatum hæreſiarchas, deſignauimus Concilia, á quibus fuere condemnati: ſi ſectarij ſuo ſacrilego ſciſmati, vel ſaltem aliquam vmbram obducere velint, & palliare ſaltem, vel aliquo ementito colore impiam accuſationem, quam afferunt contra eccleſiam Romanam, producant vnum œcumenicum Concilium, vnum orthodoxum Patrem, vel authenticum teſtem, qui dicant hoc, vel illo ſæculo Romanam Eccleſiam defeciſse á fide Chriſti.

Scimus quomodo aliæ particulares Eccleſiæ defecerint ab orthodoxa Religione, in Ieroſolymitano

Pa-

Patriarchatu Euthychius, Irenęus, *Non Lugdunenſis ille*, Hilarius, *Non Pictauienſis*, Aarani ſederunt: in Anthiocheno, Paulus Samoſatenus Hæreſiarcha, & aliqui Monothelitæ: in Alexandrino, Georgius, & Lucius Ariani: in Conſtantinopolitano, Macedonius, Neſtorius, & Sergius Hæreſiarchæ ſederunt, ſed quando Romana eccleſia à tramite Apoſtolicæ traditionis errauerit, nunquam ex vllis retroacti æui authenticis monumentis ſectarij poſsunt oſtendere, ſi dicant ſe id oſtenſuros illatiue, quod putent Romanam eccleſiam non recitare ſua dogmata ex puro Dei verbo, contra diſt. ſeq. oſtendam ſolam Romanam eccleſiam, recitare ſuam doctrinam ex ſcriptura, & eſse conformem primitiuæ eccleſię.

ARTICVLVS II.

Ex indefectibilitate veræ Chriſti Eccleſiæ, probatur nunquam interrupta duratio Romanæ Eccleſiæ.

VEram Chriſti eccleſiam viſibiliter perpetuo indefectibiliter, & ſine vlla interruptione durare probaui diſt. 1. per totam 1. Ex veteri Teſtamento, Danielis 2. verſ. 44. Iſaiæ 6. verſ. 9. item cap. 2. verſ. 2. & cap. 6. verſ. 1. ex nouo Teſtamento Matth. 16. verſ. 18. & cap. 18. ac cap. 28. verſ. vltimo, quæ omnia loca, vt ibidem oſtendi, probant perpetuam viſibilis eccleſię durationem, cum ab inuiſibili nos deterreat Chriſtus Math. 24. verſ. 26. *Si ergò dixerint vobis ecce in deſerto eſt nolite exire, ecce in penetralibus eſt, nolite credere*. Ad hæc deſerta, Ad hæc penetralia, à quibus nos deterret Chriſtus, remittunt Eccleſiam ſuam ſectarij.

Nunc

Nunc ſic arguo.

VEra Chriſti Eccleſia, vt dixi, perpetuam habet exiſtentiam, ſemper habuit eandem fidem, idem Euangelium, eundem gubernandi modum, ſed hæc eccleſia cum fuerit perpetuo viſibilis, cumque ante aduentum Lutheri, & Caluini nullum fuerit in Mundo viſibile vllius ſectæ, vel eccleſiæ membrum, præter Paganos, Mahometanos, Hebræos, Arianos, Neſtorianos, Huſſitas VVicleſiſtas, VValdenenſes; vel Romanos, aut oſtendant ſectarij quis alius, cuius nominis, vbi, quo loco latuerit? nunc videamus cui eccleſiæ, vel ſectæ hæc perpetua, & indefectibilis conueniat exiſtentia, de Paganis, Turcis, Hebræis non eſt quærendum, lis eſt cum modernis ſectarijs, an ipſis, an Romanis Catholicis iſta conueniat, ſi de ſectarijs ergo agitur, illorum exiſtentia noua eſt, non in antiquitate, aut traditione fundata, vt diſtinct. præced. oſtendi, vel enim eorum eccleſia ſemper fuit, vel tantum incepit his duobus vltimis ſæculis, ſi ſecundum, eccleſia vera eſse non poteſt, vt ſæpius probaui, ſi primum, vel probant, vel non? ſi non, ergo ſtultiſſimam obtrudunt aſsertionem in re grauiſſima, cum ſic liceat cuilibet, quod voluerit effutire, & prætendere ſe eſse Meſſiam, Apoſtolum, vel Prophetam, ſi probant, videamus vnde id probent, num ex ſcriptura? minime, vbi enim illa loquitur de Luthero, Caluino, Beza, & alijs eiuſmodi Apoſtatis? ſi dicant hoc ſenſu ſuam eccleſiam eſse veram, quod recitent ſua dogmata ex ſcriptura, contra, quia 1. parte diſt. 1. & 2. Oſtendi oppoſitum, ſi dicant illatiue ſe illa recitare ex ſcriptura, contra, oſtendi, & quilibet oſtendere poteſt ex eadem parte, illationes iſtas ſtantibus ſectariorum principijs, non eſse de fide, præſertim ob vitia in ſingulis eiuſmodi gloſſis, & illationibus reperta.

Ergo

Ergo omnibus bene ponderatis, & libratis remanet, ſolam Romanam eccleſiam, vel nullam in terris eſse Catholicam, & veram Chriſti eccleſiam. Vnde repeto dilema poſitum ſupra diſtinct. 1. *Vel perierat Romana Eccleſia tempore, quo orti ſunt ſectarÿ, vel non perierat?* Eligant quod voluerint, ſi perijt, adeoque perierit à tempore Gregorij magni vt delirant ſectarii, ergo per nongentos annos exſtincta fuit vera eccleſia, ergo per totum illud tempus, mundus caruit vera Chriſti eccleſia, vera fide, Religione, ſalute, ergo Chriſtus per totum illud tẽpus eccleſiam ſuam deſeruit, ergo portæ inferi præualuerunt aduerſus eccleſiam, Romanam inquam cum nulla alia in Terris præter ſolam Romanam, geſtauerit inſignia veræ Chriſti eccleſiæ, ergo Lutherus, Caluinus, & alij Sectarij nati ſunt extra veram eccleſiam, & conſequenter fuerunt infideles Hæretici, vel Pagani.

Si non perierat eccleſia Romana, adeoque in illa, velut in vera eccleſia nati, Baptizati, & educati fuerunt Lutherus, Caluinus, alijque nouatores, ergo quandoquidem ab ea diſceſserint per noua ſua dogmata, à vera ſe fide, & eccleſia ſeparauerunt; atque adeo non veram, ſed ſciſmaticam, apoſtaticam, & Hæreticam ſcolam inſtituerunt; peto item cuius eccleſiæ filij fuerunt Lutherus, & Caluinus, dum erant pueri? an meretricis filij? an vero legitimæ Chriſti ſponſæ? ſi primum; Spurij ſunt ipſi, & eorum aſseclæ, quippe ex ſpurijs nati, & inſuper defecit ille Articulus *Credo Sanctam Eccleſiam Catholicam*. Si ſecundum, ergo eccleſia Romana, cuius illi tunc filij erant, fuit legitima Chriſti ſponſa, adeoque nec lapſa nec adulterata, denique inſto cum D. Aug. Tract. 3, in 1. Ioan. 2. *Aut ipſi exierunt a nobis; aut nos ab ipſis*, Sed abſit vt nos *Ab ipſis, tenemus hæreditatem Chriſti*, Si enim ab iſtis, dic vbi, qnando? *Si ergo a nobis exierunt, Antichriſti ſunt, ſi Antichriſti ſunt, mendaces ſunt, ſi mendaces ſunt, negant*

gant Ieſum eſſe Chriſtum.

Tandem de fide eſt veram eccleſiam Catholicã ſemper continuate, & cunctis ſæculis fuiſse, docente ſymbolo, *Credo vnam Sanctam Catholicam, & Apoſtolicam Eccleſiam,* Sed de nulla alia poteſt probari, quod ſemper fuerit: Græca enim eccleſia, nec eſt Catholica, cum non ſit per orbem diffuſa, nec ſemper fuit, cum ante ſuum ſciſma aliter crediderit, quam modo, tunc enim Communionem habuit cum Romana eccleſia, vt infra probabo, ex Concilijs generalibus in Græcia primis quingentis annis celebratis, quam communionem modo reſpuit, deinde diuiditur in quatuor eccleſias ſeu Patriarchatus; mutuo ſibi in quibuſdam articulis oppoſitos tenent item errorem contra Spiritus Sancti proceſſionem à filio, deinde ſinguli illi Patriarchatus ſæpius defecerunt à vera fide, vt articulo præcedenti oſtendi, eccleſias ſectariorum titulum veræ eccleſiæ non poſſe ſibi vindicare, probaui diſt. præced. ergo neceſse eſt vel negare eccleſiam ſemper extitiſse, vel affirmare quod ſola Romana ſit vera Chriſti eccleſia. Primum autem eſt falſum. Ergo ſecundum eſt verum.

ARTICVLVS III.

Ex infallibilitate veræ, & viſibilis Chriſti Eccleſiæ oſtenditur perpetua infallibilitas Romanæ Eccleſiæ.

DIſtinctione 2. dixi infallibilitatem eccleſiæ in Hoc conſiſtere, quod non erret, neque in decretis fidei, neque in decretis morum, vt in illis non proponat falſa, in his non proponat iniuſta, ideſt quę repugnent legi naturali, aut diuinæ, ibidem etiam inſinuaui dupliciter poſse conſiderari, an erret eccleſia, nempe errore vniuerſali, & errore particulari, error vniuerſalis intelligitur reſpectu totius eccleſiæ,

cleſiæ, & ſui Paſtoris viſibilis, error particularis intelligitur reſpectu cuiuslibet priuati membri, multi autem tales errant, & errarunt, vt olim Simon Magus, Arius, Macedonius &c.

Nunc ſic diſcurro; vera, & viſibilis Chriſti eccleſia perpetuo durans, ſemper habuit hoc infallibilitatis priuilegium, vt diſtinctione 2. fuſe probaui, ſed hæc eccleſia, quæ ſic ſemper durauit prędicto dotata priuilegio, non eſt occulta, & inuiſibilis eccleſia, non confuſa, incognita, & diſperſa prædeſtinatorum congregatio, vt diſtinctione prima etiam probaui, non Arianorum, aliarumue prædamnatarum ſectarum multitudo, non modernorum ſectariorum cætus, vt diſtinctione præcedenti vidimus, cum ipſis non conueniat vlla nota veræ Eccleſiæ, neque infallibilitas, vt ipſimet in proprijs principijs tenent ergo remanet, quod ſola Romana eccleſia ſit illa indefectibilis, & infallibilis Chriſti eccleſia, vel certe nulla in hoc mundo dabatur, vel datur vera Chriſti eccleſia, nulla fides, nulla religio.

Probo vlterius, aliqua datur vera viſibilis, indefectibilis, & infallibilis Chriſti eccleſia, ſed nulla alia præter Romanam; ergo ſola Romana erit vera, & infallibilis Chriſti eccleſia: vnde ex diſtinct. 2. Citata ſic arguo, vel receſſit hoc priuilegium non errandi ab eccleſia Romana aliquando, vel non? Si non, ergo ſemper ab initio durauit nullo commiſſo errore in doctrina fidei, & morum, ſine vlla interruptione. Quod intendo; ſi receſſit, ergo vera fides receſſit à ſemine Chriſti contra Iſaiam cap. 59. verſ. 21. Ergo non permanſit Spiritus Dei, cum ſemine ſeminis Chriſti, contra eundem, ergo portæ Inferi præualuerunt aduerſus eccleſiam, ergo Chriſtus non permanſit cum illa omnibus diebus, ergo ſpiritus veritatis non docuit eam, omnem veritatem, nec ſemper permanſit cum illa contra promiſſionem Chriſti, ergo totus terrarum orbis poſt mortem Chriſti aliquando caruit vera Religione, vero Dei cultu, vera

ra ſalute, contra Prophetarum vaticinia, contra Chriſti oracula, & promiſſiones, quæ, ſi defecit eccleſia aut errauit, ſunt meræ fabulæ.

Reſpondent ſectarij, Deum quidem promiſiſſe hanc infallibilitatem ſuæ eccleſiæ, ſed ob enormia ipſius eccleſiæ peccata, hoc priuilegium abſtuliſſe: ſed hanc nefariam impoſturam retundit Propheta Dauid pſal. 88. vaticinans de Chriſto verſ. 30. *Ponam in ſæculum ſæculi ſemen eius, ſi autem dereliquerint filij eius legem meam: Si iuſtitias meas profanauerint, & mandata mea non cuſtodierint, viſitabo in virga iniquitates eorum, miſericordiam autem meam non diſpergam ab eo ſemel iuraui in ſancto meo, ſi Dauid mentiar, ſemen eius in æternum manebit, & ſicut luna perfecta in æternum.* Super quem locum magnus Auguſtinus inquit, *Cecidit Salomon, & dedit locum ſperandi Chriſtum*, Ideſt non hæc de Salomone, ſed de Chriſto debent intelligi, ſi autem ſemen Chriſti cecidit aliquando, vt volunt ſectarij, ſic contra arguit Auguſtinus ibidem: *Ergo Domine mentitus es, non imples quod promiſiſti, non exhibes quod iuraſti, forte hic dicturus tibi erat Deus, iuraui quidem, & promiſi, ſed iſte noluit perſeuerare, quid ergo tu Domine Deus, non præſciebas iſtum non perſeueraturum? utique ſciebat: quare ergo in non perſeueraturo mihi quod æternum eſſet promittebas? non ne tu dixiſti, ſi derelinquerint legem meam, miſericordiam tamen meam non diſpergam ab eo.*

Ex quibus ſic arguo; quando promiſit Chriſtus hoc priuilegium ſuæ eccleſiæ, vel tunc præuidit aliqua peccata committenda à filijs eccleſiæ, vel non: ſi ſecundum, ergo Chriſtus non fuit verus Propheta, & fundator ſuæ eccleſiæ: cuius futurum ſtatum perfecte non præuidit, quod eſt blaſphemum, & contra Euangelium, in quo committenda eſſe aliqua peccata in eccleſia prædixit, vt patet in exemplis de agro, rete, decem virginibus Cathedra Moyſi, quibus comparat eccleſiam, ſi præuidit, adeoque

 præ-

preſciuerit futura illa peccata, adhuc ſubſumo, vel tunc ob talia peccata preuidit hoc priuilegium auferendum, vel non? ſi non: Ergo non obſtantibus peccatis particularium membrorum Eccleſiæ, adhuc ſtat immobile in eccleſia hoc priuilegium fundatum in iuramento Dei: ſi præuidit auferendum, cur ergo Chriſtus in eccleſia non perſeueratura abſolute promittit, *Portæ Inferi non præualebunt aduerſus eam?* *cur abſolute dicit, ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad conſummationem ſæculi? cur promittit, alium paraclitum dabo vobis, vt maneat vobiſcum in æternum?* Vel ergo Chriſtus non fuit verus, & ſincerus Propheta, & promiſſor, vel ſi fuit cum ſerio, ſincere, & abſolute promittat, ſtat ipſius promiſſio infallibilis, de infallibi ſua, & Spiritus Sancti aſſiſtentia Eccleſiæ, cum peccatis particularium membrorum ipſius Eccleſiæ.

Cum ergo ſola Romana continuo viſibiliter perſeuerauerit, Sacramenta adminiſtrauerit, fidem Chriſti publice ſemper profeſſa fuerit, nec alia in terris à morte Chriſti ſit, vel fuerit Congregatio, quæ prærogatiuam ſeminis Chriſti præter Romanam mereatur, nec enim ſectarij aliam aſſignant, præter inuiſibilem, confuſam, & incognitam eccleſiam, quam toties exploſi, certe vel ſola Romana erit infallibilis, ac indefectibilis Chriſti eccleſia, vel nulla in terris eſt vera Chriſti eccleſia, deinde, vt ſectarij oſtendant Romanam Eccleſiam erraſſe producant, vel vnum fidei articulum, quem hodie tenet, quem olim primitiua non tenuit eccleſia, ego vero diſtinct. ſeq. oſtendam eſſe eoſdem quos illa credidit, & proinde illam hominum collectionem, quam hodie vocamus Romanam eccleſiam iure meritoque ſuccedere eidem primitiuæ eccleſiæ, nomine enim Romanæ eccleſiæ intelligo illam, quæ Chriſti, & primitiuæ eccleſiæ fidem profitetur, & ſemper profeſſa eſt, ne laboremus de voce.

ARTICVLVS IV.

Si Romana erraſſet Eccleſia, non conſtaret dari vllam Scripturam canonicam, aut vllum veræ Religionis fundamentum.

DIſtinctione quarta qu.2. articulo primo probaui ad hoc, vt ſciatur ſacram ſcripturam eſſe Canonicam: requiri, vt tradatur ab infallibili Teſte proponente, & teſtificante eam eſſe verbum Dei, item articulo 3. probaui, vt doctrina reuelata tranſeat de ſæculo in ſæculum, requiri infallibilitatem in tranſmittentibus vſq; in finem,& ratio eſt, quia ſicut neceſſaria fuit hæc infallibilitas in illis, qui immediate doctrinam reuelatam à Deo acceptam Orbi propoſuerunt, ita ſimiliter requiritur eadem infallibilitas in eorum ſucceſſoribus, qui à progenie, in progeniem,eandem doctrinam tranſmittunt, & iuridice proponunt: neque enim minus homines Moyſi, & Apoſtolis coæui, indiguerunt in proponente hac infallibili authoritate, vt eſſent certi illam Doctrinam eſſe à Deo reuelatam, quam indigent aliæ generationes, alijs ſucceſſiue ſæculis exiſtentes, vt etiam ipſæ ſint infallibiliter certæ, doctrinam a maioribus de manu in manum traditam, eſſe à Deo reuelatam, hæc ex illa quæſt. hic iterum claritatis gratia repetij.

Hinc ita diſcurro, quando ſectarij inceperunt ſuam prætenſam reformationem, vel dabatur tunc in Orbe terrarum infallibilis aliqua eccleſia, certo, & infallibiliter proponens, ac teſtificans ſcripturam ſacram fuiſſe verbum Dei, vel non dabatur? eligant quod voluerint: ſi non; ergo nulli Chriſtiano infallibiliter, & de fide conſtat vllas noſtras ſcripturas eſſe puras, & incorruptas, eſſe á Deo reuelatas, epiſtolam ad Romanos eſſe Canonicam, & epiſtolam ad Laodicenos non eſse; euangelium Marci eſse

ver-

verbum Dei,& Nicodemi non eſse, nam iſta ab eccleſia accepimus, atqui ex authoritate fallibili nequit deſumi argumentum infallibile, vel fidei certitudo.

Si dabatur huiuſmodi infallibilis eccleſia, infallibiliter tradens, & teſtificans ſcripturam ſacram eſse incorruptam, eſse verbum Dei, tunc ſic,iſta eccleſiā non fuit occulta, inuiſibilis, & confuſa congregatio toties exploſa, non fuit Caluiniſtica, Lutherana, aut puritana ſecta, cum non detur effectus ante cauſam, nec conſequenter illæ ſectæ ante ſuos authores, vt probaui, ergo fuit ſola Romana eccleſia, ergo per manifeſtam conſequentiam ſequitur, ſolam Romanam eccleſiam fuiſse illam infallibilem regulam, quæ humano generi ſub aduentum ſectariorum, verbum Dei certo, & infallibiliter proponebat, quod ſi iterum proteruiant, & negent exſtitiſse in eccleſia Romana huiuſmodi infallibilem authoritatem, quæ reuelatam doctrinam authentice proponeret, ergo iterum dubitare licet an ſcriptura ſit vllo modo á Deo reuelata, pluſquam Mahometi Alcoranum, in quo ſæpius Mahometus dicit ſe illud á Deo accepiſse,illudque á Deo eſse reuelatum, ſi autem dabatur tunc in Romana eccleſia huiuſmodi infallibilis authoritas, & regula proponens, quæro quænam ſit? non ipſa ſcriptura, cum ipſa ſit illud ipſum, quod debet proponi generi humano.

Quod ſic probo; nam ſi eſset aliquis, qui antequam admitteret ſacram ſcripturam, peteret an ipſa eſset reuelata á Deo, tunc iſta quæſtio apud ipſum non ſolueretur ex ſcriptura, ſed aliunde, nempe á regula proponente, quæ debet eſse infallibilis, quod ſi non daretur huiuſmodi regula infallibiliter proponens, & teſtificans ſcripturas eſse puras, & Canonicas, non eſsemus certi de ſcriptura, neque de vllo myſterio in ſcriptura contento, & ſic proſcriberetur omnis Chriſtiana Religio: quod vrge-

tur iterum ad hominem in ſectario, qui ſub initium ſuæ reformationis vellet Chriſtianam fidem infideli alicui perſuadere, quomodo id faceret? ſi ſcripturam allegaret, aſserens eam eſse verbum Dei, & ſecundum illam ſe credere: rideret Ethnicus, niſi prius probaret ipſam ſcripturam eſse à Deo reuelatam, qua ratione hoc perſuaderet Ethnico? ſi diceret id conſtare ex miraculis Chriſti, vel tot gentium traditione, inſtaret Ethnicus, vnde illam miraculorum traditionem accepit? quis eam à Chriſto nato cuſtodiuit incorruptam? quo nunc recurret ſectarius? non ad ſpiritum priuatum, non ad inuiſibilem eccleſiam, nam hæc facile exploderet Ethnicus, ergo ad ſolam Romanam Eccleſiam, ſed iterum inſtaret, cur in hoc credit Romanæ Eccleſiæ, cuius tamen authoritas ſectario eſt ſuſpecta?

Si dixerit ſectarius in alijs Romanam eccleſiam erraſſe, in tradendo vero Canone minime. Contra, ſicut errarunt in alijs Manichæi, Mahometani, Hebræi, Neſtoriani, Ariani, & alij huiuſmodi, ita fefellerunt in tradendo ſcripturæ canone, Manichæi negarunt vetus Teſtamentum, Hebræi negant nouum, Mahometus vtrumque, alij ſectarij alios ſcripturæ libros vel negarunt, vel corruperunt, ergo ſi Romana errauit in alijs, potuit etiam in tradendo ſcrpturæ canone errare, vnde ſi à ſolis Manichæis, Arianis, vel Neſtorianis acciperent ſectarij ſcripturam, non poſſent eſſe infallibiliter certi, an eam incorruptam, & puram acciperent, cum poſſet dubitari, vt qui tam turpiter contra diuinitatem Chriſti, & Spiritus ſancti errarunt, errare etiam poſſent in tradenda integra ſcriptura, deinde nemo Chriſtianus dicet perinde fuiſſe, olim audire Euangelium ex ore Simonis Magi, ac ex ore Simonis Petri, ergo ſi fatentur ſectarij ſe accepiſſe ſcripturam integram ab eccleſia Romana, fateri etiam tenentur eam fuiſſe infallibilem in tradenda illa eadem.

Vnde ſic inſto, ſi propter authoritatem Romanæ

næ eccleſiæ credimus ſcripturas eſſe incorruptas, cur non propter eamdem crederemus illum verum ſcripturæ ſenſum, quem ipſa proponit? vel ſi in ſenſu ſcripturæ errare potuit, vnde certo conſtabit non etiam in traditione, & cuſtodia ſcripturæ errauiſſe, & ſic non eſſemus certi an detur vlla Religio vera, vlla fides, vlla ſalus in terris: hinc D. Auguſtinus lib. de vtilitate credendi cap.14. Inquit, *Cur non igitur apud eos diligentiſſime requiram, quid Chriſtus præceperit, quorum authoritate commotus, Chriſtum aliquid vtile præcepiſſe iam credidi, tu ne mihi melius expoſiturus es quid ille dixerit. Quæ tanta iſta dementia eſt? illis crede, Chriſto eſſe credendum, & à nobis diſce quid dixerit, cur obſecro te? multo facilius mihi perſuaderes Chriſto non eſſe credendum, quam de illo cuiquam, niſi ab ijs, per quos ei crediliſſem, diſcendum*, Arguit à paritate Auguſtinus, ſi enim inquit Eccleſiæ ſcripturam proponenti credimus, eidem eccleſiæ debemus credere ſcripturam explicanti, quare ab illa eccleſia debemus petere genuinum ſcripturæ ſenſum, à qua accepimus integrum ſcripturæ canonem, & quæ non errauit in tradenda, & proponenda ſcriptura, non debet dici errare in illa explicanda, & licet ſectari reijciant aliquos libros, hoc tamen ipſum quod habent de nouo Teſtamento v.g. acceperunt ab eccleſia Romana, a quo enim alio acceperunt quatuor Euangelia, vel Epiſtolas D. Pauli? atque adeo ſicut ſub aduentum ſectariorum, ſola Romana Eccleſia fuit infallibilis in proponenda doctrina à Chriſto reuelata, ita hodie, & ſemper fuit infallibilis regula proponens, & explicans eandem doctrinam.

ARTICVLVS V.

Qui dicit Romanam Eccleſiam erraſſe, dicit conſequenter Chriſtum reliquiſſe genus humanum ſine remedio ſalutis.

SVppono ex diſt. 1. & 2. ſic in vera, & viſibili Chriſti Eccleſia dari veram ſalutem, vt extra illam nulla ſit ſalus, aut vera Religio, proinde ad ſalutem requiri, vt quis ſit membrum eccleſiæ; cum autem non poſſit dari vera ſalus ſine fide vera, hinc vera fides non poteſt dari niſi in vera eccleſia, ſed hactenus probaui ſolam Romanam eſſe veram Chriſti eccleſiam, vel nullam talem dari in terris, ergo ſi permiſit Chriſtus, vt erraret Romana eccleſia, reliquit conſequenter humanum genus ſine remedio ſalutis, quod eſt blaſphemum aſſerere, & probo, nam ſine vera eccleſia, non poteſt dari vera ſalus, vera autem eccleſia non eſt, quæ errat, ergo ſi errauit Romana eccleſia, errauit ſimiliter totus terrarum Orbis, cum nulla alia fuerit eccleſia Chriſti, præter ſolam Romanam, ergo in iſto caſu non dabatur vera ſalus, aut religio in terris.

Hinc arguit, & idipſum exaggerat Tertull. lib. de præſcriptionibus cap. 28. Age *nunc omnes errauerint* (Eccleſiæ) *deceptus ſit & Apoſtolus de teſtimonio reddendo quibuſdam, nullam reſpexerit Spiritus Sanctus, vti eam in veritatem deduceret, ad hoc miſſus à Chriſto, ad hoc poſtulatus de Patre, vt eſſet Doctor veritatis, neglexerit officium Dei villicus, Chriſti Vicarius, ſinens Eccleſias aliter interim intelligere, aliter credere, quam ipſe per Apoſtolos prædicabat, acquid veriſimile eſt, vt tot, ac tantæ in vnam fidem errauerint, cæterum quod apud multos vnum inuenitur, non eſt erratum, ſed traditum, audeat ergo aliquis dicere, illos erraſſe, qui tradiderunt.* Vult Tertullianus impoſſibile eſſe, quod omnes eccleſiæ

in vna communicantes fide, & vniuerſalem conſtantes eccleſiam errauerint, vult impoſſibile eſſe, quod Spiritus Sanctus negligeret officium ſuum, deſereret Eccleſiam, illam permitteret docere aliter, ac docuere Apoſtoli, ergo cum hæc ſola ſit Romana eccleſia, ſi ipſa errauit, etiam cũ ipſa errauit totus Orbis & remanſit genus humanum ſine remedio ſalutis.

Quod idem proſequendo probat Tertull, ibid. cap. 29. inferens ex inſania hæreticorum, paradoxa plane incredibilia, ait ergo. *Quoquomodo ſit erratum, tam diù vtique regnauit error, quamdiù hæreſes non erant, aliquos Marcionitas, & Valentinianos* (addamus Lutheranos & Caluiniſtas:) *liberanda veritas expectabat? interea perperam euangelizabatur, perperam credebatur, tot millia millium perperam tincta, tot opera fidei perperam adminiſtrata, tot virtutes, tot cariſmata perperam operata, tot ſacerdotia, tot miniſteria perperam functa, tot denique martyria perperam coronata: aut ſi nec perperam, nec in vacuum, quale eſt, vt ante res Dei currerent, quam cuius Dei notum eſſet? ante Chriſtiani, quam Chriſtus inuentus? ante hæreſes, quam vera doctrina? ſed enim in omnibus veritas, imaginem antecedit, poſtremo ſimilitudo ſuccedit.* Hæc Tertullianus neruoſiſſimè pro infallibilitate eccleſiæ recolligit contra mendacia hæreticorum.

Sed in nulla hominum collectione hæc à Tertulliano recenſita fiebant, niſi in illa ſola quæ communionem habebat cum Romana eccleſia, aut dicant ſectarij, in qua alia hominum multitudine fierent, certè aliam præter Romanam aſſignare nequeunt, vt ſæpius probaui, vndè efficaciſſimum illud Tertulliani argumentum ad hoc dilemma reduco.

Dato, & non conceſſo, quod defecerit, & errauerit eccleſia Romana ſic inſto; vel omnia ſuperius enumerata fruſtra, erroneè, & perperam fiebant generaliter per totam Chriſtiani nominis extenſionem, vel non ſi fruſtra, cum tamen fierent gene-

ratim vbique, qua latè patebat Chriſtianitas, ergo in omnibus illis actionibus errabat eccleſia, dum tot baptizarentur, dum publica fidei confeſſio fieret, dum martyres paterentur; ergo ſpiritus veritatis neglexit officium ſuum, ſinens eccleſiam aliter credere, aliter intelligere, quam ipſe per Apoſtolos prædicabat, ſi non fruſtra fiebant iſta, & adhuc tamen errauit eccleſia, ergo res Dei currebant antequam notus eſſet Deus, ergo Chriſtiana fiebant opera, antequam inuentus eſſet Chriſtus; ergo bona, quæ in vera fiunt eccleſia, iam fiebant, antequam nota eſſet ipſa eccleſia, ergo cum omnes iſti, qui hæc omnia bona exercebant, fuerint extra eccleſiam, vel in eccleſia erronea, & perdita, vt volunt ſectarij, erant hæretici, ergo prius regnauit hæreſis in eccleſia, quam vera doctrina, cum tamen veritas præcedat falſitatem, ſana doctrina hæreſim.

Hæc omnia paradoxa admittere neceſſario debent, qui dicunt Romanam eccleſiam erraſſe, primo quod Spiritus Sanctus neglexerit officium ſuum. Secundo, quod Chriſtus reliquerit genus humanum ſine remedio ſalutis. Tertio, quod omnes actiones quantumuis bonæ, vt collatio baptiſmi, adminiſtratio Sacramentorum, publica profeſſio fidei, &c. perperam interim facta fuerint in terris. Quarto, ſi hęc omnia fuerunt bona, ſequitur tamen bona opera fuiſse facta ignoto Deo, ignoto Chriſto, ignota eccleſia, ergo ſequitur, vel ſolam Romanam ſemper habuiſse infallibilitatis priuilegium, vel ſi iſto priuilegio aliquando caruit, nullam tunc fuiſse veram Chriſti eccleſiam: ſic ſectarij blaſphemant contra Chriſtum promittentem perpetuam eccleſię durationem, & infallibilitatem, blaſphemant contra Deum, quaſi non ſemper prouiderit humano generi media ſalutis.

Vt merito exclamet Auguſtinus concione 2. ſub B. tom. 8. *Exiſtunt qui dicant illa Eccleſia, quæ fuit omnium gentium, iam non eſt, perijt, hoc dicunt, qui in*

in

in illa non ſunt, ò impudentem vocem, illa non eſt; quia tu in ea non es? vide, ne tu ideo non ſis, nam illa erit, & ſi tu non ſis, hanc vocem abominabilem, & deteſtabilem præſumptionis, & falſitatis plenam, nulla veritate ſuffultam, nulla ſapientia illuminatam, nullo ſale conditam, vanam, temerariam, præcipitem, perniciosam præuidit Spiritus Dei, quoniam quidam dicturi erant contra, fuit, non eſt. Præuidit ſpiritus Chriſti toties promittens inconcuſſam eccleſiæ ſtabilitatem, præuidit D. Paulus dicens, eſse firmamentum veritatis, nunc perpendat, qui volet, quibus potius credendum, an Chriſto Domino promittenti, Apoſtolo Paulo confirmanti, & Auguſtino ex ijſdem probanti hanc infallibilitatem? an ſectarijs negantibus, nos interim tutiſſime credimus Chriſto, & Apoſtolo eccleſiam non erraſſe, & hanc ſolam eſſe Romanam, cum nulla alia aſſignari poſſit, cui hæc prærogatiua conueniat.

QVÆSTIO IV.

Romana Eccleſia eſt Apoſtolica, & conſequenter ex hoc Capite vera Chriſti Eccleſia.

VEram Chriſti eccleſiam debere eſſe Apoſtolicam, ideſt, non ſolum ab Apoſtolis fundatam, ſed hæreditaria etiam ſucceſſione Apoſtolorum doctrinam poſſidentem, probaui diſtinctione de notis Eccleſiæ.

ARTICVLVS I.

Romana Eccleſia fundationem, & doctrinam ab Apoſtolis acceptam, ſemper retinet.

ILla eſt Apoſtolica eccleſia, quam ipſi fundarunt Apoſtoli, *Vt bonus Artifex*. Inquit Apoſtolus 1. ad Corint. 3. *Fundamentum ieci, alius autem ſuper ædifica-*

dificauit, Quomodo Aſianam Ioannes, Perſicam, Simon & Iudas Indicam Thomas, & Bartholomęus, Æthiopicam Mathæus, Achaicam Andreas, ſic Romanam fundauit Petrus, vtpote qui Romæ fuit, vt colligitur ex prima eius epiſtola cap. 5. *Salutat vos Eccleſia, quæ eſt Babylone coelecta*; Partim placet, partim diſplicet ſectarijs hic locus, placet, vt Romanam eccleſiam facilius calumniarentur, diſplicet, ne hinc inferretur Petrum Romæ fuiſſe, Romam tamen hic intelligi aſſerunt Papias Diſcipulus S. Ioannis Euangeliſtæ, apud Euſebium lib. 2. cap. 14. Hieronymus in Iſaiam cap. 24. Tertullianus contra Marcion, multis de cauſis vtitur D. Petrus hoc nomine, primo, quia tunc Roma velut altera Babylon erat confuſio Idolorum, & vitiorum. Secundo, quia in Imperio ſucceſſit Babyloni Aſsyriæ. Tertio, quia fuit illi ſimilis in magnificentia, & amplitudine. Quarto, quia tunc Roma fuit ebria ſanguine Chriſtianorum, quos perſequebatur, vt olim Babylon perſequebatur fideles Hebræos. Quinto, quia voluit D. Petrus vti potius hoc nomine, quam proprio, ne ſi eius epiſtola incideret in manus Cæſaris intelligeret tunc ibi multos fuiſse Chriſtianos, volunt ſectarij intelligi hic Babylonem Aſſyriæ, ſed inde tunc Cæſar iuſſit expelli, omnes Hebræos, e quibus erat Petrus, alij dicunt eſse Babylonem Aegipti, ſed ſine vllo colore veritatis, & potius credendum Patribus in hoc, quam ſectarijs.

Habemus ergo, & D. Petrum fuiſse Romæ, & Romanam fundaſse eccleſiam, ſuperuenit Paulus Apoſtolus, ibidem prædicauit, Chriſtianos confirmauit, euangelium propagauit, nec curandum quod hic obganniant Hęretici negantes Petrum fuiſse Romę, negant Iudæi veniſse Meſſiam, quid inde ſequitur? tantumdem poſsumus ſectarijs per noſtras negationes rependere, negamus ò miniſtelli, ò vxorati Epiſcopi, veſtras vxores eſse legitimas, legitimos eſse veſtros filios filiaſque, quod ad hanc negationem

illi,

illi, idipſum ad eorum negatiuam retundimus; illa ergo eſt apoſtolica eccleſia, in cuius cathedra aliquando Apoſtoli ipſi conſederunt, quam fundarunt Apoſtolorum Principes, Petrus, & Paulus, idque tum propter dignitatem Apoſtolorum, tum propter præcipuum Chriſti Domini promiſsum Petro datum, *Rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua*. Paulo item; *elegi eum, vt ſit vas electionis*, tum etiam, quod alijs Eccleſijs ob varias hæreſes, vel ſciſmata deficientibus, hæc ſola perpetuo durare debuit, inde ſedes Apoſtolica peculiariter à veteribus dicta, ad illam aliæ eccleſiæ ſemper prouocarunt.

Hinc habetur, quod ſola Romana ſit, & ſemper fuerit Apoſtolica, aut nullam aliam eſse, vel fuiſſe talem, ſi enim ipſa primitiua eccleſia vſque ad ſextum ſæculum fuit Apoſtolica, ergo ita permanſit ſub initio, medio, & fine ſexti Sæculi; perſeuerans ſemper in doctrina Apoſtolorum, & ita conſequenter cum manſerit eadem continua Pontificum, & epiſcoporum ſucceſſio, à ſexto, ad decimum ſextum ſæculum, ſicut à primo ad ſextum, certe ſi ſex primis ſæculis fuit Apoſtolica, ita etiam fuit reliquo temporis fluxu, ſed iam oſtendi nullam aliam in terris continuaſse hanc ſucceſſionem, præter ſolam Romanam, ergo vel illa ſola, vel nulla in terris fuit, aut eſt Apoſtolica eccleſia, minor patet ab enumeratione partium, facta diſtinctione præcedenti, & etiam quæſt. præced.

Vnde iterum, vt ibi vrgeo, dicant ſectarij quo anno? ſub quo Pontifice, vel concilio œcumenico? vbinam gentium eccleſia ſexti, vel ſeptimi ſæculi à priori ſe eccleſia ſeiunxit? in quibus articulis diſsenſit ab illa eccleſia? vbi vllius controuerſiæ inter eccleſias auditus tunc clamor? à qua eccleſia, & ad quam eccleſiam defecit? quænam eccleſia illam condemnauit? Vbi manſit prior eccleſia, & vbi poſterior ab illa ſeparata? nam dum ſeparatur membrum

à cor-

à corpore, manet corpus, nunc peto vbi manſit corpus eccleſiæ Chriſti, illius inquam eccleſiæ perpetuo viſibilis, conſpicuæ, & notæ orbi terrarum, quæ nunquam potuit deficere, nec errare, nec perire; non apud prædamnatas ſectas, Arianos, Neſtorianos &c. non apud ſectarios modernos, fuit tamen ſemper eccleſia viſibilis, vel fefellit Chriſtus, Chriſtus non fefellit, ergo non defecit vna viſibilis, Catholica, & Apoſtolica eccleſia: vbi ergo ſecundarius ortus religionis Romanæ oſtendi poteſt, à tempore Apoſtolorum vſque ad hodiernum diem? quando variauit Apoſtolicæ doctrinæ capita? quo ſæculo introduxit noua dogmata, contra ea, quæ primitus tenuit? nunquam aſſignabunt.

Iterum inſto. Chriſtus, & Apoſtoli fuerunt Catholici, & docuerunt religionem veram, vel ergo hodie in Mundo non dantur, qui Apoſtolicam profiteantur doctrinam, vel ſi dantur, dabitur a Chriſto, & Apoſtolis ad ipſos, doctrinæ non interrupta ſucceſſio: ſed hæc apud ſectarios non datur, vt ſæpius probaui diſt. præced. & 1. p. atqui in ſola Romana eccleſia, vt oſtendam diſtinct. ſequenti fuſius, datur doctrinæ non interrupta ſucceſſio, ergo vel ſola Romana, vel nulla in Terris eſt Apoſtolica Eccleſia: minor patet, tum quia nullus Romanus Pontifex datur, qui doctrinam nouam fidei, ab antiquioribus, aut Coætaneis condemnatam in orbem Chriſtianam intulerit, tum vlterius patebit ex diſtinct. ſeq.

Si dicas Huſſitas, VVicleſiſtas. Etc. reclamaſse continuo contra eccleſiam Romanam. Contra primo, quia diſtinct. præced. oſtendi, apud iſtos non fuiſse veram eccleſiam. Contra 2. ſic Ariani, Manichæi, &c. reclamarunt contra primitiuam Eccleſiam, ergone idcirco fuerunt membra veræ Eccleſiæ? item antiqui Patres primitiuam eccleſiam ex continua Epiſcoporum, & doctrinæ ſucceſſione, & hæreticorum nouitate probarunt, ſed in Eccleſia Roma-

mana eadem hodie ſucceſſio, & hæreticorum nouitas oſtenditur, ergo vel ſola Romana, vel nulla in terris erit Apoſtolica eccleſia.

ARTICVLVS II.

Continua Romanorum Pontificum ſucceſſio oſtendit Romanam Eccleſiam eſſe Apoſtolicam.

TEnet me, Inquit D.Aug. contra Epiſt. fund. cap. 4. *Iuſtiſſime in Eccleſiæ gremio ab ipſa ſede Petri Apoſtoli, cui paſcendas oues ſuas poſt reſurrectionem Dominus commendauit, vſq; ad præſentem Epiſcopatũ, ſucceſſio ſacerdotum*. Proinde hunc Romanorum Pontificum ordinem texit Epiſt. 165. vbi ait: *Si ordo Epiſcoporum ſibi ſuccedentium conſiderandus eſt, quanto certius, & vere ſalubriter ab ipſo Petro numeramus? Petro enim ſucceſſit Linus, Lino Cletus, Cleto, Clemens, Clementi, Anacletus, Anacleto Euariſtus, Euariſto, Alexander, Alexandro Sixtus, & ibidem* Pergit vſque ad Anaſtaſium, qui fuit Pontifex tempore ipſius D.Auguſtini, ante Auguſtinum Irænæus lib.3. cap.3. Succeſſionem Romanorum Pontificum à S.Petro, vſque ad Eleutherium enumerat, dicens; per hanc ſucceſsionem hæreticos omnes confundi, poſtea D. Hieronymus in chronico eandem ſucceſſionem, vſque ad ſua tempora produxit, vrgens vt hæretici ſuam pariter ſucceſsionem oſtendant, & vrget Optatus Mileuitanus lib. 2. contra Parmenianũ: *Veſtræ Cathedræ originem oſtendite, qui vobis vultis Sanctam Eccleſiam vendicare*. Nos ex ſcriptura, & Patribus hanc originem in eccleſia noſtra oſtendimus, & continuam Romanorum Pontificum ſeriem ab Anaſtaſio apud D.Aug. numerato producimus, vſque ad *Clementem Decimum*, Qui hodie fœliciter regit, & moderatur D.Petri Cathedram, hanc ſeriem qui voluerit, videbit apud Bellarminum, Coccium, Stapletonium, & alios.

In

In hoc ordine ſucceſſionis, vt cum Aug. loc. cit. loquar, nullus inuenitur Arianus, nullus Manichæus, nullus de Neſtorij fæce, nullus VViclefiſta, VValdenſis, Huſſita, Lutheranus, Caluiniſta, ideo à prophana vocum nouitate cauit ſemper Romana Eccleſia, ex hac ſucceſſione cum Sanctis Patribus infero, ſolam Romanam Apoſtolicam eſſe, aut nullam in terris Apoſtolicam inueniri: vnde, vel primorum Patrum argumenta, de ſucceſſione Pontificum aliquid aduerſus primos illos hæreticos concludunt, vel non? ſi aliquid, vtique contra modernos ſectarios æque concludunt, quidquid enim ipſi pro ſe in hac parte dixerint, idem pro ſe allegabunt Ariani, Manichæi, Donatiſtæ: ſi non concludunt, tunc non ſe tantum, ſed primos hæreſiarchas defendunt.

In Eccleſia vero ſectariorum continua Epiſcoporum ſeries ſibi inuicem ſuccedentium oſtendi non poteſt, nam vbi ad Lutherum, & Caluinum aſcendiſti, illico tibi ſeries defecit, non enim ſe poſſunt extendere ad Græcos, aut alias prædamnatas ſectas, vt vidimus diſt. præced. nec miſſionem, Apoſtolatum, aut ordinationem vllam legitimam prætendere, vt ibidem oſtendi; hinc cum de hac ſucceſſione deſperent, recurrunt ad nubes, & nebulas, ad Eccleſiam inuiſibilem, in ſpatijs imaginarijs latitantem, vt inde eam tenebricoſi veſpillones reducant, ſed in vanum laborauerunt.

Quomodo ergo ſe oſtendent Apoſtolicos eſſe, quibus deeſt Apoſtolicæ doctrinæ, & Epiſcoporum ſucceſſio, ſtat enim ſemper hæc inconcuſſa veritas, Eccleſiam nunquam defeciſſe, vel erraſſe, ſemper ſtetiſſe viſibilem, doctrinam Apoſtolicam de manu in manum ſemper deſcendiſſe, hos canales ſectarij in ſua doctrina oſtendere nequeunt, nec vllum ſibi ſperent à ſcriptura refugium, quam omnes prædamnatæ ſectæ ſibi fauere prætendebant, ſectarijs autem in Articulis controuerſis minime ſuffragari

vidi-

vidimus prima parte diſtinct. prima.

Si dicant apud ſciſmaticos Græcos haberi ſucceſſionem Epiſcoporum, licet apud eos negemus dari veram Eccleſiam. Reſpondeo, vt ſit vera Eccleſia non ſufficere, vt habeat vnam tantum notam ex quatuor in ſymbolo aſſignatis, ſed debere habere alias omnes, quæ ſimul ſumptæ, omni, & ſoli, & ſemper conuenientes demonſtrant veram Eccleſiam, deinde particulares illi Patriarchæ, & Epiſcopi diuerſis vicibus errarunt, ſæpius enim errauit ſedes Conſtantinopolitana, ſæpius Antiochena, Ieroſolymitana, Alexandrina, vt quæſtione præcedenti inſinuaui, primam ſedem, & Concilia generalia oppugnarunt, vt patet ex traditione, & Concilijs primitiuæ Eccleſiæ: ſed nunquam hoc oſtendi poteſt in Eccleſia Romana eueniſſe, ſi enim ſic eueniſſet, ſemper quæram, vbi interim fuit vera viſibilis, & infallibilis Chriſti Eccleſia, ſi quando ab Apoſtolica ſucceſſione defecit Romana? hoc nunquam oſtendent, quare manifeſte ſequitur omnes Eccleſiæ notas in ſola Romana haberi, vel in primitiua Eccleſia nunquam inuentas fuiſſe, ac proinde infertur, ſolam Romanam eſſe, vel nullā in terris dari vnam, Sanctam, Catholicam, & Apoſtolicam Eccleſiam, hinc ſit.

QVÆSTIO V.

De Romani Pontificis primatu.

ARTICVLVS I.

Romanus Pontifex eſt Vicarius Chriſti, & D. Petri in regimine vniuerſalis Eccleſiæ, Legitimus ſucceſſor.

EX Epiſtola D. Petri conſtat eum fuiſſe Romæ, ibi vixiſſe, martyrium toleraſſe, aſſerunt Pamens,

tres , Græci , & Latini : Irenæus lib. 3. cap. 3. Origenes lib.3.in Geneſim Cyrillus Ieroſolymitanus Catecheſi.6.Athanaſ.in Apolog.de ſua fuga, Ambroſius lib.3.de Sacramentis cap. 1. Auguſtinus contra epiſt.Petiliani lib.2.cap 51. Quibus ſane credendum potius , quam ſectarijs ſine fundamento id negantibus, nam ſi non Romæ, vbi quæſo mortuus eſt. D. Petrus ? quo loco, regione, vel oppido hæret hic ipſis aqua.

Vnde ſic argumentor, D. Petrus fuit viſibile Caput eccleſiæ , ſed Romanus Pontifex eſt legitimus ſucceſſor D.Petri: ergo Romanus Pontifex eſt viſibile caput eccleſiæ Chriſti : maior eſt de fide ex diſtinctione ſexta fuſe . Minor probatur multipliciter 1. quia eadem diſtinctione oſtendi , hanc dignitatem eſſe perpetuam in eccleſia? & proinde in aliquo debet reſidere , ſed in nullo alio , quam in Romano Pontifice , non enim reſidet in Epiſcopo Antiocheno , cum eccleſia illa non habeat omnes notas veræ eccleſiæ , licet enim fuerit ab Apoſtolo Petro fundata , & quoad hoc poſſit dici Apoſtolica , tamen non eſt illa vna ſancta , Catholica , quæ per omnia tempora, & loca diffunditur , non enim habet continuam durationem , cum ſæpius defecerit à fide , eo præſertim tempore , quo in eo ſedit Paulus Samoſatenus , & alij Monothelitæ Patriarchæ ſederunt , neque locorum item diffuſionem habet , quis enim in Gallia , Hiſpania , Anglia, Hibernia,Scotia, India cum Antiochena eccleſia habet communionem?non reſidet item in Conſtantinopolitano, Ieroſolymitano , aut Alexandrino Patriarcha ob eaſdem rationes , non apud ſectarios , apud quos nullum caput, nulla vnitas , nullus ordo ; ergo cum detur in mundo caput viſibile veræ eccleſiæ, erit ſolus Romanus Pontifex.

Probatur ſecundo,hæc dignitas fuit in primitiua eccleſia , ergo hæc dignitas manſit ſemper in eccleſia Chriſti , antecedens patet ex dictis , conſequen-

quentia probatur, ſtatus Eccleſiæ continuo, & indefectibiliter permanſit, & permanet, ſed hæc dignitas eſt de ſubſtantia Eccleſiæ, vt diſtinct. 6. oſtendi, ergo hæc dignitas manſit ſemper in Eccleſia, non in alio, quam in Romano Pontifice, vt artic. ſeq. probabo, & fuſius quæſt. ſeq. ergo Romanus Pontifex eſt legitimus D. Petri ſucceſſor. Probatur 3. Eccleſia Chriſti eſt regnum, vt probaui diſtin. 6. cit. ergo ſicut hoc regnum habuit caput viſibile tempore Apoſtolorum, ita deinceps debet habere, cum eadem Eccleſia in generationibus, & ſæculis ſibi ſuccedentibus perſeueret. Probatur 4. Vel monarchicum hoc regimen fuit datum Eccleſiæ primitiuæ in pœnam, vel in ſpecialem fauorem, vel tanquam forma recti regiminis. Non in pœnam, cum in illa eccleſia non fuerit tanta culpa, quæ talem pœnam mereretur, ſi in fauorem, cur hoc fauore priuaretur eccleſia Chriſti, quæ eadem ſemper durat? ſi tanquam debita forma recti regiminis, cur etiam non debeat ſemper in eccleſia durare, cum non poſſit aſſignari ratio, cur Chriſtus eam ordinaret pro certo tantum tempore, ac non pro omni, ſi ergo fuit illa regendi forma neceſſaria in primitiua Eccleſia, vbi mores erant optimi, cur non etiam deinceps, & nunc etiam, *Vt Capite conſtituto ſciſmatis tollatur occaſio*, Vt ait D. Hieronymus. Quæ per oppoſitam vnitatem ab vno viſibili capite manantem facile euitatur: ergo ſi nunquam defecit eccleſia, nunquam defecit vniformis regendi modus ab eccleſia: ſed in primitiua modus regendi fuit Monarchicus; ergo, & deinceps.

ARTICVLVS II.

Primatus Romani Pontificis probatur ex infallibilitate Conciliorum.

VTi eccleſiæ, ſic Conciliorum Generalium infallibilitatem probaui diſtinct. 3. Vnde ſic vrgeo; Concilia Oecumenica totam eccleſiam repræſentantia declararunt Romanum Pontificem eſſe Vicarium Chriſti, & D. Petri Succeſſorem, ergo ſicut Concilia ſunt infallibilia, ita certum, & infallibile eſt Romanum Pontificem eſſe Vicarium Chriſti? antecedens probatur ex tribus generalibus Concilijs habitis primis quingentis annis, & ab Aduerſarijs, tanquam Oecumenicis admiſſis ſcilicet Nicæno, Epheſino, Calcedonenſi, ac primo ex Concilio Calcedonenſi actione 16. his verbis: *Trecentorum decem, & octo Patrum Canon ſextus, quod Eccleſia Romana ſemper habuit primatum.* Vbi nota Concilium ibi non conferre hunc primatum, ſed profiteri, quod eum ſemper habuerit Romana eccleſia, quo Canone lecto in eodem Concilio, eadem actione, *Iudices dixerunt ex his, quæ geſta ſunt, & ab vnoquoque depoſita perpendimus omnem quidem primatum, et honorem præcipuum ſecundum Canones antiquæ Romæ Dei amantiſſimo Archiepiſcopo conſeruari.* Nota verba *Omnem primatum, & præcipuum honorem,* Item in canonibus Concilij Nicæni primi, ex Arabico tráſlatis can. 39. ſic habetur, *Ille, qui tenet ſedem Romæ, Caput, & Princeps eſt omnium Patriarcharum, quandoquidem ipſe eſt primus, ſicut Petrus &c.*

In Concilio Epheſino, Oecumenico, ſecunda par. actione 3. *Philippus Presbyter dixit, nulli dubium eſt, imo omnibus ſæculis notũ eſt, quod Sanctus, Beatiſſimuſq; Petrus Apoſtolorum caput, fideique columna, & Eccleſiæ Catholicæ fundamentũ, à Domino noſtro Ieſu Chriſto claues Regni cœlorum accepit, qui ad hoc vſq; tem-*

tempus, & ſemper in ſucceſſoribus viuit, & iudicium exercet, huius itaq; ſecundum ordinem ſucceſſor, et locũ tenens ſanctus, beatiſſimuſq; Papa noſter, Cœleſtinus Epiſcopus, idem Concilium ad Cœleſtinum ſic ſcribit *qui a tua ſanctitate miſſi fuerunt videlicet pientiſſimi Epiſcopi Arcadius, & Proceſſus, qui ſua præſentia, tuã nobis præſentiam exhibuerũt Apoſtolicæ ſedis locũ tenuerũt*, & infra, *quæ à tua pietate de ipſis*, ſcilicet (Pelagianis? & alijs hęreticis) *Decreta, & conſtituta ſunt, iudicauimus, et nos ea ſolida firmaq; permanere debere*

Item Concilium Calcedonenſe actione 16. ad Leonem primum ſic, *Rogamus igitur tuis decretis noſtrum honora iudicium, et ſicut nos capiti* (nota bene) *in bonis adiecimus conſonantiam, ſic & humanitas tua filijs, quod decet adimpleat*; & act. 3. ſæpius idem Leo vocatur, *vniuerſalis Eccleſiæ Paſtor*. Nunc antequã vlterius pergo reflecte quicumque animæ tuæ curam habes, an in præſenti difficultate deceat potius credere Caluino, Luthero, & alijs eiuſmodi negantibus primatum Romani Pontificis, an vero his Oecumenicis Concilijs, & ab ipſis Aduerſ. admiſſis hunc primatum aſſerentibus, ſi primis, dic quare? cur non potius primitiuæ eccleſiæ?

Nunc ſic arguo, vel tria memorata concilia in hac ſua declaratione errarunt, vel non? ſi non, ergo quam certum eſt concilia in ſuis definitionibus eſſe infallibilia, tam certum eſt Romanum Pontificem iuxta eorumdem conciliorum mentem, eſſe Vicarium Chriſti, & Petri in regimine vniuerſalis eccleſiæ ſucceſſorem: ſi errarunt, ergo nullum vnquam concilium fuit legitimum, Oecumenicum, aut infallibile, ergo definitiones eorumdem conciliorum contra Arianos, Neſtorianos, non ſunt certæ, aut infallibiles, ergo incertum eſt an dogmata, quæ à prædictis hæreticis, contra myſteria fidei tenebantur ab ijſdem concilijs damnata; fuerint hæretica, aut legitime reprobata: ergo fefellit Chriſtus in ſua promiſſione, ergo ipſius, & Spiritus Sancti aſſiſtẽtia

defuit eccleſiæ concilijs, contra ea, quæ dixi diſt. 3. vbi probaui ex euangelio, & promiſſione Chriſti concilia eſſe infallibilia.

Si dicas myſteria Trinitatis, & Incarnationis, contra quæ inſurrexerunt illi hæretici, eſſe de fide, & haberi in ſcriptura, adeoque in ijs declarandis non potuiſſe errare concilia, ſecus vero eſse de primatu capitis viſibilis, contra, etiam capitis viſibilis authoritas, habetur expreſſe promiſsa Matthæi 16. verſ. 19. *tibi dabo claues Regni Cœlorum*, Habetur collata Ioan. 21. verſ. 15. *Paſce agnos meos*, ſecundo *paſce agnos meos* tertio *paſce oues meas*, habetur exercita in actibus Apoſtolorum: cap. 1. 2. & 3. & deinceps ſæpius, ergo cum quidquid eſt in ſcriptura ſit de fide, cumque hæc authoritas capitis viſibilis habeatur etiam in ſcriptura, tam erit de fide, quam alia myſteria in ſcriptura reuelata, ergo ſicut concilia prædicta in præfatis declarandis non errarunt, ita neque in hac declaratione errarunt.

Probatur vltimo vera, & viſibilis Chriſti eccleſia non potuit vnquam errare in doctrina fidei, & morum: atqui ſola Romana eſt vera, & viſibilis Chriſti eccleſia: ſubſumo, ſed Romana Eccleſia ſemper ab initio tenuit, & tenet tanquam articulum fidei, Romanum Pontificem eſse Vicarium Chriſti, omnium Chriſti fideliũ viſibile caput: ergo ex eo quod eadem Romana eccleſia ſola ſit, & ſemper fuerit vera Chriſti eccleſia; quæ nunquam errauit, impoſſibile eſt quod in hoc ipſo articulo errauerit, aut erret, ergo ſi nunquam potuit Chriſti eccleſia errare, nunquam ſimiliter in aſserendo Romani Pontificis primatu errauit, aut errat, ergo ſimiliter ſicut ſtat immutabilis, indefectibilis, & infallibilis Chriſti eccleſia, perpetuo viſibiliter perſeuerans, ita ſtat hunc primatum, non potuiſse introduci niſi eſset ex ordinatione Chriſti, prout eſse teſtantur prædicta concilia, quæ in hoc nec fallere, nec falli poterant.

ARTICVLVS III.

Præcluduntur effugia ſectariorum, & oſtenditur quomodo ſit de fide Romanam eſſe veram Chriſti eccleſiam, & hunc primatum eſſe etiam de fide.

OPponunt ſectarij nonnulli, de hoc primatu nō haberi mentionem in ſcriptura, quare licet concederetur Petro datum eſse ex iſto loco, *paſce agnos meos, paſce oues meas,* non ſequitur tamen hoc dictum eſse de Romanis Pontificibus, atque adeo non eſse certum eos eſse ſucceſsores D. Petri, cum de hoc non habeatur noua reuelatio, contra, ſi ad omnia, quæ tenemus de fide requireretur noua reuelatio, ſequeretur non eſse de fide dari hodie in mundo veram Chriſti eccleſiam, quia de hac non fit quotidie noua reuelatio: hinc quando Chriſtus miſit Apoſtolos, *euntes docete omnes gentes, baptizantes eos.* non dixit hoc vobis, & ſucceſsoribus veſtris ordino, eccleſia tamen prædicat, docet, & baptizat, idque legitime, vnde ſicut commiſsio data Apoſtolis non fuit extincta cum ipſis, ſed extenſa ad eorum poſteros, & ſucceſsores, ita inſtitutio facta in Petro, non fuit extincta cum ipſo Petro, ſed extenſa ad ſucceſsores.

Hinc oſtendo quomodo ſine noua reuelatione, ſit de fide, & Romanam eccleſiam eſse veram Chriſti eccleſiam, & Romanum Pontificem eſse Vicarium Chriſti, quod ſic declaro, de fide eſt dari hodie in mundo veram Chriſti eccleſiam, de qua tamen non habemus nouam reuelationem, ſed quando Chriſtus reuelauit, & per Apoſtolos docuit eam eſse veram eccleſiam, quæ euidentibus credibilitatis ſignis, viſibilis, & credibilis pro diuerſitate temporum conſpicitur, in hac reuelatione incluſit illam, quæ hodie in mundo eſt eccleſiam, vnde antiqua illa reuelatio de eccleſia facta nobis, quotidie proponi-

tur, & applicatur, per notas, & ſigna credibilitatis denotantia eccleſiam, qualia ſigna iam recenſui, & oſtendi conueniſse ſoli eccleſiæ Rom. ſic etiam in reuelatione facta olim de Petro, & eius authoritate, includuntur ſinguli Pontifices ſucceſſiue exiſtentes, & futuri, nobiſque præfata reuelatio proponitur, & applicatur per communem eccleſiæ conſenſionem, & teſtificationem.

Et huius rei multa ſuppetunt exempla, & primo de fide eſt ex multis ſcripturę locis, pręſertim Io: 3.11. & 12. omnem hominem teneri credere in Chriſtum: item debere obſeruare mandata: ad aſserendum autem etiam de fide Titium, Caium, Andream, ad id teneri non requiritur noua reuelatio, ſed ſufficit noua applicatio repræſentando ſibi Titium, vel Andream eſse homines, adeoque debere credere in Chriſtum, obſeruare mandata, cum ſint indiuidua incluſa in vniuerſali reuelata, tanquam partes in ſuo toto, & huiuſmodi applicatio fit per ſigna aliqua externa, ſic Apoſtoli, & gentes crediderunt Chriſtum eſſe Meſsiam primo, & intrinſece per reuelationem iam factam de Meſsia in ſcriptura, 2. & extrinſece per ſigna, quæ eandem reuelationem applicabant, v.g. miracula, & alia huiuſmodi, *quia vidiſti me Thoma credidiſti.* quæ viſio, vtpote naturalis, non fuit motiuum intrinſecum fidei, ſed tantum extrinſecum, & conditio, ſine qua non.

Sicut ergo Titius, Caius, Andreas includuntur ſine noua reuelatione in illis vniuerſalibus, *omnis homo debet credere in Chriſtum, debet obſeruare mandata,* ſic ſine ſpeciali reuelatione, in perſona Petri includuntur ſinguli ſucceſsiue Pontifices, ſicut in perſona ſingulari Aaraonis conſecrati in Pontificem, & caput ſynagogæ, includebantur ſinguli ſucceſsiue futuri Pontifices, vſque ad tempora Chriſti, & ſicut in ſynagoga non requirebatur noua reuelatio ad credendum hunc vel illum pro temporum diuerſitate fuiſſe verum Pontificem, ſed tantum ſufficiebat noua

appli-

applicatio per ſynagogæ teſtificationem, & conſenſionem facta, ſimiliter in eccleſia Chriſti ſufficit antiqua reuelatio de nouo applicata de hoc, vel illo Pontifice, vnde ſicut de fide eſt primitiuam eccleſiam gubernatam fuiſſe à capite viſibili, ita de fide eſt hodie eandem eccleſiam Chriſti regi etiam à capite viſibili, & hoc caput eſſe Romanum Pontificem incluſum in prima reuelatione, nobis per eccleſiæ teſtificationem, & conſenſionem applicata, ſicut concilium Epheſinum, & Calcedonenſe ſuo tempore teſtificabantur, cum proprio nomine indigitabant Romanos Pontifices, ſcilicet, Cœleſtinum, & Leonem, in qua re illa concilia non poterant errare.

Dices rem hanc pendere à Teſtimonio humano paucorum hominum, proinde eſſe contingentem. Reſpondeo veritatem hanc ita pendere à teſtimonio humano, ſicut fides pendet a proponente, dices alij Patriarchæ prætenderent ſic ſe etiam includi in perſona D. Petri; dico oppoſitum conſtare ex concilijs œcumenicis dantibus hanc prærogatiuam Romano Pontifici, rationes pro hoc primatu vide diſt. 6.

QVÆSTIO VI.

Perpetuam Romanæ Eccleſiæ durationem, Romanique Pontifices authoritatem aſſerit omne genus Teſtiũ.

ARTICVLVS I.

Aſſerunt Patres Græci.

IGnatius anno 100. in inſcriptione Epiſtolę ad Romanos. *Ignatius eccleſię ſanctificatę, quæ præſidet in loco regionis Romanorum.* Irenæus anno 180. lib. 3. cap. 3. *Sed quoniam valde longum eſt, in hoc tali volumine omnium eccleſiarum enumerare ſucceſſiones, maximæ, & antiquiſſimæ, & omnibus cognitæ à glorioſiſſimis duobus Apoſtolis, Petro, & Paulo, Romæ fundatæ,*

et conſtitutæ eccleſiæ,eam,quam habet ab Apoſtolis traditionem,& annuntiatam hominibus fidem, per ſucceſſiones Epiſcoporum peruenientem vſque ad nos indicantes, confundimus omnes eos,qui præter quam oportet,colligunt, ad hanc enim eccleſiam propter potentiorem principalitatem, neceſſe eſt omnem conuenire eccleſiam,hoc eſt,eos, qui ſunt vndique fideles.

Origines anno 230.teſte Euſebio lib.6.cap.127. *Zepherino ijſdem temporibus Romanam eccleſiam gubernante, ſcribit ſe propterea Romam iter ſuſcepiſſe, quod ſibi admodum erat in optatis eccleſiam Romanam plane antiquiſſimam viſere.* Athanaſius anno 340. Epiſtola ad Marcum Papam. *Domino Sancto,& Apoſtolici culminis venerando,Marco Sanctæ Romanæ,& Apoſtolicæ ſedis,atque vniuerſalis eccleſiæ Papæ Athanaſius, & vniuerſi Ægyptiorum Epiſcopi ſalutem optamus, vt a veſtræ ſanctæ ſedis eccleſiæ authoritate, quæ eſt Mater,& caput omnium eccleſiarum,*&c. Baſilius Magnus anno 370. Epiſtola 52. ad Athanaſium: *Viſum autem eſt mihi conſentaneum,vt ſcribatur Epiſcopo Romano,vt quæ hic geruntur conſideret.*

Ioannes Chryſoſtomus anno 400, Epiſt. ad Innocentium Papam,*obſecro vt ſcribas, quod hæc tam inique facta non habeant robur:*infra *nos autem inſontes iubete eccleſijs noſtris reſtitui*. Cyrillus Alexandrinus Epiſtola ad Cœleſtinum Papã. *Quoniam verò Deus hiſce in rebus prudentiam a nobis exigit, longaque eccleſiarum conſuetudo ſuadet, vt iſtius modi ſanctitati tuæ communicentur,non poſſum equidem id quod apertum eſt ad pietatem tuam non perſcribere.* Socrates anno 440.eccleſiaſt.hiſt.lib.2.cap.5.*Nec Iulius RomanusEpiſcopus concilio adfuit,cum vtique eccleſiaſticus canon iubeãt,non oportere abſque Pontificis Romani ſententia,decreta eccleſiis ſancire.* Sozomenus eodem ſęculo lib.6. c.22. *quo facto ſinguli rebus ab eccleſia Romana Semel iudicatis acquieuerunt.*

Synodus Mopſueſtana anno 545. Epiſt.ad Vigilium Papam. *Decebat cum primam ſacerdotis digni-*

tatem ſortiti eſtis, ea, quæ ad Sanctarum eccleſiar um ſtatum reſpiciunt manifeſta veſtræ diutius bonoratæ beatitudini fieri. Synodus ſexta Conſtantinopolitana anno 650. act. 17. ſubſcriptiones. *Theodorus humilis Presbyter Sanctæ Romanæ Eccleſiæ locum gerens Agathonis ter Beatiſſimi vniuerſalis Papæ vrbis Romæ ſubſcripſi Georgius miſericordia Dei EpiſcopusCōſtantinopoleos nouæ Romæ definiens ſubſcripſi.* Concilium Nicænum ſecundum anno 709. actione 2. *eccleſia Romana eſt caput omnium eccleſiarum.* Conſtantinopolitana octaua generalis ſynodus anno 867. Canone 21. *Sed nec alium quemquam conſcriptiones cōtra ſanctiſſimum Papam ſenioris Romæ, ac verba complicare, vel componere liceat, Ego Donatus Epiſcopus Oſtienſis eccleſiæ, locumtenens Domini mei Adriani Pōtificis, & vniuerſalis Papæ manu propria ſubſcripſi; Ignatius Epiſcopus Conſtantinopolitanus ſubſcripſi.*

Simeon Metaphraſtes anno 950. vitæ Gregorij Agrigentini cap. 27. *Romam ire perrexerunt, rem vt moris eſt: Pontificis maximi arbitrio permiſſuri.* Prælati Græciæ anno 127. Epiſt. ad Gregorium decimum *Sanctiſſimo Reuerendiſſimo, Beatiſſimo perantiquæ Romæ Gregorio Magno Pontifici excellentiſſimæ ſedis, & venerabiliſſimo Domino, & Patri noſtræ humanitatis.*

Nicephorus Calixtus anno 1300. lib. 17. cap. 9. *Ioannes Papa ad parem inuitatus ſeſſionem, non prius Apoſtolicæ ſedis prærogatiuam deſerere ſuſtinuit, quam ſupra Epiphanium Epiſcopum Conſtantinopolitanum in throno collocaretur.* Armeniorum oratores anno 1439. in Concilio Florentino *nomine ſuo, & ſui Patriarchæ, & omnium Armeniorum quidquid tenet, ac docet S. ſedes Apoſtolica, & Romana eccleſia, cum omni deuotione, & obedientia ſuſcipiunt.* Ioſeph. Patriarcha Conſtantinop. in eod. Concilio ſeſſ. vlt. *Beatiſſimum autem Patrum Patrem, ac Summum Pontificem Romæque veteris Papam Domini noſtri Ieſu Chriſti Vicariū eſſe concedere, non inficior.* Petrus Patriarcha Maronitarum anno 1525. *gratias Deo reuerenter agimus ſub*

mundiſſimis pedibus Patris noſtri Sanctiſſimi Chriſti Vicarij, & Domini noſtri Leonis X. Gabriel Parriarcha Alexandrinus anno 1591. *in confeſſione fidei tenet, & confitetur ſanctam Apoſtolicam ſedem, & Romanum Pontificem in vniuerſum orbem habere primatum.*

Huc vſque ſingulis ſucceſſiue ſæculis eccleſiæ Græcæ Patres, ex ijs ipſis partibus, ex quibus in eccleſiam Romanam frequenter flebant inſultus, ſed magna vis veritatis hanc apud eos confeſſionem ſẽper obtinuit, ſufficiebat ſane Patres, qui primis quingentis annis extiterant citare cum enim ſteterit ſẽper inconcuſſa, & indefectibilis eccleſia, eaque tunc fuerit Romana, ſequitur eam, ſicut tunc non defecit, ita nec vnquam poſtea defeciſſe, pro pleniore tamen ſatisfactione, Teſtimonia omnium ſæculorum recenſere volui.

ARTICVLVS II.

Aſſerunt idem Patres latini.

TErtull. anno 200. lib. de præſcriptionib. c. 36. *ſi Italiæ adiaces habes Romam, vnde nobis quoque authoritas præſto eſt, ſtatu fœlix eccleſia cui totam doctrinam Apoſtoli cum ſanguine ſuo profuderunt.* Hæc ille adhuc Catholicus, poſtea hęreticus factus lib. de pudicitia ſcribens contra Romanum Pontificem, qui Mæchos, & adulteros poſt pœnitentiam abſoluebat cap. 1. ait, *audio edictum eſſe propoſitum, & quidem peremptoriũ, Pontifex ſcilicet maximus: Epiſcopus Epiſcoporum, ego, & Machiæ, & fornicationis delicta pœnitentia functis dimitto.* Vnde patet Pontificem Romanum tunc temporis maximum dici ſolitum, quem Tertullianus ob verum fidei dogma ridet.

Cyprianus anno 250. lib. 1. Epi. 3. vel alias 51. *poſt iſta adhuc inſuper Pſeudo-Epiſcopo ſibi ab hæreticis cõſtituto nauigare audeat, et ad Petri Cathedrã, atq; ad eccleſiam principalem, vnde vnitas ſacerdotalis exorta*

eſt a ſciſmaticis, & Profanis litteras ferre, nec cogitare eos eſſe Romanos, quorum fides Apoſtolo prædicante, laudata eſt, ad quos perfidia non poſſit habere acceſſum, & lib. 4. Epiſt. 2. In ordine 25. *Cum Fabiani locus, ideſt cum locus Petri, & Cathedræ ſacerdotalis gradus vacaret &c.* Ambroſius in cap. 3. prioris ad Tim. *Eccleſia eſt Domus Dei, cuius hodie Rector eſt Damaſus*. Hieronymus anno 380 Epiſt. 57. ad Damaſum, *Cum ſucceſſore Piſcatoris, et Diſcipulo crucis loquor, ego nullum primum niſi Chriſtum ſequens, beatitudini tuæ, ideſt Cathedræ Petri communioni conſocior, ſuper illam petram ædificatam Eccleſiam ſcio*, & infra. *Qui tecum non colligit, ſpargit, hoc eſt, qui Chriſti non eſt, Antichriſti eſt*.

Auguſtinus anno 400. lib. 2. Contra Pelagium, & Cæleſtium c. 7. *Cæleſtius Beati Papæ Innocentij litteris non eſt auſus obſiſtere, imo ſe omnia, quæ ſedes illa damnauerit, damnaturum eſſe promiſit*. Et Epiſt. 100. *Miſſæ ſunt hac de re a duobus Concilijs Carthaginenſi, & Meleuitano, relationes ad Apoſtolicam ſedem*. Proſper anno 460. Contra Collatorem cap. 41. *Africanorum conciliorum decretis, Beatæ recordationis Papa Zozimus ſententiæ ſuæ robur adnexuit*. Fulgentius anno 500. de incarnatione cap. 11. *Quod duorum magnorum luminum Petri ſcilicet, Pauliq; verbis, tanquā ſplendentibus radijs illuſtrata Romana, quæ Mundi cacumen eſt, tenet, & docet Eccleſia, totuſque cum ea Chriſtianus orbis, & ad Iuſtitiam nihil hæſitans credit, & ad ſalutem non dubitat confiteri*. Ad hanc ſedem hoc ſaculo recurrunt Concilium quintum Aurelianenſe cap. 1. Concilium ſecundum Turonenſe c. 21. Concilium primum Bracharenſe cap. 22.

Iſidorus Hiſpalenſis anno 620. præfatione in opus Conciliorum *Subiecimus reliqua Præſulum Romanorum decreta*, & infra *nullam ſynodum ratam eſſe legimus, quæ non fuerit Apoſtolicæ ſedis authoritate congregata, vel fulta*. Columbus, & cæteri primates, & Epiſcopi Prouinciarum Africę. Anno 640.

Epiſtola ad Theodorum Papam, quæ extat in Concilio Lateranenſi, Conſult.2. Eum ſalutant Patrem Patrum, & ſummum omnium præſulum Pontificem. Beda anno 700. Hiſt. Anglic. lib.2. cap.1. *Beatus Papa Gregorius cum primum in toto orbe gereret Pontificatum, Anglorum gentem Chriſti fecit Eccleſiam*, Idem teſtatur hoc etiam ſæculo Carolus Imperator apud Gratianum diſt.19. *Honoremus Sanctam Romanam Eccleſiam, & Apoſtolicam ſedem, vt quæ nobis Sacerdotalis mater eſt dignitatis; Eccleſiaſtica eſſe debeat magiſtra rationis*, Idem habet Anaſtaſius Bibliothecarius in Ioannis Eleemoſinarij vitam.

Regino Prumienſis anno 910. in Cronicis de anno 865. *Stultitiæ quodam elogio notandi ſunt, qui illã Petri ſedem prauo dogmate fallere poſſe arbitrati ſunt.* Petrus Damianus anno 105. In vita Sancti Barbatiani: *Roma abſque dubio caput eſt, & principalis ſedes totius eccleſiæ.* Anſelmus Cantuarienſis de incarnat. verbi cap.1. *Domino, & Papæ vniuerſæ Eccleſiæ ſummo Pontifici Vrbano.* Vnus ſufficiat Bernardus pro anno 1130. ab aduerſarijs pro Sancto habitus, de cõſiderat. ad Eugenium Papam lib.3. cap.8. *age indagemus adhuc diligentius qui ſis, quam geras videlicet pro tempore Perſonam in Eccleſia Dei: quis es? Sacerdos Magnus, ſummus Pontifex, tu Princeps Epiſcoporum, tu hęres Apoſtolorum, tu primatu Abel, Gubernatu Noe, Patriarchatu Abraham, ordine Melchiſedec, dignitate Aaron, Authoritate Moyſes, iudicatu Samuel, poteſtate Petrus, vnctione Chriſtus, tu es cui Claues traditæ, cui oues creditæ ſunt*, & infra, *nec modo ouiũ, ſed, Paſtorum tu vnus omnium Paſtor: vnde id probem quæris? ex verbo Domini: cui enim non dico Epiſcoporum, ſed etiam Apoſtolorum, ſic abſolute, & indiſcrete totæ comiſſæ ſunt oues? ſi me amas Petre paſce oues meas, quas? illius, vel illius Populos Ciuitatis, aut Regionis, aut certi regni? oues inquit meas, cui non planum, non deſignaſſe aliquas, ſed aſſignaſſe omnes, nihil excipitur, vbi diſtinguitur nihil*, hæc Bernardus, & albi ſæpe.

Qua-

Quatuor ſequentibus ſæculis eccleſiæ Romanæ, teſtimonia dant ſuo quiſque ſæculo S. Franciſcus Aſſiſas in ſua regula cap. 1. & vltimo. S. Thomas Aquinas. De regimine Principum cap. 14. S. Bonauentura parte 6. Breuilogij cap. 12. Doctor ſubtilis Ioannes Scotus in 4. Sententiarum diſtinctione 6. quęſt. 9. n. 14. *Sentiendum eſt de Sacramentis Eccleſiæ ſicut ſentit Romana Eccleſia*, & in eodem 4. ſæpius, vti etiam in tertio Sententiarum, ac in alijs ſuis operibus paſſim. Durandus, à S. Pontiano in 4. diſt. 24. q. 5. Petrus Paludanus, item in 4. Sententiarum diſt. 24. qu. 6. Ludolphus Charthuſianus vitæ Chriſti parte 2. c. 1. Laurentius Iuſtinianus lib. de obedientia cap. 12. Ioannes Capiſtranus Ordinis Minorum de authoritate Papæ, & Conciliorum fol. 35. plura alia taceo.

ARTICVLVS III.

Aſſerunt Reges, & Imperatores, fatentur aduerſarij multi, teſtantur monumenta antiqua.

AGnouit Philippus Imperator. Anno 248. Qui eccleſiam non prius auſus eſt intrare, quam impoſitam ſibi à Fabiano Romano Pontifice pœnitentiam impleret, teſte Euſebio Cæſarienſi lib. 6. cap. 27. Nicephoro Calixto, lib. 5. cap. 25. Conſtantinus Magnus anno 320. ad Siluestrum Papam, *Sanctiſſimo inquit, ac Beatiſſimo Patri Patrum Syluestro, vrbis Romanæ Epiſcopo, & Papæ,* Gratianus, Valentinianus, & Theodoſius Imperatores anno 380. lib. 1. cap. de ſumma Trinitate in decretalibus, *cunctos Populos, quos Clementiæ noſtræ regit Imperium, in tali volumus Religione verſari, quam D. Petrum Apoſtolum tradidiſſe Romanis, religio adhuc ab ipſo inſinuata declarat quamque Pontificem Damaſum ſequi claret.* Honorius Auguſtus anno 410. Ad Bonifacium Papam. *Victor Honorius inclytus, triumphator ſemper auguſtus, Sancto, & venerabili Bonifacio Papæ, ſcri-*

pta Beatitudinis tuæ debita reuerentiæ gratulatione ſuſcepimus. Valentinianus Tertius ait, *debere conſeruari fidem veterem, quatenus Beatiſſimus Romanæ Ciuitatis Epiſcopus, cui principium Sacerdotij ſuper omnes antiquitas contulit locum habeat de fide, & Sacerdotibus iudicare*, Valentinianus, & Marcianus Imperatores anno 350. Epiſt. ad Leonem Papam; *Tuam Sanctitatem principatum in Epiſcopatu diuinæ fidei poſſidentem, ſacris litteris in principio iuſtum credimus alloquendam*. Anaſtaſius Imperator anno 510. Epiſt. ad Hormiſdam Papam monet, vt *iubeat Concilium indicere*. Iuſtinianus eodem ſæculo Epiſt. ad Ioann. Papam Codice de ſumma Trinitate *Reddentes honorem Apoſtolicæ ſedi, & veſtræ ſanctitati, vt decet Patrē venerantes veſtram Beatitudinem*. Carolus Magnus anno 780. in priuilegio Eccleſiæ Bremenſis apud Crantium in Metrop. lib. 1. cap. 7. *Summi Pontificis, & vniuerſalis Papæ Adriani præcepto Bremenſem Eccleſiam &c. commiſimus*.

Pontificem Romanum vniuerſalem Papam agnouit Kenulphus Rex Merciorum anno 800. Ep. ad Leonem tertium. Agnouit *Lotharius* Rex Epiſtola ad Adrianum Secundum, *Baſilius* Imperator Græcorum anno 870. In Concilio octauo generali actione 6. *Leo* Imperator item Græcorum Sermone de S. Petro. *Otho* Imperator anno 950. Apud Gratianum Epiſt. ad Ioannem Papam. *Eduardus* Rex Angliæ anno 1060. epiſtola ad Nicolaum Secundum. *Alexius* Imperator Græcorum anno 1200. epiſt. ad Innocentium Tertium. *Leo* Rex Armeniorum ad eundem. *Carolus* Rex Siciliæ epiſt. ad Clementem Quartum *S. Ludouicus* Rex Franciæ. *Michael Paleologus*, Imperator Græcorum epiſt. ad Gregorium decimum *Beatiſſimo Patri, & ſummo Pontifici Apoſtolicæ ſedis vniuerſali Papæ*. Eduuardus Secundus, Rex Angliæ anno 1300. epiſt. ad Bonifacium Octauum. Comites, & Barones Angliæ ad eundem. *Sigiſmundus* Imperator anno 1420. epiſt. ad Romanum Pontificem,

Sigiſ-

Sigiſmundus Rex Poloniæ anno 1513. epiſt. ad Concilium Lateranenſe. *Henricus Octauus Rex Angliæ* in aſſert. ſeptem Sacramentorum. *Carolus Quintus* in edicto VVormatienſi. *Claudius* Imperator Æthiopum, epiſtola ad Paulum Tertium, quid plura referam cum ſemper totus orbis in hanc veritatem conſpirauerit?

Aſſerunt aduerſarij multi.

IOannes VViclefus epiſt. ad Vrbanum Sextum, vocat *Romanum Pontificem Summum in Terris Chriſti Vicarium*. Ioannes de Petzibram Huſſita in profeſſione fidei, Romanam vocat *VniuerſalemEccleſiam*. Lutherus in reſolutionibus fatetur *Romanum Pontificem eſſe omnibus alijs ſuperiorem*, & Tom. 7. Germ. Ienenſi fol. 179. ait, *In papatu veram eſſe chriſtianitatem, imo verum Nucleum chriſtianitatis*. Bucerus in præparatorijs ad concilium dicit, veteres patres aſſerere *Romanam Eccleſiam præ cæteris obtinuiſſe primatum*. *Iacobus* Rex Angliæ in rationibus deſumptis ex verbo Dei, *Romam totius chriſtiani regiminis originem, & fontem appellat*. Romanæ item eccleſiæ durationem aſſerunt ex Anglis nonnulli, duraſſe nongentis annis ait *Perkinus* in expoſitione ſymboli pag. 307. à Bonifacio Tertio inquit *Voyon*. In Commonitorio; mille ducentos ſexaginta annos inquit *Napper* in Apocalip. à tempore Sylueſtri inquit *Brocardus* in Apocalip. Teſtimonia iſta ex inuidiæ faucibus nimis aperta veritas extorſit.

Teſtantur Monumenta antiqua.

HVic veritati adſtipulantur tot antiqua per orbem chriſtianum condita templa, erectæ aræ, extructa cæmiteria, collocatæ Cruces, & Imagines, fundati epiſcopatus, collegia, Monaſteria, dotata Beneficia eccleſiaſtica, ex quibus vxorati Miniſelli, &

li, & Epiſcopi nunc viuunt, viuunt inquam ex ſudoribus, laboribus, & beneficentia Romano Catholicorum, vt vel nobis ſilentibus in Anglia, Hibernia, Scotia, Germania, Hollanda, cæteriſque regionibus clament omnibus proteſtantibus, puritanis, fanaticis, alijſque prætentis reformatis, quam antiqua, quam vetuſta ſit Romana Religio, quam diuerſa ab ea, cuius adinuentores fuere fœdifragi nouatores; his Teſtimonijs accenſeri poſſunt leges, & reſcripta principium, ritus antiquiſſimi; ceremoniæ inaugurationum, ordines equitum, veſtes, & ſepulchra, nummi, portæ vrbium, viæ ipſæ, aliaque publica monumenta, quæ indicant nullam in terris aliam Religionem, quam Romanam, ſtabiles fixiſſe radices, cuius antiquitati dum ſuffragantur ſectarij ſupracitati, ſeipſos iugulant, dum aliam non poterant inuenire perpetuo viſibilem, & durantem, præter ſolam Romanam.

ARTICVLVS IV.

Reflexio parenetica ex D. Auguſt. an tot ſinceriſſimis Teſtimonijs Romanæ Eccleſiæ ſuffragantibus credendum potius, quam fœdifragis Nouatoribus.

DE primitiuis patribus eccleſiæ Catholicæ adſtipulantibus, arguit ſic D. Auguſtinus contra Iulianum, lib. 2. prope finem *Neque nobis, neque vobis irati ſunt* (patres ſcilicet quos hactenus citauimus contra vos, ó ſectarij) *Neque nobis, neque vobis miſerati ſunt, quod inuenerunt in Eccleſia, tenuerunt, quod didicerunt, docuerunt, quod à patribus acceperunt, hoc filijs tradiderunt, nondum vobiſcum apud iſtos Iudices aliquid agebamus, & apud eos acta eſt cauſa noſtra, nec nos, nec vos eis noti fueramus, & eorum pro nobis latas contra vos ſententias recitamus, nondum vobiſcum certabamus, & eis pronuntiantibus*

vici-

vicimus. proinde lib. de vtilitate credendi cap. 17. vrget idem Aug. *Cum igitur tantum profectum, fructûque videamus, dubitabimus nos eius Eccleſiæ condere gremio, quæ vſque ad confeſſionem generis humani, ab Apoſtolica ſede per ſucceſſiones Epiſcoporum fruſtra Hæreticis circumlatrantibus, & partim plebis ipſius iudicio, partim Conciliorum grauitate, partim etiam miraculorum maieſtate damnatis, culmen authoritatis obtinuit? cui nolle primas dare, vel ſummæ profecto impietatis eſt, vel præcipitis arrogantiæ, nam quid eſt aliud ingratum eſſe opi, atque auxilio diuino, quàm tanto labore præditæ authoritati velle reſiſtere?*

Cum ergo iuxta eundem Auguſt. in eodem lib. cap. 11. *Quod intelligimus, debemus rationi, quod credimus, authoritati: cur non credamus Populorum, atque gentium confirmatæ opinioni, ac famæ admodum celeberrimæ?* Nam, vt innuit ibid. cap. 14. *Chriſtus miraculis conciliauit authoritatem, authoritate meruit fidem, fide contraxit multitudinem, multitudine obtinuit vetuſtatem, vetuſtate roborauit religionem, quam non ſolum hæreticorum ineptiſſima nouitas fraudibus agẽs, ſed nec gentiũ quidẽ veternoſus error violenter aduerſans, aliqua ex parte conuelleret.* Sequenda igitur, monente Auguſtino, *Via Catholicæ diſciplinæ, quæ ab ipſo Chriſto per Apoſtolos ad nos vſque manauit, & ad Poſteros Manatura eſt.* Hinc lib. citato ſequitur cap. 16. *Non eſt deſperandum ab ipſo Deo authoritatem aliquam conſtitutam, qua velut gradu certo innitentes, attollamur in Deum, hæc autem ſepoſita ratione, quam ſinceram intelligere, vt ſæpe diximus, difficillimum ſtultis eſt, dupliciter nos mouet, partim miraculis, partim ſequentium multitudine.*

In illa vtique multitudine quęrenda eſt hæc authoritas, in cuius *Gremio* (vt concludamus cum eodem Aug. lib. contra epiſt. fundament. cap. 4.) *Multa nos iuſtiſſime tenent, tenet conſenſio Populorum, atque gentium, tenet authoritas miraculis inchoata, ſpe nutrita, vetuſtate firmata, tenet ab ipſa ſede Petri ſuc-*

greſſio ſacerdotem, tenet poſtremo ipſum Catholicæ nomē. Quare vt ait idem Auguſt. lib. 1. ad inquiſitiones Ianuarij cap. 5. *Si quod tota per orbem frequentat Eccleſia, hinc quin ita faciendum ſit diſputare, inſolentiſſimæ inſaniæ eſt.* Adeo vt (iuxta ipſius Auguſtini Sententiam lib. 28. contra fauſtum cap. 4.) is demens merito haberi debeat, *Qui non potius id credat, quod inuenit in Eccleſia, & credat neſcio cui ex tranſuerſo de Perſide poſt ducentos annos venienti*, (Imo poſt mille quingentos de Picardiæ , aut Germaniæ finibus fœdifragis apoſtatis venientibus) *Cum ipſe Apoſtolus Paulus poſt aſcenſionem Domini de Cælo vocatus , ſi non inueniret in carne Apoſtolos, cumquibus conferendo Euangelium eiuſdem Societatis eſſe appareret , Eccleſia illi omnino non crederet:* Num igitur Caluino, Luthero, Bezæ &c. qui tunc non fuerunt credendum potius, quam omnibus eccleſiæ Patribus, & Doctoribus, quiſuo quiſque ſæculo teſtantur eccleſiam ſuo tempore viguiſſe, ſtetiſſe, authoritatem habuiſſe , & exercuiſſe. Quis ita deliraret , vt illis potius, quam his crederet ?

QVÆSTIO VLT.

Romanæ Eccleſiæ ; Romanique Pontificis recenſentur prærogatiuæ, & ſoluuntur obiectiones .

ARTICVLVS I.

Referuntur priuilegia Romani Pontificis , & Eccleſiæ Romanæ .

PRima prærogatiua eſt , quod ſit Vicarius Chriſti. ſecunda quod ſit ſucceſſor D. Petri in regimine vniuerſalis eccleſiæ , quia ſuccedit in Cathedra eius. 3. eſt, quod habeat infallibilem aſſiſtentiam Chriſti ſpeciali modo, quia vicarius illius eſt, cum enim dixerit Chriſtus , *Rogaui pro te Petre, vt non defi-*

deficiat fides tua , & ego vobiſcum ſum omnibus diebus. Inferendum inde, ibi eum maxime aſſiſtere vbi ſpecialiter opus eſt illius aſſiſtentia, atque adeo hoc locum habet, in illius vicario, qui eſt viſibile caput totius eccleſiæ 4. Quod habeat etiam infallibilem aſſiſtentiam Spiritus Sancti, qui iuxta promiſſionem Chriſti, manet ſemper cum eccleſia, cumque, iuxta eandem promiſſionem, doceat eccleſiam omnem veritatem, dubium non eſt, quin capiti Eccleſiæ ſpeciali ratione aſſiſtat, cum illius ſit paſcere oues Chriſti: vnde ſequitur, Pontificem canonice electum, habere priuilegium non errandi in rebus fidei & motum determinandis, vt nunquam erret, dum definit ex Cathedra.

Definire autem ex Cathedra, eſt proponere toti eccleſię aliquid, vel circa fidem, vel circa mores, ſic Innocentius Decimus, & poſt eum Alexander Septimus ediderunt eaſque toti Eccleſię propoſuerunt definitiones contra Ianſenij propoſitiones. Item ante Concilium Tridentinum, Leo X. damnauit Lautheri errores, quod fuit etiam ex Cathedra definire, per Cathedram intelligitur authoritas iudicandi, iuxta illud Math. 23. *ſuper cathedram Moyſi ſederunt ſcribæ, & Phariſæi. Quę dicunt facite.* De hac Cathedra inquit D. Auguſt. lib. 2. contra Epiſtolas Petiliani cap. 15. *Cathedra tibi quid fecit Eccleſiæ Romanæ, in qua Petrus ſedit, & in qua hodie Anaſtaſius ſedet.*

Hoc priuilegium probaui diſt. 6. Vnde à paritate debet conuenire ſummo Pontifici, ſicut fuit datum Petro, cuius ſucceſſor eſt Pontifex Romanus, ſicut item fuit datum ſummo Sacerdoti deuteronomij 17. Ergo Vicarius Chriſti habet idem priuilegium, nam ſicut ſuccedit in dignitate D. Petro, ita ſuccedit in prærogatiuis annexis eidem dignitati; nec enim fuit minus neceſſarium Capiti viſibili primitiuæ eccleſiæ, quam eius ſucceſſoribus habere idem, debet enim paſcere conuenienter fideles do-

ctrina fidei, & morum, ſed non paſcerentur conuenienter fideles, niſi daretur illis certitudo de illa doctrina, nemo enim tenetur credere, cum certitudine fidei veritatem illius doctrinæ, quæ procedit ab illo, qui in dicendo poteſt errare, ergo Romanus Pontifex debet ita docere, vt fideles certi ſint, quod illa doctrina ſit vera, hoc autem fieri non poteſt ſine priuilegio non errandi, cętera vide diſt. 6. Citata, quæ probant etiam hanc rem, cum ſit par ratio vtrobique.

Huc facit, quod etiamſi Romanus Pontifex ſit ſpiritualis Princeps, poſſit etiam eſſe, & ſit Princeps, & Dominus temporalis poſſeſſionum ipſi donatarum, regnum enim temporale, & ſummum Sacerdotium, non repugnant, nam fuit Melchiſedec Rex, & Sacerdos, fuit Moyſes Princeps, & Sacerdos, fuit item Samuel; habuere bona temporalia Summi Sacerdotes veteris Teſtamenti, habuit D. Petrus adminiſtrationem, & Dominium bonorum in primitiua eccleſia cum ad ipſum deferrentur pretia rerum venditarum, vt patet ex actibus Apoſtolorum cap. 4. & 5.

Item cum Pontifex ſit vicarius Chriſti D. Petri Succeſſor, viſibile caput eccleſiæ, atque adeo Pater, & Magiſter orbis Chriſtiani, Paſtor Gregis Chriſti, intitulatur Beatiſſimus Pater, vt in Concilijs, & Patribus vidimus, ſic Chriſtus dixerat Petro *Beatus es Simon Bariona*, ſic Pontifex eſt Beatus, imò Beatiſſimus, ob multitudinem, & dignitatem ſuorum ſubditorum, nam Sacerdotes, Epiſcopi, Archiepiſcopi, primates, Patriarchæ, Principes, Reges, & reliqui Catholici ſunt ipſius filij quatenus ſunt agni, & oues Chriſti, iuxta illud Ioan. 21. *paſce oues meas*, Loquitur Chriſtus generaliter de omnibus, qui oues Chriſti, & eſſe, & haberi volunt. *Nam vbi diſtinguitur nihil, nihil excipitur*, inquit D. Bernardus, omnes ergo chriſtiani, qui volunt eſſe oues Chriſti, ſubduntur Petro, & Petri ſucceſſoribus, dicitur etiã

Sanctiſ-

Sanctiſſimus ob authoritatem ipſi conceſſam iuxta illud, *Tibi dabo Claues Regni Cœlorum, quidquid ſolueris ſuper terram &c.* Quæ poteſtas eſt maximè Sancta, cum omnia Sancta, per ipſam adminiſtrentur, veluti Sacramenta, leges, doctrina, ſacrificium. Sacerdotium, deinde dicitur Sanctiſſimus, quia gerit perſonam Chriſti publicam, qui eſt *Sanctificatio noſtra.*

Recenſentur Romanæ Eccleſiæ prærogatiuæ, ex Sereniſſimo Erneſto Haſſiæ Lantgrauio.

Prima quod ſit mater, & magiſtra omnium Eccleſiarum, vnde ad illam omnes aliæ ſemper appellarunt.

Secunda, quod nunquam mutauerit doctrinam.

Tertia, quod illius, & eorum, qui ei communicāt miniſterio, facta ſemper fuerit conuerſio infidelium.

Quarta, Quod eccleſia Romana ſupra cæteras omnes vrgeat neceſſariam inter Chriſtianos fidei, & cultus diuini vniformitatem.

Quinta, in eccleſia Romana maximè effloreſcunt fructus veræ ſanctitatis.

Sexta, eccleſia Romana ſemper fuit ab omnibus Sectis oppugnata, nunquam expugnata, vt appareat hic digitum Dei eſſe in illa manutenenda tot ſeculorum centurijs.

Septima, inſtar Oceani ſuos æſtus reciprocantis, vbi aliquas nationes amiſit, aliundè Dei prouidentia, hæc iactura reſarcitur, amiſſa enim magna Britannia acceſſit Indiarum conuerſio.

Octaua, Quod eccleſia Romana nullam habeat doctrinam, vel articulum, qui diſcrepet à fide Patrum priorum, & puriorum ſæculorum, vt videre eſt tota diſtinctione ſequenti.

Nona, in eccleſia Romana ſemper perſiſtit donum miraculorum.

Decima, nihil credit, aut tenet creditu neceſſa-

rium, quod vlli contradictioni, aut abſurditati ſit obnoxium.

Vndecima, ſola Romana eccleſia hactenus manſit ſemper in poſſeſſione Catholiciſmi quoad nomen, & rem ipſam.

Duodecima, in omnibus Sectis Romanæ Eccleſiæ oppoſitis, nihil aliud reperitur, quam contradictio, inſtabilitas, & continua mutatio.

Decimatertia, veteris Teſtamenti, Prophetiarum, ſeu prædictionum adimpletio quoad ſplendorem, gloriam, magnitudinem veræ Chriſti Eccleſiæ attinet, incomparabiliter melius competit Eccleſiæ Romanæ eiuſque communioni, quam cuiuis alteri.

Decimaquarta, illi vniuerſaliter ſumptæ conuenit infallibilitas, indefectibilitas, aſſiſtentia Chriſti, & Spiritus Sancti, in illa eſt vera fides, vera doctrina, vera ſumma Euangelij, vera iuterpretatio ſcripturæ, &c.

ARTICVLVS II.

Romanus Pontifex, vt potè D. Petri in regimine vniuerſalis Eccleſiæ legitimus ſucceſſor, eſt vltimus Controuerſiarum Iudex.

Conſtat hæc propoſitio ex dictis diſtinctione *6.* quæſt.4. artic. *3.* & ex tota quæſtione *6.* huius diſtinctionis nam Romanus Pontifex à paritate habet omnes conditiones legitimi iudicis, habet enim authoritatem, & infallibilitatem, vt iuridice, certo, & infallibiliter ſententiam ferat, & has duas conditiones probaui tum quæſtione 5. & *6.* huius diſtinct. tum articulo præcedenti, habet item tertiam conditionem ſupremi, & vltimi iudicis, vt ab eo non liceat prouocare, idque à pari, nam à legitimi Capitis Eccleſiæ ſententia non licet prouocare, vt probaui diſtinct. *6.* quæſt.4. artic.2. atqui ex dictis Romanus

nus Pontifex eſt viſibile Caput Eccleſiæ, ergo ab illius vltimata, & definitiua ſententia non licet prouocare, nam definitiua ſententia capitis habetur rata, approbata, & confirmata in Cælo, iuxta illud Matth. 16. *Quodcumque ligaueris ſuper terram, erit ligatum, & in Cœlis, & quodcumque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in Cœlis*. Vbi Chriſtus promittit fore rata, & approbata in Cœlis, quæ Caput eccleſiæ per vltimatam ſententiam definiuerit; atqui à Cęli iudicio, non licet prouocare, ergo neque à ſententia Capitis in Cęlis, iuxta promiſſionem Chriſti confirmata.

Habet item 4. conditionem, vt non ducatur ſtudio partium ex infallibili aſſiſtentia Chriſti, & Spiritus Sancti promiſſa tum eccleſiæ, *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus, Spiritus Sanctus docebit vos omnem veritatem*; Tum eccleſiæ Capiti, *rogaui pro te, vt non deficiat fides tua*, Ex quibus habetur veracitatem conceſſam eſſe capiti, vt nec decipiatur necdecipiat ductus ſtudio partium: habet tandem quintam, ſic enim profert ſententiam, vt ſciatur, cui parti cauſa ſit adiudicata, eſt enim ſemper ſingularis, ſenſibilis, & viſibilis homo ſenſibiliter proponens toti eccleſiæ ſententiam definitiuam, patet ex dictis in eadem diſt. 6.

Et hanc authoritatem reſidere in RomanoPontifice agnouit ſemper eccleſia Chriſti, agnouere Concilia œcumenia priorum ſæculorum, vt oſtendi quæſtione 5. art. 2. huius Diſtinctionis: vnde addo hunc diſcurſum; cui Eccleſia tota obtemperare tenetur in ijs rebus, quæ ad ſpiritualem animæ ſalutem pertinent ſiue illæ fidem, ſiue cultum, ſiue mores concernant, in eo eſt infallibilis authoritas ad omnes fidei quæſtiones dijudicandas, ſed Romano Pontifici pro tempore exiſtenti ita prorſus vniuerſa eccleſia obtemperare tenetur, ergo in Romano Pontifice eſt talis authoritas, maior quoad infallibilitatem patet ex artic. præcedent. & ex diſtinct. 6.

quod enim vniuerſa eccleſia credere tenetur, id debet eſſe infallibiliter verum, alioquin falſum credere teneretur, quod repugnat fidei diuinæ, cui nequit ſubeſſe falſum, ſi ergo in rebus ad ſalutem pertinentibus, atque adeo in fidei controuerſijs, alicuius iudicium ſequi debeant fideles, ſine dubio ille ſupremam, & infallibilem authoritatem habet ad determinandas fidei controuerſias, minor conſtat ex qu. 5.& *6*. huius Diſt.

Vnde concludo hoc altero ſyllogiſmo: primaria iudicandi àuthoritas, à Chriſto tributa eſt *D.Pe*tro, & eius Succeſſoribus, vſque ad conſummationem ſæculi; ſed Romanus Pontifex pro tempore exiſtens, eſt B. Petri ſucceſſor: ergo Romano pontifici pro tempore exiſtenti, illa authoritas iudicandi controuerſias à Chriſto tribuitur, maior patet ex Diſtinct.*6*. minor ex qu. 5. & *6*. huius Diſt. vnde conſequentia eſt legitima.

Denique cum hæc non ſit quæſtio facti, ſed iuris, non argumentis à ratione opus eſt, ſed ſatis id probàtur Teſtimonijs omnium ætatum, quod enim Romanus Pontifex perpetuo in Eccleſia *agnitus ſit Iudex controuerſiarum fidei* Atiquitas teſtatur apud Euſebium lib.4. hiſt. cap 13. & 22. & lib.*6*. cap.35. Apud D.Auguſt. epiſt. *9*0. & *9*2. lib. 1. contra duas Epiſtolas Pelagian.cap.1. & apud Optatum Meleuit. lib.1. contra *Parmen.* item apud Iræuæum lib.3.cap. 3. & paſſim ex actibus Conciliorum. *Quod ipſe hæreſes condemnauerit* Teſtantur Euſebius lib.5.cap.27 Cyrillus Epiſt. 10. & 11. Tertull. lib. contra Praxeam. *Quod leges cum authoritate ſanciuerit*, Videre eſt apud Euſebium in Chronicis de Theleſphoro, & Pio I. idque etiam videre licet in antiquiſſimis decretis Romanorum Pontificum. *Quod Concilia confirmauerit*, Conſtat ex quæſtionibus præcedentibus huius diſt. *Quod ad eum appellatum fuerit*, Teſtatur Sozomenus lib.3. cap.7. & *9*. Euagrius lib. 3. cap.15. Athanaſius in Epiſtola ad ſolitariam vitam

Agen-

Agentes, Baſilius Magnus epiſt. 14. S. Ioannes Chryſoſtomus epiſt. ad Innocentium; ex quibus habetur authoritatem ſupremi Iudicis reſidere in Romano Pontifice, adeo vt Teſte D. Auguſt. ad diſquiſitiones Ianuarij *Inſolentiſſimæ inſaniæ ſit diſputare, quin ita faciendum ſit, quod tota iam frequentat Eccleſia*. Addo quod tota clamat antiquitas.

ARTICVLVS III.

Soluuntur obiectiones contra primatum Romani Pontificis.

OBijcitur primo, in electione Romanorum Pontificum multa ſciſmata contigerunt, per quæ ignorabatur, quis eſſet verus Pontifex. Ergo iſta poteſtas ceſſauit; antequam reſpondeam, dico quod electio Magiſtratuum viſibilium, vt regum, Epiſcoporum, & Summi Pontificis ſit actio, quæ fit ab hominibus, qui Ius habent eligendi, & ideo, non eſt de ſubſtantia, vel intrinſeca ratione ipſius poteſtatis, ſeu Magiſtratus, atque adeo hæc actio, ſeu modus eligendi, poteſt variari, vt patet in electione Imperatorum, hinc fit, quod varia accidentia, quæ contingunt in electionibus, non poſſint tollere poteſtatem, ſeu magiſtratum à Chriſto inſtitutum, ſi enim quis ſimoniace, & male ſaluis ſubſtantialibus Sacramenti, Baptizaret, non ob hoc tollitur baptiſmus, aut illius neceſſitas, item aliud eſt ius eligendi, aliud bonus vſus talis facultatis, ſi autem elector male vtatur tali iure, modo ſubſiſtant ea, quæ de ratione electionis ſunt, ob hoc non ſequitur, quod electio ſit inualida.

Nunc reſpondeo ad difficultatem, vel electores tunc obſeruarunt omnia, quæ ſpectant ad ſubſtantiam electionis, licet admiſcuerint aliqua accidentia, vel non? Si primum, non obſtante, quod contigerint rixæ, ſciſmata, reſpectus humani, & ſi-

mi-

milia, quæ ſunt malus vſus poteſtatis electiuæ, ad huc tamen electio eſt valida, modo electus habuerit vota requiſita ad electionem, & qualitates requiſitas ad talem dignitatem.

Si autem electores non ſeruarunt omnia, quæ ad electionis ſubſtantiam ſpectant, adeo vt foret dubium, an electio eſſet canonica, & conſequenter ſtante ſciſmate, vel illo dubio, an ille talis eſſet legitime aſſumptus, non inde ſequitur, quin alij Pontifices fuerint canonice electi, & tunc in caſu ſciſmatis vel dubij maxime palpabilis, ad ſummum, ſequeretur tantum, ſedem vacaſſe, qua vocatione, ſeu ſpatio inter vnum Pontificem, & alium, non obſtante, adhuc eccleſia continuatur, ſicut tellus, & plantæ dicuntur continuo producere, licet inter productionem vnius, & alterius intercedat tempus, ſic licet inter vnum, & alterum Pontificem per ſciſma, vel mortem, inter vnum, & alterum Regem fluat aliquod ſpatium, ipſa tamen ſedes, aut regnum non annullantur, nec enim ceſſat regnum, & ſi ſemel, aut bis non legitime, ſed tyrannice, & male aliquis ſit ad Regiam dignitatem intruſus, idem dic in caſu.

Obijcies ſecundo, ſæpe electores in eligendo mouentur à proprio commodo, ideo electio eſt mala; Reſpondeo quod ſæpe intentio Dei, & intentio hominum in eodem effectu producendo ſint diuerſa; ſic Deus voluit paſſionem Chriſti, bona intentione, Iudæi autem mala, & Deus vſus eſt mala intentione illorum ad faciendum id, quod ipſe volebat bonum, cum vero optimus modus eligendi, ſit reſpicere ad Dei gloriam, & commune bonum eccleſiæ, adeoque eligendus ſit pater orbis Chriſtiani, debet eligi talis perſona, de qua ſpes ſit, quod paterne diligat gregem ſibi commiſſum, nullamque partem eccleſiæ à ſua excludat dilectione, hinc cum ſinguli electores ſtudeant excludere in hac electione illos, qui ſuæ nationi contrarij ſunt,

effi-

efficitur, vt partialibus ſi qui ſint excluſis, pater omnium communis electus ſit.

Obijcitur tertio. tanta poteſtas non poteſt reſidere in homine peccatore, quales fuere multi Pontifices, quorum nonnulli male vſi ſunt ſua anthoritate; ergo poteſtas ipſa ceſſauit. Reſpondeo in poteſtate duo poſſe conſiderari, nempe ipſam poteſtatem, & perſonam, in qua reſidet, poteſtas eſt bona, cum ſit à Deo, iuxta illud ad Rom. 13. *Non eſt poteſtas niſi à Deo, itaque qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit.* Perſona autem cum ſit libera, aliquando eſt mala, aliquando, imo ſæpius bona, poteſt item bene, ſubinde etiam male vti ſua authoritate, quæ authoritas ex ſe ſubſiſtit, licet Principis actiones eſſent prauæ, ſic enim videmus homines male vti ingenio, voluntate, ſanitate, diuitijs, dignitate, non inde tamen ſequitur, hæc omnia eſſe mala in ſe, ſic Domini, parentes, reges abutuntur quandoque ſua poteſtate, nec tamen ideo eam amittunt; Saul, Salomon, Roboam, & alij in veteri Teſtamento fuere mali, retinuere tamen dignitatem.

Denique D. Aug. lib. 2. Contra litteras Petiliani cap. 51. vnica reſponſione diluit omnes huiuſmodi obiectiones, ait ergo. *Cathedra tibi quid fecit Eccleſiæ Romanæ, in qua Petrus ſedit, & in qua hodie Anaſtaſius ſedet, cui nos in Catholica vnitate connectimur, & à qua vos nefario furore ſeparaſtis? quare appellas Cathedram peſtilentiæ, Cathedram Apoſtolicam? ſi propter homines, quos putas legem loqui, & non facere, numquid Dominus Ieſus Chriſtus propter phariſæos, de quibus ait, dicunt, & non faciunt, Cathedræ, in qua ſedebant vllam fecit iniuriam? nonne illam Cathedram Moyſis commendauit, & illos ſeruato Cathedræ honore, redarguit?* Vnde habemus quod mala vita rectorum, & malus vſus poteſtatis ipſis datæ, non euacuet eorum authoritatem, hinc inquit D. Petrus primæ epiſtolæ cap. 2. *Serui ſub-*

ſubditi eſtote Dominis, non tantum bonis, ſed etiam diſcolis, Ex quibus concluditur quod ſicut eccleſia nunquam errauit, aut defecit, ſic neque hic Magiſtratus debuit vnquam annullari.

Obijcies vltimo contra infallibilitatem Pontificis. Si infallibilitas eccleſiæ eſſet vllo modo alligata Pontifici, ſic vt ipſe eſſet regula infallibiliter dirigens, definiens, & proponens doctrinam reuelatam, ſequeretur mortuo Pontifice, & ſede vacante ceſſare infallibilitatem eccleſiæ, & conſequenter in illo ſaltem inter regno, eam eſſe obnoxiam erroribus. Reſp. negando ſequelam, quam reſponſionem, vt melius intelligas, nota ex dictis infallibilitatem promiſſam, & conceſſam a Chriſto reſpicere eccleſiam dupliciter nempe paſſiue, & actiue. Primo modo reſpicit totum corpus ſeu vniuerſitatem totius eccleſiæ, quod in fide, & religione accepta; ſic immobiliter, ac indefectibiliter perſeuerat, vt ſine erroris periculo fiant ea, quæ conducunt ad curam animarum, publicum Dei cultum, rectam Sacramentorum adminiſtrationem, ſolemnem verbi Dei prædicationem, & alia denique eccleſiaſtica miniſteria obeunda, vnde dicitur Math. 16. *Super hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ Inferi non præualebunt aduerſus eam*. Et 1. ad Tim. 3. *Eccleſia Dei viui columna, & firmamentum veritatis*, Et hæc infallibilitas paſſiua, ſeu indefectibilitas veræ fidei, & Religionis perſiſtit in eccleſia pro omni differentia temporis, etiam mortuo Pontifice, & ſede vacante, nam etiam tunc in eccleſia datur certa ſalus, hæc autem requirit certam fidem, fides autem certa debet eſſe infallibilis, ergo, & eccleſia, cuius forma, eſt vera fides, debet tunc infallibiliter perſeuerare in vera Religione.

Secundo modo infallibilitas reſpicit eccleſiam in ſuis Paſtoribus, ſeu in Concilio œcumenico congregatam, vt dixi ſupra diſtinct. 3. quæſt. 1. Hæc eadem actiua infallibilitas reſpicit eccleſiam in ſuo

viſi-

viſibili Capite, ſeu ſummo *Pontifice*,prout eſt regula viua dirigens, definiens, proponens, de quo intelligitur illud Matth. 16. *Quodcumque ligaueris ſuper terram, erit ligatum, & in Cœlo, quodcumque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum, & in Cœlo.* Infallibilitas ergo primo modo ſumpta, perſiſtit, vt dixi ſemper in eccleſia, ſiue ſit viuus, ſiue mortuus *Pontifex*, tunc tamen eccleſia, vacante ſede non procederet ad dirimendas, vel decidendas controuerſias, aut ad edendas definitiones fidei, cum careret Capite neceſſario requiſito ad legitime,& iuridice procedendum in prædictis.

DISTINCTIO IX.

ET VLTIMA.

De Conformitate Romanæ Eccleſiæ in doctrina fidei, & morum, cum verbo Dei, & primitiua Eccleſia.

HIc præmitto, ex eruditiſſimo opuſculo Gallico, de expoſitione fidei Catholicæ, in materijs controuerſis, edito ab Illuſtriſſimo, & Reuerendiſſimo Condomenſi in Gallia Epiſcopo, fatendum eſſe noſtris aduerſarijs, Catholicos credere omnes articulos fundamentales fidei; nam negare non poſſunt, quin Catholici credant Deum Trinum, & Vnum, Patrem, Filium, & Spiritum ſanctum, credant item, quod confidendum ſit ſoli Deo, per Ieſum Chriſtum filium eius Incarnatum, crucifixum, & reſuſcitatum pro nobis, ſciunt in conſcientia, hæc nos profiteri: ſimiliter nec negare poſſunt, quin credamus, & confiteamur reliquos ſymboli Apoſtolici articulos, ſine vlla exceptione, habeamuſq; verum eorum ſenſum: vnde credimus omnes articulos, quos Caluiniſtæ vocant fundamentales, ac præcipuos Chriſtianæ religionis: licet exiſtiment nos reijcere prædictos articulos, quatenus putant, quod teneamus alios his contrarios. Hęc pro nunc ex erudito illo prælato, ex quo in decurſu huius diſtinctionis alia depromam.

Ne autem falſa illa imaginatione, iam inſinuata decipiantur Aduerſarij, ad complementum totius operis, hanc etiam adiungo diſtinctionem, vt vi-

videant, quod Romana Eccleſia, non ſolum in ſymbolo Apoſtolico, ſed etiam in omnibus alijs ſuis articulis, profiteatur doctrinam, à Chriſto, & Apoſtolis traditam, ac in primitiua eccleſia creditam, adeoque eandem Romanam eccleſiam, habere eas ipſas notas, quas aduerſarij, pro vera eccleſia aſſignant, nempe puram doctrinam, ac legitimam Sacramentorum adminiſtrationem, quod vt clarius probetur, diſtinctionem in duas ſectiones diuido. Vnde fit.

SECTIO I.

De Sacramentis, & ſacrificio incruento.

CHriſtus immediate legem gratiæ dedit hominibus, & in illa, finem, media, & bonum vſum mediorum determinauit, finis huius legis eſt gloria Dei, gloria item Chriſti, & finis ſubordinatus vita Æterna hominum, media ad hunc finem data ſunt etiam à Chriſto, qui ſolus eſt mediator Dei, & hominum: primum autem medium, quod dedit ad dictum finem obtinendum eſt Incarnatio, vita, & paſſio ipſius, hæc autem hominibus aplicata, homines reddunt aptos ad præfatum finem obtinendum: vnde quamuis Chriſtus mortuus ſit, pro omnibus omnino hominibus Chriſtianis, Turcis, Hebræis, Paganis, paſſio tamen iſta non prodeſt illis, niſi eis applicetur.

Hinc ſecundum medium ſunt Sacramenta, per quæ omnis noſtra iuſtitia incipit, cæpta augetur, & amiſſa reparatur, quia per illa meritũ paſſionis Chriſti nobis communicatur: item per hæc Sacramenta, populus fidelis ſanctificatur, illi datur ſacrificium, Sacerdotium, & magiſtratus; per illa datur nobis gratia: per quam poſſimus dare gloriam Deo, & mereri nobis vitam æternam.

Tertium medium eſt ipſa gratia, quæ obtinetur

tur per Sacramenta, ab hac homo acquirit, principium aplicatiuum, & productiuum operum, quæ apta ſint obtinere finem legis, id eſt dare gloriam Deo, & mereri vitam æternam; hinc lex Chriſti ſtatuit gratiam acquiri per ſolam iuſtificationem, ſecundo, ſtatuit iuſtificationem fieri per applicationem meritorum Chriſti; tertio, ſtatuit hanc applicationem fieri per Sacramenta; quarto, Sacramenta ex lege dicta, non proſunt ſaltem in adultis, ſine bono vſu illorum; quinto, hic bonus vſus habetur per præparationem, quæ fit per actus fidei, ſpei, & charitatis ſupernaturalis; vnde Sacramenta ex ordinatione diuina, ſunt medium ad gratiam, & iuſtitiam obtinendam, & per illa applicatur nobis meritum paſſionis Chriſti. Quare ſit.

QVÆSTIO I.

De Baptiſmo, Confirmatione, Ordine, Matrimonio, & Extrema Vnctione.

ARTICVLVS I.

De conuenienti inſtitutione Sacramentorum, eorumque numero, & definitione.

SAcramentum eſt inuiſibilis gratiæ, ſignum ſenſibile ad noſtram iuſtificationem inſtitutum; per Sacramentum ergo intelligimus rem ſenſibilem, per quam ſi recte fiat, Deus infallibiliter ex ordinatione Chriſti confert gratiam, res ergo illa debet eſſe ſenſibilis, id eſt, habere materiam, & formam ſenſibilem, & à ſenſibus cognoſcibilem, deinde ſi recte fiat, confertur infallibiliter gratia gratum faciens legitime ſuſcipienti, hæc autem infallibilitas in Chriſti ordinatione fundata eſt: rem exemplo declaro, in Sacramento Baptiſmi materia eſt aqua, forma sũt verba, hic præſcindo à ſcholaſticis diſquiſitio-

ſitionibus, cum ad rem hanc non faciant.

Numerus, & inſtitutio Sacramentorum ſic probatur, & declaratur, ſicut enim vita naturalis hominis eſt medium, per quod Deus ordinat hominem ad finem naturalem, ita & ſpiritualis eſt medium, quo homo ordinatur à Deo ad finem ſupernaturalem: in regno autem gratiæ finis hominis eſt ſupernaturalis, atque adeo vita ſupernaturalis neceſſaria eſt; ſed in vita naturali ſeptem reperiuntur, quæ ſunt natiuitas, augumentum, cibus, medicina, reſtauratiuum virium, proles, & magiſtratus: atqui hæc omnia in vita ſpirituali dantur, & per Sacramenta habentur; nam *Baptiſmus* dat natiuitatem, confirmatio augumentum, *Euchariſtia* cibum; pœnitentia medicinam, extrema vnctio præſeruatiuum virium, matrimonium prolem, ordo magiſtratus, vnde concluſio concordat cum lumine naturali.

Præterea in quocumque regno bene inſtituto, plura debent ordinari, primo, neceſſe eſt dari ſacrificium, & cultum Dei; ſecundo, dari Sacerdotes, qui nomine publico, tanquam perſonæ digniores dent cultum Deo, & offerant Sacrificium, vt in lege ſcripta, Tribus leui ad hoc deputabatur; in lege naturæ primogeniti familiarum, item neceſſe eſt dari magiſtratus. qui populum regant. *Tertio*, neceſſe eſt habere milites, & manum armatam, vt poſſit ab inimicis regnum ſe tueri, quarto, opus eſt populis prouidere de neceſſarijs ad victum. Quinto, de medicis, & medicinis, & alijs ad ſanitatem tuendam pertinentibus. Sexto opus eſt curare vt legitima proles continuo in regno ſuccedat. Septimo curandum eſt, vt homines regni pacifice, & pie finem vitæ ſuæ concludant; hæc ſane omnia in quocumque regno bene ordinato requiri, nemo negare poteſt.

Nunc autem in ordinatiſſimo Chriſti regno, hæc dari à fortiori debent, quo ad Sacrificium. &

publicum cultum, nulla fuit natio tam barbara, regnum tam male ordinatum, quod ipſo luminis naturalis ductu, Authori naturæ cultum aliquem, & ſacrificium non exhibuerit, nam vt diſtinctione prima dixi, & iterum repeto, repetamque infra, multæ inuentæ ſunt nationes, ac gentes, quæ viuerent ſine vrbibus, ſine domibus, ſine principe; nuſquam tamen legimus exſtare vrbem, aut oppidum quibus nullus ſit Deus, nulla iuramenta, nullæ preces, nulla ſacrificia, prius enim videre poſſes talem gentem, talem vrbem, vel oppidum ſine ſole, quam ſine religione, aut Deo; vnde inter tot ſua idola, Deum in confuſo colebant, item regna, nationes, ac gentes prouident ſibi de alimentis, ergo hæc etiam dabuntur in regno Chriſti, nempe ſacrificium, & cibus, atqui Euchariſtia dat cibum, & ſacrificium, item Eccleſia viatorum dicitur militans, proinde armis indiget, hæc autem habentur in confirmatione à Chriſto inſtituta, deinde hoc ipſo, quo Eccleſia Chriſti dicitur regnum iuxta illud Danielis 2. *Regnum, quod in æternum non diſſipabitur*, Debet habere magiſtratus, & hi habentur ex Sacramento ordinis, à pœnitentia habentur medicamenta, & medici ab extrema vnctione pacifica, & fælix vitæ concluſio; ergo à primo ad vltimum, numerus, & inſtitutio Sacramentorum plurimum expediunt in Eccleſia Chriſti.

ARTICVLVS II.

De Baptiſmo, & Matrimonio.

BAptiſmum eſſe rem ſenſibilem habentem materiam, & formam ſenſibilem patet; eſſe Sacramentum à Chriſto inſtitutum patet Matth. vltimo, & Marci vlt. eius materia eſt aqua naturalis, forma, *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*, Ordinarius miniſter eſt parochus, in caſu vero

ro neceſſitatis, quiuis homo, vel mulier, modo aplicent debitam materiam, & formam, & intendant facere, ſecundum intentionem Eccleſiæ, de Baptiſmi cæremonijs ac ritibus, quos nunc adhibemus S. Baſilius lib. de Spiritu Sancto cap. 27. *Conſecramus aquã baptiſmatis, & oleum vnctionis, & ipſum præterea, qui baptiſmum accepit. Ex quibus ſcriptis. Nonne à tacita ſecretaque traditione.* Et ibidem recenſet alios ritus, vt ſunt renuntiare Satanę, trina immerſio, olei inunctio, ex traditione eſſe acceptos, de ijſdem teſtantur Chryſoſtomus, ſermone de Adam, & Eua S. Cyprianus lib. 1. epiſt. 12. Gregorius Nazianz. orationę in Sanctum baptiſmum. Ambroſius lib. 1. de ſacramentis capit. 1. & 7. Hieronymus contra Luciferianos. Auguſt. de ſymbolo ad cathecumenos lib. 1. de nuptijs, & concupiſcentia, & alij patres: quos omnes opponimus nouellis iſtis reformatoribus. Deinde ſtetit ſemper inconcuſſa indefectibilis, ac infallibilis Chriſti Eccleſia, eaque eſt Romana, ergo, cum hos habeat ritus, non erunt contrarij verbo Dei, cum non potuerit vnquam incidere in vllos errores.

Matrimonium, eſt Sacramentum inter Baptizatos, quo vir, & mulier ſibi mutuo legitime corpora ſua tradunt, ad perpetuam vitæ ſocietatem, vſum prolis ſuſcipiendæ, & remedium concupiſcentiæ: in matrimonio duo conſiderari poſſunt; primo, ratio contractus, ſeu conſenſus mutui duarum voluntatum; ſecundo ratio Sacramenti, ſiue ſigni ſenſibilis exprimentis externo aliquo ſigno illum mutuum conſenſum, & ſignificantis collationem gratię: Matrimonium, vt eſt contractus, inſtitutum fuit, Gen. 2. verſ. 33. *Hoc nunc os ex oſſibus meis & caro de carne mea, quamobrem relinquet homo patrem ſuum, et matrem, & adhærebit vxori ſuæ, & erunt duo in carne vna.* Vt autem eſt Sacramentum, fuit inſtitutum à Chriſto teſte D. Paulo ad Epheſ. 5. v. 32. *Et erunt duo in carne vna, Sacramentum hoc magnum eſt, ego au-*

tem dico in Chriſto, & Eccleſia. et Chriſtus ipſe illud ipſum memorat Math, 19. verſ. 16. *Erunt duo in carne vna, itaque iam non ſunt duo, ſed vna caro, quod ergo Deus coniunxit, homo non ſeparet.* Finis matrimonij, vt eſt contractus, eſt generare prolem, & vitare concupiſcentiam; vt eſt Sacramentum, conferre gratiam, cuius effectus eſt gratuita coniunctio vtriuſque animæ.

Ex dictis habetur, quod quamuis alter coniugum poſt mortem conſortis, ſeu alterius coniugis, poſſit nubere alteri, tamen poligamia eſt prohita, nam ſcriptura non dicit erunt quatuor vel quinque in carne vna, ſed duo: quod Chriſtus loco citato confirmat; *Non legiſtis, quia qui fecit hominem ab initio maſculum, & fœminam fecit eos;* Sic hominem diſtinxit, quo ad hoc à pecudibus, & Chriſtianum ab infidelibus, ſeu Turcis. Habetur ſecundo, matrimonij vinculum eſſe tam ſtabile, vt quamuis fiat ſubinde diuortium ob rationabiles cauſas, neutri tamen coniugum licet nubere, iuxta illud. Marci 10. verſ. 11. *Quicumque dimiſerit vxorem ſuam, & aliam duxerit, adulterium comittit ſuper eam: & ſi vxor dimiſerit Virum ſuum, & alij nupſerit, mœchatur.* Quid clarius.

ARTICVLVS III.

De confirmatione, extrema vnctione, & ordine, ac de his teſtimonia primitiuæ Eccleſiæ.

DE Sacramento confirmationis habetur act. 8. verſ. 14. *Cum audiſſent Apoſtoli, qui erant Ieroſolymis, quia recepiſſet Samaria verbum Dei, miſerunt ad eos Petrum, & Ioannem, qui cum veniſſent orauerunt pro ipſis, vt acciperent Spiritũ Sanctum etc. tunc imponebant manus ſuper illos, & accipiebant Spiritum Sanctum. Item cum vidiſſet Simon* (ſcilicet Magus) *quia per impoſitionem manus Apoſtolorum*

dare-

*daretur Spiritus Sanctus, obtulit illis pecunias dicens &c.*act.19.verſ.6. *His auditis baptizati ſunt in nomine domini Ieſu,& cum impoſuiſſet illis manus Paulus, venit Spiritus ſanctus ſuper eos.* Vbi nota hoc Sacramentum fuiſſe poſt baptiſmum ſuper additum, quod nunquam vtique,feciſſent Apoſtoli,niſi eſſet à Chriſto inſtitutum,& in his videat quiſquis volet,an credendum potius Apoſtolis , quam Caluino, Luthero, & ſequacibus .

Accedunt teſtimonia primitiuæ Eccleſię s.Hieronymi aduerſus Luciferianos , *Hæc eſt Eccleſiarum conſuetudo,vt ad eos,qui longè in minoribus Vrbibus per presbyteros,& diaconos, baptizati ſunt, Epiſcopus ad inuocationem Sancti Spiritus manum impoſiturus excurrat ;* Idem teſtatur Dionyſius Areopagita Eccleſiaſt.hierarchiæ c.2.p. 2. Clemens Alexandrinus lib.6. ſtromatum . Origines homilia 8.in leuiticum . Synodus nicæna canone 55.Arabico. Cyrillus Ieroſolimitanus catecheſi 3. Myſtagogica . Cyprianus epiſt.72. Ambroſ.lib.3.de Sacramentis cap.2. Aug. Tract.6.in epiſt. Ioannis .

De Extrema vnctione legimus Iacobi 5. verſ. 14. *Infirmatur quis in vobis inducat presbyteros Eccleſię, & orent ſuper eum,vngentes eum oleo in nomine Domini .* Dicent ſectarij ſe non admittere hanc epiſtolam, peto ego quare , aut qua authoritate eam negant, ſi enim ideo negant illam quia facit expreſſam mentionem de bonis operibus, certe totam ſcripturam debent etiam negare , in qua toties fit mentio de meritis bonorum operum. Deinde citant hanc epiſtolam , & Sacramentum hoc aſſerunt Origenes homil.8.in Leuiticum citans hæc ipſa verba. Ioannes Chryſoſtomus lib.3. De Sacerdotio . Cyrillus Alexandrinus de adoratione in ſpiritu lib. 6. Hieronymus ad cap. 14.Oſee.Aug.lib.2.De viſitatione infirmorum cap.4. Quibus ſane credendum potius quam ineptis nouatoribus.Accedit illud Marci 6. verſ. 13. *Vngebant oleo multos ægros,& ſanabant ;* Vtique ex-

preſcripto Chriſti, quem tunc inſtituiſſe hoc Sacramentum, multi graues authores affirmant, certè niſi ab eo inſtitutum eſſet, Iacobus id non aſſereret.

Deinde ratione ſic ſuaderi poteſt, ſicut natiuitati hominis mors correſpondet in natura, ita in vita ſpirituali principium & finis ſe reſpiciunt, ſicut ergo ad natiuitatem ſpiritualem datus eſt baptiſmus, ita ad mortem bene obeundam debuit dari ſpeciale Sacramentum, quale eſt hoc: ergo ſicut datur ſpecialis gratia pro ingreſſu ad regnum Chriſti in hoc mundo, ſcilicet eccleſiam, ita debet dari ſpecialis gratia pro tranſitu.

De ordinis Sacramento habemus aperta ſcripturæ teſtimonia Ioan. 20. verſ. 22. *Hæc cum dixiſſet, inſuflauit, & dixit eis accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta ſunt.* Vbi & externus ritus promiſſio remittendi peccata, & collatio gratię clare cernuntur. Item 2. ad Tim. 1. verſ. 6. *Admoneo te, vt reſuſcites gratiam Dei, quæ eſt in te per impoſitionem manuum mearum*, & 1. ad Tim. 4. verſ. 14. *Noli negligere gratiam, quæ in te eſt, quæ data eſt tibi per prophetiam cum impoſitione manuum Presbyterij.* Act. 13. verſ. 2. & 3. *Segregate mihi Saulum, & Barnabam in opus ad quod aſſumpſi eos, tunc ieiunantes, & orantes, imponenteſque eis manus dimiſerunt illos.* Vnde habemus Chriſtum inſtituiſſe hoc Sacramentum in vltima Cęna. Vt definit. Trid. dum dixit Lucæ 22. verſ. 19. *Hoc facite in meam commemorationem*, vbi Apoſtolos inſtituit Sacerdotes, & loco citato Ioannis dedit eis iuriſdictionem, habemus Apoſtolos cõtuliſſe idem Sacramentum, vt ex citatis etiam locis conſtat.

De hoc Sacramento meminere Dionyſius Areopagita Eccleſiaſticæ hierarchiæ cap. 1. & 5. Iuſtinus Dialogo cum Triphone. Irenæus lib. 4. cap. 20. Origenes Homilia 3. in Cantica, Concilium Nicænum primum canone 4. & can. 10. Athanaſius Epiſt. ad om-

nes

nes vbique orthodoxos, Baſilius Magnus lib. de baptiſmo. Ioannes Chryſoſtomus Homilia 5. de verbis Iſaiæ *Vidi Dominum*. Ambroſius Epiſt. 82. Aug. Ep. 19. ad Hieronymum, & alij plures primitiuæ eccleſiæ Patres, & Concilia, cum quibus hodie idem tenet, & ſentit Romana eccleſia. Vnde iudicet, qui volet an ſcripturis manifeſtis, Patribus integerrimis, quibus nulla fuit cauſa mentiendi, credẽdum potius, quã neſcio cui fędifrago monacho, vel ſtigmatico perfugæ.

ARTICVLVS IV.

De Cælibatu Eccleſiaſtico.

CHriſtus Math. 18. verſ. 12. inquit, *Sunt Eunuchi qui ſeipſos caſtrauerunt propter Regnum Cælorum, qui poteſt capere capiat.* Vbi aperte hortatur ad cælibatum; ad eundem hortatur Apoſtolus 1. ad Corinth. 7. verſ. 7. *Volo enim omnes vos eſſe, ſicut meipsũ.* verſ. 8. *Dico autem non nuptis, & viduis, bonum eſt illis, ſi ſic permaneant, ſicut & ego*, & verſ. 27. *Alligatus es vxori? noli quærere ſolutionem. Solutus es ab vxore? noli quærere vxorem*, & verſ. 32. *Qui ſine vxore eſt, ſollicitus eſt, quæ Domini ſunt, quomodo placeat Deo, & mulier innupta, & virgo cogitat quæ Domini ſunt, vt ſit ſancta corpore, & ſpiritu.* Vel ergo licitus eſt cęlibatus eccleſiaſticus, vel non? ſi non, cur ad illum hortatur Chriſtus, cur hunc eundem ſuadet toties ad ſui exemplum Apoſtolus; ſi licitus eſt, ergo laudabiliter, & ſanctè eccleſia Romana ad ſacrorum Ordinum exercenda officia, non niſi cælibes admittit, hoc eſt, qui continentiam perpetuam ſeruare voluerint, dicere autem cælibatum eſſe impoſſibilem, eſt blaſphemare contra Chriſtum, & Apoſtolum, quod rem impoſſibilem mundo ſuaſerint.

Probatur 2. ex ipſa ſectariorem oppoſitione, quam inferunt ex illis Apoſtoli verbis 1. ad Tim. 3. verſ. 2. *Oportet Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe,*

quomodo eſſet vidua, non minus ſexaginta annorum, vnius viri vxor; vultne Apoſtolus, vt vetula tot annorum iterum nubat, cum vt vidimus, moneat etiam Virgines obſeruare cælibatum? iubet ergo eligi viduam, quæ habuit vnum tantum maritum, & deinceps viuat cælebs, quando itaque, dicit eligendum in Epiſcopum diaconum, vel presbyterum virum vnius vxoris, ille ſolus intelligitur, qui poſt primam vxorem defunctam, deinceps viuat in cælibatu, deinde ipſe Apoſtolus ſic vixit, ſic vixere perpetuo cælibes Timotheus, & Titus, vt patet ex 1. ad Tim. 4. verſ.24. *Exemplum eſto fidelium in verbo, in fide, in caſtitate.* Et ad Titum 1. verſ.7. *Oportet Epiſcopum ſine crimine eſſe, ſobrium, iuſtum, Sanctum, continentem,* Ideſt caſtum, vt colligitur, ex 1. ad Corinth. 7. verſ.9. *Quod ſi non ſe continent, nubant.*

Confirmatur primo ex iiſdem Apoſtoli verbis, non enim dicit, oportet Epiſcopum habere vnam vxorem, ſed vnius vxoris virum, nec ait oportet eum filios procreare vel gignere) quid ſi enim eſſet ſterilis, iam ſi credamus ſectarijs, arcendus eſſet ab Epiſcopatu) ſed inquit habentem filios ſubditos in omni caſtitate. Confirmatur ſecundo ex conſenſu primitiuæ eccleſiæ, ſic enim docet Origines Homil.17. in Lucam, & 4. in Leuiticum. Euſebius cæſarienſis demonſtrat. Euangelica cap.9. concilium Nicenum primum can.3. *Interdixit per omnia magna Synodus, non Epiſcopo, non presbytero, non diacono, nec alicui omnino qui in clero eſt, ſubintroductam habere mulierem niſi forte aut matrem, aut ſororem, aut amitam, vel eas tantum perſonas quæ ſuſpicionem eſfugiunt.* His adde Concilium Carthaginenſe ſecundum, can.2. S. Ambroſium qu.82. S. Aug. lib. de adult. coniug. c.20. In hoc puncto Romana eccleſia ſequitur verbum Dei, & primitiuam eccleſiam, adeoque cum illa ſola ſit vera Chriſti eccleſia, in hoc non poteſt errare.

QVÆSTIO II.

Se Sacramento Pœnitentiæ.

ARTICVLVS I.

De Inſtitutione, neceſſitate, & virtute huius Sacramenti.

NOta duplicem eſſe pœnitentiam, vnam internam coram Deo, quæ dicitur virtus, aliam externam coram Sacerdote, quæ fit per confeſſionem, de prima non eſt controuerſia, cum omnes pene chriſtiani illam admittant, de ſecunda procedit difficultas; & poteſt ſic declarari. *Pœnitentia externa eſt actus iudicialis conſtans ex legitima confeſſione peccatoris, & ex legitima abſolutione Sacerdotis*; Legitima autem confeſſio eſt illa, quæ habet coniunctum dolorem, & ſatisfactionem, abſolutio eſt illa, quæ datur á Sacerdote habente authoritatem; vnde hoc etiam ſacramentum ſignificat iuſtificationem peccatoris; iuſtificatio vero duo dicit, primo, remiſſionem peccatorum, ſecundo, collationem Gratiæ.

Quod autem ſit ſacramentum inſtitutum á Chriſto pro remiſſione peccatorum poſt baptiſmum commiſſorum. Probatur 1. Ioannis 20. verſ. 20. & deinceps. *Pax vobis ſicut miſit me pater, & ego mitto vos hæc cum dixiſſet, inſufflauit, & dixit eis, accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt.* Nota ſingula, *Sicut miſit me pater*, inquit, *et ego mitto vos.* Vtique pater miſerat eum ad annunciandum Annum Iubilęi, & remiſſionem peccatorum; & ipſe venit liberare nos à peccatis, ecce quomodo ad idem munus mittit Apoſtolos *Quorum remiſeritis peccata? remittuntur*, Hic deſignatur conceſſa poteſtas. Per-

pen-

pende verba, ait *Peccata*. Quid iam intelligitur per peccata? verba Dei inquiunt hæretici, ò diuinos Interpretes? ergo verba Dei ſunt peccata; certe Chriſtus paſſim hac phraſi vtitur, *Remittuntur tibi peccata*, & in ſymbolo legimus *Remiſſionem peccatorum*, Ergo hæc verba ſunt accipienda in propria, & litterali ſignificatione.

Probatur 2. Ex illo Math. 18. *Amen dico vobis, quæcumq; alligaueritis ſuper terram, erũt ligata, et in Cœlo, et quæcumq; ſolueritis ſuper terram, erunt ſoluta & in Cœlo*, quæ verba præter quam quod ſignificent poteſtatem definiendi in Concilijs, vt vidimus diſtin. 3. Faciunt etiam ad rem hanc. Sicut etiam verba illa Chriſti ad D. Petrum Math. 16. *Tibi dabo claues regni Cœlorum, quodcumque ligaueris ſuper terrã erit ligatũ, & in Cœlis, & quodcumque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum, & in Cœlis*. In hac autem ampliſſima poteſtate D. Petro, & ſucceſſoribus conceſſa includitur etiam facultas remittendi peccata, nam cum peccata excludant à Regno cœlorum, & gratia in illud introducat, per claues vtique intelligenda videtur poteſtas remittendi, & retinendi peccata, ſi enim remittit peccata, introducit, ſi non remittit, excludit, idem eſt de ligare, & ſoluere; peccata enim ſunt vincula animæ, & pœnæ ſunt vincula peccantium, ideo ſoluere eſt liberare à peccatis, ligare eſt pœnis afficere, ligare enim, & ſoluere non referuntur hic ad corpus, ſed ad animã, in anima vero cõſideratur virtus, & vitium, in vitio culpa, & reatus pœnæ, quæ ligant animam, ergo ligare, & ſoluere in regno Chriſti, ſeu Eccleſia, eſt ſoluere à culpa, & ligare pœnis.

Hinc apparet virtus, & neceſſitas huius Sacramenti, nam ius naturale docet, tranſgreſſiones legum ad magiſtratus, ac Iudices deferendas, vt ab illis puniantur, ergo ſimiliter recte in Eccleſia peccata fidelium deferuntur ad magiſtratus Eccleſiæ, vt corrigantur, deinde cum inter duos inimicos re-

conciliatio facienda eſt, non ſufficit quod pars offendens doleat de offenſa, cum non poſſit, ſibi facere remiſſionem offenſæ alteri factæ, quare requiritur, vt etiam pars offenſa faciat per ſe, vel per alium remiſſionem offenſæ, cum itaque, in remiſſione peccatorum inter peccatorem, & Deum] fiat reconciliatio, conuenit, vt ex parte peccatoris fiat confeſſio, & ex parte Dei per ſacerdotem fiat abſolutio. Hinc Chriſtus mittebat leproſos, qui ſignificabant peccatores, ad ſacerdotes; hinc in lege veteri, pro remittendis peccatis offerebantur quędam ſacrificia, vt Leuitici 14. & 15. verſ. 16. Quod autem olim fiebat per ſacrificia à Sacerdotibus oblata, hodie fit per abſolutionem à ſacerdote datā exemplo Chriſti, qui in remiſſione peccatorum protulit verba abſolutionis, vt videre eſt in Magdalena, & paralytico.

De hoc pænitentiæ ſacramento accednnt teſtimonia primitiuæ Eccleſiæ, Baſilij magni, regula 88. *Oportet vt ijs fiat confeſſio peccatorum, quibus diſpenſatio myſteriorum Dei concredita eſt.* Tertull. lib. de pænitentia memorans partes pænitentiæ, *Pro peccatis nimirum ieiunijs preces alere, ingemiſcere, preſbyteris aduolui, Aris adgeniculari,* idem aſſerunt Origenes in pſal. 32. Dionyſius Areopagyta ad Demophilum, Euſebius lib. 5. Hiſtor. cap. 27. lib. 6. c. item 27. S. Cyprianus lib. de bapriſm. *Hoc ipſum* (Sc. peccatum) *Apud ſacerdotes Dei dolenter, & ſimpliciter confitentes oxomologeſim conſcientiæ faciunt.* S. Aug. lib. 50. homiliarum hom. 49. *Accipite pœnitentiam, qualis agitur in Eccleſia, nemo ſibi dicat occulte ago, apud Deūm ago; ergo ſine cauſa dictum eſt; quæ ſolueritis in terra, ſoluta erunt in Cælo? fruſtramus Euangelium? fruſtramus verba Chriſti?* Idem habet lib. 22 Contra fauſtum cap. 29. & epiſt. 180. Ad Honoratum, & lib. 20. de Ciuit. Dei cap. 9.

AR-

ARTICVLVS II.

De Materia, & forma. ſeu de partibus pænitentiæ.

EX parte pænitentis tria ſunt, ſcilicet, contritio, confeſſio, & ſatisfactio, ex parte ſacerdotis abſolutio; materia remota ſunt peccata, materia proxima ſunt tria illa enumerata, forma eſt abſolutio. Contritio ergo in communi eſt dolor, ac deteſtatio peccati commiſſi cum propoſito emendandi, vt habet Trid. ſeſſ. 14. & diuiditur in perfectam, quæ abſolute ſic dicitur, & in imperfectam quæ dicitur attritio, perfecta eſt, quæ elicitur ex motiuo charitatis propter Deum ſumme dilectum & hæc ſola mox iuſtificat, cum voto tamen, & ordine ad cõfeſſionem poſtea faciendam. Imperfecta eſt, quæ ex inferiore motiuo, ſupernaturali tamen concipitur, & hæc ad ſacramentum hoc ſufficit, modo ſit attritio formalis, ſupernaturalis, efficax, & vniuerſalis reſpectu mortalium, hac declaratione præmiſſa.

De Contritione.

NVnc probatur contritionem perfectam, vel ſaltem imperfectam, in ſenſu prædicto requiri Pſalm. 50. v. 17. *Cor contritum, & humiliatum Deus non deſpicies.* Iſaiæ 66. verſ. 2. Ad *quem autem reſpiciam, niſi ad pauperculum, & contritum ſpiritu.* Et c. 38. verſ. 15. *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ,* Ioelis 2. v. 12. *Conuertimini ad me in toto corde veſtro, in ieiunio, & fletu, & planctu, & ſcindite corda veſtra, & non veſtimenta veſtra.* In quibus omnibus inter alias pænitentiæ partes numeratur etiam contritio, vt quid requiſitum.

De confeſſione.

REquiri præterea confeſſionem peccatorum factam Sacerdoti habenti authoritatem, probatur ex illo Ioan. 20. *Quorum remiſeritis peccata, remittentur eis, & quorum retinueritis retinentur.* Vnde ſic diſcurro; illi facienda eſt confeſſio, cui conceſſa eſt authoritas remittendi peccata, ſed presbyteris conceſſa eſt hæc poteſtas, ergo illis facienda eſt confeſſio, nam ibi aperiendum eſt vulnus, vbi reperiri poteſt medicina, ſed pro peccatorum vulneribus haberi poteſt à ſolis ſacerdotibus, tanquam Dei Miniſtris, ergo ſoli ſacerdotes poſſunt remittere peccata, tanquam Dei Miniſtri, eiſque ſolis debet fieri confeſſio, quando quidem in hoc miniſterio ſuccedant Apoſtolis, qui licet ſint mortui, ipſorum tamen miniſterium, aut iuriſdictio, non euanuit, nam ſicut perpetuo, & indefectibiliter datur in terris vna viſibilis, ac infallibilis eccleſia, quæ de generatione in generationem, ſemper tranſit, ſemperque in ſuis ouibus ſibi ſuccedit, ita eſt ſemper eadem eccleſia in ſuis Miniſtris ſemper tam ſibi inuicem in eadem iuriſdictione, & prærogatiua ſuccedentibus, quam miniſtri primitiuæ eccleſiæ ſucceſſerunt immediate Apoſtolis, qui ſuo tempore erant Dei miniſtri, vt inquit Apoſtolus 1. ad Corinth. 4. *ſic nos exiſtimet homo, vt miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum Dei.*

Quod autem peccatorum numerus debeat exprimi ſimul cum circumſtantijs aggrauantibus, colligitur ex act. 19. verſ. 17. & 18. *Cecidit timor ſuper omnes illos, & magnificabant nomē Domini Ieſu, multiq; credentium veniebant confitentes, & annunciātes actus ſuos, multi autem ex eis, qui fuerant curioſa ſectati contulerunt libros, & combuſſerunt coram omnibus.* Hic legimus confeſſionem particularium peccatorum. Cauſa fuit, quia cecidit timor ſuper omnes

illos,

illos, & annunciabant actus ſuos, quid eſt annunciare actus ſuos, niſi exprimere in particulari ſingulos, & ratio eſt, quia cum ſacerdos in hoc tribunali pœnitentiæ ſit iudex, non poteſt vel imponere debitam ſatisfactionem, vel remittere aut retinere peccata, niſi illa cognoſcat, nemo enim iudicare poteſt cauſam, quam ignorat, nec ſcire an grauis, an leuis ſit culpa, niſi cognoſcat circumſtantias; præterea cum omnes Chriſtiani teneantur diligere Deum, & vera Dei dilectio non poſſit elici ſine deteſtatione peccatorum, neceſſe eſt Confiteri noxas ad obtinendam veniam, & ad redeundum in gratiam, & amicitiam, quare ſingula peccata, quæ memoriæ occurrunt debent exprimi, cum ſingula petant dimitti, & Chriſtus ſine vlla exceptione generatim dicat, *Quorum remiſeritis peccata remittuntur eis*; Vnde patet neceſſitas abſolutionis.

ARTICVLVS III.

De Satisfactione.

ADuerte etiam hic ex Reuerendiſſimo condomenſi, quod, cum Chriſtus ex infinita dignitate ſuæ perſonæ, ſatisfecerit pro omnibus noſtris peccatis, duobus tamen modis potuit, hanc ſatisfactionem nobis applicare. Primo modo, per abolitionem totalem omnium noſtrorum peccatorum, abſque reſeruatione vllius pœnæ: ſecundo modo, per commutationem maioris pœnæ, in minorem, id eſt, pęnæ æternæ in temporalem. Quia primus modus abolendi eſt integrior, eo vtitur in baptiſmo; ſed credimus, quod vtatur ſecundo modo, in remittendis peccatis poſt baptiſmum commiſſis, cum ad id quodammodo cogatur, ex ingratitudine peccatoris abutentis donis illi conceſſis, ita vt debeat luere pęnam temporalem, eſto æterna ſit ei remiſſa.

Vnde

miſſa Moyſi, non tamen pæna, nempe mori abſque eo, quod intraret in terram Chanaan. Et clarius 2. Reg. 12. v. 13. *Et dixit Dauid Nathan, peccaui domino; dixitque Nathan ad Dauid, Dominus quoque tranſtulit peccatum tuum, non morieris, verumtamen quoniam blaſphemare feciſti inimicos Domini, propter verbum hoc, filius, qui natus eſt tibi, morte morietur.* Vbi vides Deum, culpa dimiſſa, exegiſſe pęnam, ſeu ſatisfactionem.

Item mors eſt pęna peccati originalis; vt inquit Apoſtolus ad Rom. 5. verſ. 12. *Per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors;* Remiſſa tamen culpa originali, ſemper remanet pęna ſoluenda, nempe mors; ergo licet remittatur offenſa, ſupereſt ſatisfactio danda, vt vlterius patet. Iob. 42. verſ. 6. *Ago pœnitentiam in fauilla, & Cinere;* Math. 11. verſ. 21. *Væ tibi Corozain, væ tibi Bethſaida, ſi in Tyro, & Sydone, factæ eſſent virtutes &c. olim in cilicio, & cinere pœnitentiam egiſſent:* Patet etiam ab exemplo Niniuitarum Ionæ 3. & alibi in veteri teſtamento paſſim, ergo licet remittantur peccata in Sacramento pœnitentiæ, virtute meritorum Chriſti, ad huc debet fieri ſatisfactio.

Nunc perpendat quiſquis volet, an non Eccleſia Romana ſit recte conformis verbo Dei, dum exacte obſeruat partes pœnitentiæ, & ſicut vera Chriſti eccleſia perpetuo durauit, & eſt infallibilis, cumque illa ſola ſit eccleſia Romana, vt probaui diſt. præcedenti, certe ſequitur, eccleſiam Romanam in hoc articulo de Sacramento pœnitentiæ nouam non introduxiſſe doctrinam, vt Blaterat VitaKerus contra Duræum lib. 17. & alij ſectarij nec vllum contraxiſſe errorem, & conſequenter illam ſolam habere conformitatem cum verbo Dei, & primitiua eccleſia.

QVÆSTIO III.

De venerabili Euchariſtia Sacramento.
Theſis Catholica.

IN Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento, vere, realiter, & ſubſtantialiter continetur corpus, & ſanguis vna cum anima, et diuinitate Domini noſtri Ieſu Chriſti, fitque conuerſio totius ſubſtantiæ panis in corpus, & totius ſubſtantiæ vini in ſanguinem, quam conuerſionem catholica Eccleſia tranſubſtantiationem appellat.

ARTICVLVS I.

Adducuntur probationes ex Capite ſexto S. Ioannis Euangeliſtæ.

NOta Chriſtum loqui hic de re, quæ ſit creditu difficilis, vt patebat ex oppoſitione Capharnaitarum, qui Caluaniſtarum in hoc Sacramento negando erant anteſignani: hinc antequam Chriſtus eandem rem proponeret, patrauit magnum illud miraculum, quo ex quinque panibus hordaceis, & duobus piſcibus multiplicatis, pauit quinque hominum millia, ita vt ſuperfuerint duodecim cophini fragmentorum. Nota 2. Chriſtum in hoc capite magnifice loqui de hoc cibo longe præcellentiſſimo, illum enim vocat cibum Cæleſtem, panem de Cælo deſcendentem, viuum, viuificantem, qui à patre datur, qui dat vitam mundo, annexam habet reſurrectionis, ac vitæ æternæ promiſſionem, mortis vero comminationem, niſi manducetur; & proinde quia rem magni momenti dicebat, adhibuit iuramentum octies repetitum, ſcilicet *Amen*. Nimirum ad maiorem certitudinem, & confirmationem rei, de cuius veritate potuiſſet eſſe dubium, vel diffidentia.

Quare percurramus ſingula Chriſti verba,ergo eodem illo cap.6.verſ.32. *Dixit ergo eis Ieſus, amen, amen dico vobis , non Moyſes dedit vobis panem de Cælo,ſed pater meus dat vobis panem de Calo verum ;* Primo præmittit Amen bis, quia contra obſtinatam Iudæorum Incredulitatem,vnicum erat remedium iuramentum,vt,inquit Apoſtolus ad Heb.6.verſ.28. *Per duas res immobiles, quibus impoſſibile eſt mentiri Deum.* Mollirentur duriſſimi Hæbræi , Caluiniſtæ , puritani , &c. in primis per illa verba non Moyſes &c. hunc panem opponit mannæ,& ſeipſum opponit Moyſi, vnde ſicut figura præcedit figuratum, & neceſſario figuratum ſuccedit figuræ , figurabat Chriſtum,& manna Euchariſtiam, & ſic Chriſtus ſucceſſit Moyſi, & Euchariſtia mannæ,vt patet ex ſequentibus verbis verſ.48. *Ego ſum panis vitæ, Patres veſtri manducauerunt manna in deſerto,& mortui ſunt, hic eſt panis de Cælo deſcendens,vt ſi quis ex ipſo manducauerit, non moriatur* , vbi vides *manna* Velut figuram præceſſiſſe,nec fuiſſe iſtius efficaciæ, cuius eſt Euchariſtia,proinde ſequitur Chriſtus, *Ego ſum panis viuus qui de Cælo deſcendi , ſi quis manducauerit ex hoc pane,viuet in æternum,& panis,quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita .*

Perpende verba, nota myſteria, *Hic eſt panis de Cælo deſcendens,ſi quis manducauerit ex hoc pane,viuet in æternum.* Sed figura panis non deſcendit de Cęlo, neque habet vim dandi vitam æternam , ſicut nec habuit manna,quod fuit figura huius Sacramenti,deinde pergit Chriſtus *Panis, quem ego dabo Caro mea eſt pro mundi vita.* Quid eſt hoc , *Panis quem ego dabo,caro mea eſt?* Figura inquiunt hæretici,ergo caro Chriſti non eſt vera caro,ſed figura carnis,probo,ſtante ſectariorum Gloſſa,ille panis hic promittitur à Chriſto, qui ſit eius caro, quæ debuit dari in cruce pro mundi vita,ſed ſecundum ſectarios ; ille panis non eſt, nec debuit eſſe vera Chriſti caro, ſed figura carnis , ergo cum Chriſtus dicat ſe daturum

illum panem, qui ſit caro eius pro mundi vita, non dedit pro mundo niſi veram figuram carnis, conſequenter ſi vera eſt ſectariorũ ſentẽtia, Chriſtus nõ eſt vere paſſus in Cruce, quod eſt blaſphemare, ſi autem vere paſſus eſt, & vere caro eius data eſt, conſequenter panis quem promittit Chriſtus, eſt vere caro Chriſti.

Inſtant Sectarij, vocatur hoc Sacramentum panis, ſed panis non eſt corpus Chriſti; contra, ſolet, ſcriptura vocare aliquid nomine illius rei, ex qua factum eſt, ſicut homo dicitur puluis, & terra, gen. 3. verſ. 19. Non quod maneat forma terræ in eo, ſed quod ex terra ſit formatum corpus hominis, ſic gen. 2. verſ. 23. *Hoc nunc os de oſſibus meis, & caro de carne mea*, inquit Adam de Eua. Sic exodi 7. verſ. 12. Coluber dicitur virga, *Sed deuorauit Virga Aaron, virgas eorum*. Sic Math. 11. verſ. 5. dicitur, *Cæci vident, claudi ambulant*; Ergo ſimiliter ſic Sacramentum hoc ex pane tranſubſtantiato in corpus Chriſti dicitur panis.

Litigabant ergo Iudæi ad inuicem dicentes: quomodo poteſt hic nobis carnem ſuam dare ad manducandum? Litigant hodie Caluiniſtæ, Puritani, Zuingliani, quomodo poteſt hic nobis carnem ſuam dare ad manducandum? ergo eandem hi difficultatem hodie mouent, quam olim Iudæi mouerant? vel ergo Chriſtiani in hoc puncto debent plus credere Chriſto, quam tunc Iudæi, vel non? ſi non, ergo in hoc puncto aduerſarij eandem cum Iudæis tundunt incudem, ergo illud ipſum contra Euchariſtiã obijciunt, quod obiecere Chriſto Iudæi, & ſic cum Iudæis conueniũt, ſi debent plus credere, quam Iudæi, tunc ſic vrgeo, ſed Iudæi nunquam litigauerunt de vera figura corporis, nec grauare id ipſum admitterent pagani, vel Mahometani, ſicut ſine vlla difficultate credunt, *Hederam præforibus ſuſpenſam eſſe ſignum vini venalis, mutuũ contactum manum eſſe ſignum amicitiæ.* Ergo ſi plus credendum, quam credidere Iudæi, creden-

dum

dum in Euchariſtia aliquid plus eſſe, quam figuram.

Vt probo ex verbis ſequentibus verſ. 54. *Dixit ergo eis Ieſus, amen, amen dico vobis, niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis, qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam, & ego reſuſcitabo eum in nouiſſimo die.* Bis hic repetit Chriſtus carnem, & ſanguinem, item neceſſitatem abſolutam manducandi, & bibendi. Item verſ. 56. Repetit *Caro mea vere eſt cibus, & ſanguis meus vere eſt potus, qui manducat meam carnem, & bibet meum ſanguinem, in me manet, & ego in illo.* En iterum tertio repetit carnem, & ſanguinem. Proh! Deũ immortalem? quid eſt loqui expreſſe de reali preſentia carnis, & ſanguinis, niſi hoc ſit? quid eſt veritatem corporis Chriſti in Euchariſtia contra obſtinatam incredulitatem inculcare, niſi hoc ſit? Quid ad hæc proterua hæreſis? figuram iterum inclamat; ergo ſimiliter omnia ſcripturæ loca, omnes textus ad tropos reducenda erunt, & ſic non vera, ſed tropica erunt myſteria incarnationis, Trinitatis, paſſionis, mortis, reſurrectionis, aſcenſionis, deinde non tropice aut fuiſſe prolata à Chriſto, aut intellecta à circumſtantibus probant ſequentia verba *Durus eſt hic ſermo, & quis poteſt eum audire?* Cur eſſet durus ſi eſſet de ſola figura?

Vnde ſic inſto, vel ideo ſectarij volunt hęc verba debere potius intelligi figuratiue, quam litteraliter, quia ſic dicit ſcriptura expreſſe, vel quia ratio naturalis, non capit quomodo poſſint intelligi in ſenſu literali, vel quia ſic putant ſcripturam in hoc loco debere intelligi, ſed ſcriptura nullibi dicit ſupradicta verba eſſe intelligenda figuratiue, vel oſtendant vbi id doceat ſcriptura expreſſe? ſi ob rationis naturalis incapacitatem, ergo ſic neganda erunt omnia fidei noſtræ myſteria, cum illa ſuperent captum rationis naturalis, ſi denique, quia ſic exponenda videtur ſcriptura: contra, illa expoſitio patietur vitia recen-

ſita diſtinctione 1.partis 1. deinde cominatio mortis hic facta, intelligenda eſt literaliter; ergo manducatio per quam vitatur mors, debet intelligi literaliter.

ARTICVLVS II.

Expenduntur verba inſtitutionis, & per illa probatur realis præſentia.

CVm præcedentibus conſonant verba inſtitutionis Math.26. verſ.26. *Cœnantibus autem eis accepit Ieſus panem, & benedixit, ac fregit, deditque diſcipulis ſuis, & ait, accipite, & commedite, hoc eſt corpus meum, & accipiens calicem gratias egit, & dedit illis dicens, Bibite ex hoc omnes, hic eſt enim ſanguis meus noui teſtamenti, qui pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum.* Marci 14.verſ.22. *Et manducantibus illis, accepit Ieſus panem, & benedicens fregit, & dedit eis, & ait, ſumite, hoc eſt corpus meum, & accepto calice gratias agens dedit eis, et biberunt ex illo omnes, & ait illis, hic eſt ſanguis meus noui teſtamenti, qui pro multis effundetur.* Lucæ 22.verſ. 19. *Et accepto pane gratias egit, & fregit, & dedit eis dicens, hoc eſt corpus meum, quod pro vobis datur, hoc facite in meam commemorationem, ſimiliter, & Calicem poſtquã cœnauit dicens; hic eſt calix nouum teſtamentum in meo ſanguine, qui pro vobis fundetur.*

Vbi nota, quod tres Euangeliſtæ vtantur eiſdem verbis, & dicant, *Eſt corpus meum, & ſanguis meus;* vbi *eſt* ſignificat veram, & realem exiſtentiam rei, nota, etiam quod hæc loca literaliter cum illis locis Io: 6.art.præced. citatis concordent, & ſic ſcriptura per ſcripturam explicatur, denique nullam eſſe hic cauſam, cur a ſenſu litterali ſit recedendum; alioquin hic ſi eſſet tantum panis, de pane verificaretur corpus Chriſti, hoc eſt natura diuerſa, ſeu diſparata, quod eſt contra omnem loquendi modum, valet enim argumentum, ſi hoc eſt lac, non eſt ferrum, ita etiam

vale-

valebit, ſi hoc eſt corpus Chriſti, non eſt panis, cum repugnet vnam naturam de altera diuerſa dici, niſi ambæ ſint in eodem ſuppoſito, ergo hic ſiſtendum eſt in litterali ſenſu, alioquin duæ naturæ diuerſæ, ac diſparatæ de ſe inuicem, non habentes vnitatem ſuppoſiti, dicentur.

Verum contra verba tam expreſſa obſtinatam opponunt voluntatem ſectarij, & mille gyros, mille fingunt Chymeras, alij metaphoram, alij figuram, alij metonymiam excogitant, alij alio velut nauis ſine velis, ſine clauo huc illuc fluctuant, apud quos ducentas expoſitiones diuerſas prædictorum verborum, enumerat Chriſtopherus Raſpergerus. Tandem vnicum petunt refugium à tropis, ſeducti, & excæcati tropiſtæ; ſed hanc dementiam præuidens æterna ſapientia ex ipſis verbis luculenter eos confundit. *Hoc* inquit Lucę 22. *Eſt corpus meum, quod pro vobis datur*, & 1. ad Corinth. 11. verſ. 24. *Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis tradetur.* Sed Blaſphemum eſt dicere, quod tãtum tropus, figura, methaphora, vel Metonymia fuerit pro nobis data, ergo illud eſt Corpus Chriſti hic, quod pro nobis tradebatur, ergo Chriſtus in vltima Cęna ſub ſpeciebus panis, verum ſuũ corpus tradidit. Deinde inquit, *Hic eſt ſanguis meus noui teſtamenti; qui pro multis effundetur, in remiſſionem peccatorum.* Id ipſum repetit Lucas, & Marcus, ille, *Qui pro multis effundetur*, Hic *Qui pro vobis fũdetur.* Sed iterum impium, & blaſphemum eſt dicere, ſolã figurã ſanguinis fuiſſe fuſam pro nobis, ergo ſi fides vlla adhibenda Chriſto, ſicut verũ pro nobis effudit ſanguinẽ, ita verum ſanguinem dedit diſcipulis.

Vnde Lutherus ipſe Aduerſarius noſter ad Argentinenſes, fatetur textum Euangelij eſſe nimis apertum, & potentem, qui facile conuelli non poteſt, & Philippus Melanchton ipſius aſſecla ad Fredericum Mijconium. *Si pro corpore figuram corporis accipias, quid non poterit elidi, ſic licebit totam religionis formam transformare.* Sic inquam ego, licebit dice-

re Patrem, Filium, & Spiritum ſanctum tria tantum nomina eſſe vnius Dei, non tres perſona, vt vult impius *Seruetus*. Chriſtum aſſumpſiſſe carnem, ſed phantaſticam, paſſum mortuum, ſed per imaginem tantum, item non niſi per tropum Euangelia, eſſe Euangelia. Sic tropice Chriſtum eſſe Chriſtum, Deum eſſe Deum, vt ſic latam ſibi ſectarij ſternant ad Atheiſmum viam, ſic item Arianus quiſpiam eodem prætenſo iure poterit hanc propoſitionem, *Verbum caro factum eſt*, Figurate accipere, item, *Hic eſt filius meus dilectus*, Improprie intelligere, & ſumere, tandem dubitari liceret, an vnquam ſerio Chriſtus ſit nobis locutus in Euangelio, dediſſe poteſtatem Apoſtolis, virtutem baptiſmo, redemiſſe nos à peccatis; denique in vltimo ſuo teſtamento, in quo ſolent homines, quam Clariſſime loqui, ambigue, æquiuoce, & improprie locutum eſſe, ac dediſſe ſic anſam toti ſuæ Eccleſiæ viſibili, indefectibili, ac infallibili per tot centenos annos à vera fide aberrandi, & falſa dogmata tenendi, quod eſt contra Chriſti ſapientiam, ac ipſius infallibilem aſſiſtentiam, Eccleſiæ promiſſam, Blaſphemare.

Sed opponunt ſectarij, textus citatos explicari per ſequentia Math. 26. v 29. Subiūgit Chriſtus *Dico autem vobis non bibam a modo de hoc genimine vitis, vſq; in diem illum, cum illud bibam vobiſcum nouum in regno patris mei.* Idem habet Marcus c. 14. verſ. 25. Lucas autem eadem præmittit ante verba conſecrationis cap. 22. verſ. 17 ex quo volunt ſectarij, quod ibi per genimen vitis, debeat intelligi verum vinum ante, & poſt Conſecrationem, idque litteraliter, vnde contendunt hæc poſteriora verba intelligenda literaliter, antecedentia vero intelligenda metaphorice; ſed contra ſtolidam hanc interpretationem, ſic vrgeo, vel ergo hæc verba, *Non bibam de genimine vitis, donec bibam illud nouum in regno patris mei.* Sunt intelligenda litteraliter vel non? ſi ſic

ſi ſic, ergo Chriſtus vere realiter,& litteraliter bibit vinum de vite in regno patris ſui, ſeu in Paradiſo, quod eſt falſiſſimum, ſi non intelliguntur litteraliter, ergo non ſignificant vinum de vite, ſed vinum iam conuerſum in ſanguinem, iuxta hunc loquendi modum, *Hoc nunc os de oſſibus meis, & caro de carne mea,* Ergo Genimen vitis ſignificat ibi vinum iam conuerſum in ſanguinem. Deinde quæro, quomodo ſciant ſectarij cum certitudine fidei, quod hæc verba explicent formam conſecrationis in ſenſu ipſorum? ſi ex ſcriptura, oſtendatur vbi ſcriptura id dicat, ſi aliunde iam non eſt certitudo fidei, & ipſi ob fallaces ſuas gloſſas deſerunt Articulum maximi momenti, & interim ſe exponunt certiſſimo damnationis periculo, nam ex intellectu horum verborum pendet, vel æterna vita, vel æterna mors, vt patet ex textu.

ARTICVLVS III.

Expenditur locus Apoſtoli Pauli, & inde probatur realis præſentia.

EGo (inquit Apoſtolus) 1. ad Corint. 11. verſ. 23. *Accepi à Domino, quod & tradidi vobis* (Quid accepit? num Chriſtum, qua nocte tradebatur, dediſſe ſignum, vel figuram corporis ſui? nihil tale in ſcriptura legitur. Ego *Accepi,* inquit, *à Domino, quod, & tradidi vobis*) *quoniam dominus Ieſus in qua nocte tradebatur, accepit panem, & gratias agens fregit, & dixit accipite, & manducate, hoc eſt corpus meum, ſimiliter, & Calicem poſtquam cœnauit dicens, hic Calix nouum teſtamentum eſt in meo ſanguine*: Nihil ænigmaticum, nihil figuratum, nihil offuſum caligine profatur Apoſtolus, proinde infert verſ. 27 *Itaque quicumque manducauerit panem hunc, vel biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis, & ſanguinis Domini*. Perpende quam exacte conformat

mat ſe ijſdem verbis, eidem loquendi modo, quem vidimus de hoc myſterio, apud Mathæum, Marcum, Lucam.

Vnde ex his omnibus ſic diſcurro, per verba Chriſti in pane, quem accepit, vel facta eſt aliqua mutatio, vel nulla? ſi nulla; ergo ſicut ante gratiarum actionem, & verba, non erat verum dicere de illo pane, *Hoc eſt corpus meum*, Ita neque poſt verba poterit eſſe verum, & ſic propoſitio Chriſti erit ſimpliciter falſa, ſicut ſi haberem lignum in manibus, quod vere ante, & poſt quam accepi, eſt vere lignum, eſſet falſiſſimum dicere hoc lignum eſt caro, & falſius adhuc eſſet dicere monſtrando lignum, hæc eſt caro, ita ſi nulla ſimiliter eſt in illo pane mutatio, falſum erit dicere *Eſt corpus Chriſti*, fruſtra dixit Apoſtolus, *Qui manducat, & bibit indigne, reus erit corporis, et ſanguinis Domini* Fruſtra ſubiũgit *Qui manducat, et bibit indigne, iudicium ſibi mãducat, et bibit, non dijudicans corpus Domini.* Si enim eſt panis tantum, cur eſſet diſcernendus, deinde ait, dijudicans Corpus Domini, ergo non ait diſcernendum panem à pane, ſed diſcernendum potius corpus Domini à quouis pane; ergo facta eſt mutatio in illo pane.

Vnde quæro an facta fuerit illa mutatio in ſubſtantia, an in accidentibus, an in vtroque? Si in vtroque; contra, quia eadem omnino manent accidentia, vt ſenſus aperte videt; vel ergo mutatio facta eſt in ſubſtantia, vel in nihilo, ſi in nihilo, ergo propoſitio Chriſti eſt falſa: vel certe mutatio facta eſt in ſubſtantia, & confirmatur, vel Chriſtus hac actione aliquid noui ibi produxit, vel nihil, ſi nihil ergo verba Chriſti ſunt otioſa, & falſa, ergo panis ille, eſt panis communis, quod eſt expreſſe contra Apoſtolum 1. ad Corinth. 10. verſ. 16. *Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio ſãguinis Chriſti eſt? & panis, quem frangimus, nonne participatio Corporis Domini eſt.* Si corporis, & ſanguinis

Do-

Domini, ergo non iam typus, non panis communis, ſed ipſum corpus, & ſanguis Chriſti, ſi ergo produxit ibi aliquid Chriſtus. Quæro quid eſt hoc aliquid? vel enim eſt illud quod ſignificant verba, nempe corpus Chriſti, vel non eſt res à verbis ſignificata, ſed aliquid aliud: ſi ſic, hæc ergo propoſitio affirmatiua Chriſti, *Hoc eſt corpus meum, hic eſt sãguis meus*, Erit à parte rei negatiua, faciens hunc ſenſum *Hoc eſt corpus meum*. Id eſt hic vere, & realiter non eſt corpus meum, & ſic videtur Chriſtus ludere non ſolum hic, ſed in toto Euangelio, quod eſt blaſphemum.

Sed inquiunt hæretici prædicta verba explicantur per ſubſequentia apud Lucam, *Hoc facite in meã commemorationem*. Ergo eſt tantum memoria Chriſti non autem Chriſtus ipſe. Contra Paulus refert memoriam ad paſſionem Chriſti, *Mortem Domini annuntiabitis donec veniat*. Sic filijs Iſrael datum fuit præceptum non tropice, ſed proprie de comedendo agno Paſchali, quæ comeſtio quotannis licet facta, repręſentabat tamen tranſitum maris rubri. Sic licet vere, & realiter quotidie repetatur conſecratio corporis, & ſanguinis Chriſti; hæc tamen conſecratio repræſentat illius mortem.

ARTICVLVS IV.

De Tranſubſtantiatione, & Communione ſub vtraque ſpecie.

SI quæſtio ſit de ipſo tranſubſtantiationis nomine vtiq; fateor non reperiri expreſſe in ſcriptura, ſicut neq; exprimuntur hæ voces *Trinitas, incarnatio, conſubſtantialitas*. Quæ tamen recipiuntur à ſectarijs, nec reperitur in ſcriptura, an *Ipſamet ſit verbum Dei? an tot ſint libri canonici*, Hæc tamen à ſectarijs creduntur, ſi ergo in ſcripturis inueniamus id, quod nomine tranſubſtãtiationis intelligitur, non

eſt

eſt quod de voce nobiſcum nugentur, alioquin ſi in omnibus articulis ſoli ſiſtant ſcripturæ, habebunt peiorem partem, cum plurima credant ipſi, quæ expreſſe in Biblijs non habentur, vt ſupra dicta, & multa alia, vnde fatetur Theodorus Beza in libro de cœna Domini contra Ioachimum VVeſtphalum Lutheranum non poſſe hęc verba, *Hoc eſt corpus meũ*. In ſenſu litterali intelligi, niſi tranſubſtantiatio papiſtica, vt ait, in eodem ſenſu inuoluatur; ſicut licet nullibi expreſſe in ſcriptura habeatur *Verbum Dei non eſt creatura*, inuoluitur tamen in illo Ioan. 1. Deus erat verbum.

Eſt ergo *Tranſubſtantiatio conuerſio totalis ſubſtantiæ panis in corpus Chriſti, & ſubſtantiæ vini, in eius ſanguinem*, idque fit efficacia verborum Chriſti vt inquit D. Ambroſius de ſacramentis lib. 4. cap. 9. nam cum alia Chriſtus ederet miracula, non erat ei Opus niſi dicere, Lucæ 7. *Adoleſcens, tibi dico ſurge, & reſedit, qui erat mortuus*. Dixit leproſo Math. 8. *Volo, mundare, & confeſtim mundata eſt lepra eius*. Dixit cæco Lucæ 8. *Reſpice, & confeſtim vidit*. Dixit Ioan. 11. *Lazare veni foras, & ſtatim prodijt, qui fuerat mortuus*. Agnouit hanc efficaciam Centurio, Math. 8. *Tantum dic verbo, & ſanabitur puer meus*. Agnouit dæmon ipſe Mat. 4. *Si filius Dei es, dic vt lapides iſti panes fiant*. Vbi vides Dæmonem nihil aliud vrgere niſi vt dicat. Noluit tamen dicere Chriſtus, vt doceret nos nihil dicendum, vel agendum ex Dæmonis ſuggeſtione, ſed audebit quis aſſerere Chriſtum aliquid in Euãgelio dixiſſe, & non feciſſe, quod facturum ſe dixit volue, lege Matthæum, Marcum, Lucam, accepit Ieſus panem, & *dixit hoc eſt corpus meum*, Ecce dixit, & factum eſt.

Feciſſe autem Chriſtum, quod dixit, nempe panem in ſuum corpus, & vinum in ſuum ſanguinem conuertiſſe, & eſſe poſſibile, ars, natura, & ſacra pagina oſtendunt; & ad hanc ſtupendam conuer-

uerſionem nos manuducunt; ars quidem oſtendit, cum virtute ignis herba, vel cinis conuertitur in vitrum, terra, vi eadem conuertitur in ferrum, vinum in aquam vitæ. Natura vero idem indicat, quia homo vi caloris naturalis cibum conuertit in carnem, & ſanguinem, in oſſa, neruos, humores, vngues, crines, herba vertitur in vellera ouium, ferrum in ventre ſtruthio camelorum conficitur, & fit caro, ouum in mirabilem pauonem vertitur, glãs parua in ingentem quercum, humor aquoſus vitis in vinum, granum in ſpicam, apes quidquid comedunt in floribus, conuertunt in ceram, & mel, aqua vi frigoris euadit Chryſtallus, ſi ergo ars, & natura tantum poſſunt, quid non poterit Deus, an potentiora illa, quam ille? denique ſcriptura refert virgamMoyſis conuerſam in ſerpentem Exod. 2. v.3. & virgam Aaron ſimiliter exodi 7. verſ.10. Fluuium verſum in ſanguinem, eodem capite verſ.20. Petram in aquam exodi 17. verſ.6. iuxta illud pſal.113. *Qui conuertit petram in ſtagna aquarum, & rupem in fontes aquarum*, vxor Loth verſa eſt in ſtatuam ſalis, Gen.19. verſ.26. Chriſtus in Cana Galilææ, conuertit aquam in vinum Ioan.2. verſ.9. Hæc Deus olim, & per ſe, & per ſeruos ſuos, & potuit, & fecit num impotentior hodie, quam tunc omnipotens Deus? num quod per illos tunc, per alios nunc præſtare non poteſt? num alius Deus, num alia eius virtus, in in illis, & hiſce ſæculis? abſit hoc cogitare. Ergo vt credimus tunc, & potuiſſe, & feciſſe, credamus nunc quod promiſit, & poſſe, & facere. Hoc autem verbum tranſubſtãtiationis adhibuit eccleſia, ſicut olim teſte Athanaſio in epiſt. de decret. Nicænæ Synodi Arianorum verſipellis impietas coegit Epiſcopos, vt clarioribus vterentur verbis, & adhiberet has voces eſſentiam, & conſubſtantialitatem, ad eorum impietatem ſubuertendam, ſic ad ſubuertendam impietatem aliorum vtitur eccleſia hac voce tranſubſtantiationis, tanquam clariori verbo.

Cauil-

Cauillantur ſectarij cur Laici non Communicant ſub vtraque ſpecie; dicimus ergo id fieri primo exemplo Chriſti Domini, qui dedit communionem diſcipulis in Emaus ſub ſola panis ſpecie Lucæ 24. verſ.30. vt intelligit D. Hieronymus in Epitaphio Paulæ ad Euſtochium. Auguſt.lib. 3. de Conſenſu euangeliſt.cap.25. deinde act. 2. *Fideles erant perſeuerantes in communicatione fractionis panis*. & 20. *Conuenerant ad frangendum panem*, Ibi autem non fit mentio calicis; deinde cum Chriſtus contineatur integre ſub vna, & altera ſpecie, ſufficit laico vna, ob reuerentiam, ne ſubinde effundatur ſanguinis, in miſſa ſacerdos ſumit vtramque,cum ſic requiratur ad ſacrificium.

ARTICVLVS V.

Ponuntur Teſtimonia primitiuæ Eccleſiæ de reali preſentia.

Aſſerunt Patres Græci.

IVſtinus anno 150. Ad Antonium Pium Apologia 2. *Non enim vt communem panem, neque communem potum iſta ſumimus, ſed quemadmodum per verbum Dei, caro factus eſt Chriſtus, ad eundem modum etiam, in qua per preces verbi eius &c. alimoniam incarnati illius Ieſu carnem, & ſanguinem eſſe edocti*. & paulo ſupra *porro alimentum hoc appellatur apud nos Euchariſtia*.

Irenæus anno 180. lib. 5. cap. 2. *Quando ergo, &c. mixtus calix, & fructus panis percipit verbum Dei fit Euchariſtia ſanguinis, & corporis Chriſti*, & lib.4. cap.34. *Quomodo autem conſtabit eis eum panẽ in quo gratiæ actæ ſunt, corpus eſſe domini ſui, & Calicem ſanguinis eius, ſi non ipſum fabricatoris mundi filium dicant?*

Origenes anno 230. In numeros hom.7. *Tunc in ænigma-*

ænigmate erat manna cibus, nunc autem in ſpecie caro Verbi Dei eſt verus cibus. Idem habet lib.8.contra Celſum.Hom.5.contra diuerſos, hom.3. in Exodum. Concilium Nicænum primum anno 325.canone 18. *Peruenit ad Sanctum, Magnumq; Concilium, quod in locis quibuſdam, & ciuitatibus Presbyteris gratiam ſacræ Communionis diaconi porrigant. Hoc neque canon, neque conſuetudo tradidit, vt hi, qui offerendi ſacrificij non habent poteſtatem, his, qui offerunt, dent Corpus Christi.* Sufficeret hoc vnicum ex tota antiquitate teſtimonium. Pergo tamen.

Baſilius Magnus anno 307. exhortatione de Baptiſmo ad finem, *Quid de eo dicendum eſt, qui otioſè, & inutiliter edere audet corpus, & bibere ſanguinem Domini noſtri Ieſu Christi.*

Cyrillus Hieroſolymitanus anno 370. Catecheſi 3.myſtagogica. *Panis Euchariſtiæ poſt Spiritus ſancti inuocationem, non amplius eſt panis communis ſed eſt corpus Christi,* & Catheſi 4.myſtagogica. *Cum igitur Christus ipſe, ſic affirmet atque dicat de pane, hoc eſt corpus meum, quis deinceps audeat dubitare, ac eodem quoq; confirmante, & dicente, hic eſt ſanguis meus, quis inquam dubitet, & dicat non eſſe illius ſanguinem? aquam aliquando mutauit in vinum in Cana Galileæ, & non erit dignus, cui credamus, quod vinum in ſanguinem tranſmutaſſet,* & infra, *ſub ſpecie panis datur tibi corpus, & ſub ſpecie vini datur ſanguis.* Quid clarius quæſo?

Ioannes Chryſoſtomus anno 400. homil. 2. ad populum Antiochenum, quæ eſt contra auaritiam, ſub finem. *Elias Meloten diſcipulo reliquit, filius autem Dei aſcendens ſuam nobis carnem dimiſit. Sed Elias quidem exutus, Christus autem & nobis reliquit, & ipſam habens aſcendit.* Idem aſſerit lib.3.de ſacerdotio, & homil.83.ex cap.26.Math.Itemoratione de Sancto Philogonio.Homil.24.in 1.ad Corinth. cap. 10.& in cap.11.Hom.27.& in cap.1.ad Epheſ. Homil. 27.Sed ne ex his plura referam claudat agmen.

Con-

Concilium Epheſinum Generale anno 430. tertia parte in Explanatione duodecim capitum, Anathematiſmo vndecimo, declaratione vndecima. *Sanctum, ac viuificum, incruentumque, in eccleſiis ſacrificium peragimus, corpus quod proponitur, ſimiliter & pretioſum ſanguinem, non communis nobiſque ſimilis hominis cuiuſpiam eſſe credentes, ſed potius tanquam proprium corpus effectum, & ſanguinem, etiam verbi, quod omnia viuificat, accipientes.* Hęc Patres Gręci.

Aſſerunt Patres Latini.

Tertullianus anno 200. de ratione cap. 14. *Accepto corpore Domini, & reſeruato vtrumque ſaluum eſt, & participatio ſacrificij, & executio officij.* itẽ de reſurrectione carnis. cap. 5. *Caro corpore, & ſanguine Chriſti veſcitur, vt & anima Deo ſaginetur.* Cyprianus anno 250. epiſt. 54. *Quos excitamus, & hortamur ad prælium, protectione ſanguinis, & corporis Chriſti muniamus;* & infra. *Quomodo docemus, aut prouocamus eos in confeſſione nominis ſanguinem ſuũ fundere, ſi eis militaturis Chriſti ſanguinem denegamus?* De hoc ipſo Sacramento loquitur etiam epiſt. 56. & lib. de lapſis. Item de cęna Domini.

Hilarius anno 350. lib. 8. de Trinitate. *Caro mea vere eſt eſca, &c. de veritate carnis & ſanguinis, non eſt relictus ambigendi locus, & hæc accepta effitiunt, vt nos in Chriſto, & Chriſtus in nobis ſit.*

Ambroſius lib. 4. de Sacramentis cap. 4. *Non erat corpus Chriſti ante conſecrationem, ſed poſt conſecrationem dico tibi, quod iam corpus eſt Chriſti.*

Hieronymus anno 390. *Quis patiatur, vt ſupra presbyteros tumidus ſe efferat, ad quorũ preces, Chriſti corpus, ſanguiſq; conficitur?* Deniq; ne vltra excurram

Auguſt. anno 400. in Pſ. 33. con. 1. *Notus eſt Dominus noſter Ieſus Chriſtus in corpore & ſanguine ſuo voluit eſſe ſalutem noſtram, vnde autem commendauit corpus, & ſanguinem ſuum? de humilitate ſua, niſi*

niſi enim eſſet humilis, nec manducaretur, nec biberetur. Idem aſſerit tract.27.in Ioan.lib.3. de Trinitate cap.4.lib.12. Contra Fauſtum cap.10 in hoc puncto fauet Romanæ eccleſiæ verbum Dei, fauet primitiua eccleſia, ſtat item eiuſdem eccleſiæ infallibilitas, ne in hoc vti, nec in cæteris ſuis articulis vnquam erret.

ARTICVLVS VI.

Soluuntur obiectiones.

OBijciunt 1.illud Ioan.12.verſ.8. *Pauperes ſemper habetis vobiſcum, me autem non ſemper habebitis*; Ergo inquiunt non habemus ipſum in hoc mundo, contra inquit Chriſtus ipſe Math. 28. verſ. vlt.*Ecce ego vobiſcum ſum, omnibus diebus, vſque ad conſummationem ſæculi.* Ergo prior locus non fauet ſectarijs, debet ergo intelligi ſic, quod Chriſtum non habeamus ſecundum eas infirmitates, quas habuit ante reſurrectionem, aut quoad preſentiam viſibilem, habemus tamen ipſum, ſecundum præſentiam inuiſibilem in Euchariſtia.

Obijciunt 2. *Hoc facite in meam commemorationem.* Sed commemoratio & typus, non ſunt res ipſæ. Contra ſic ſe habere poteſt commemoratio ad rem ſicut imago, & figura ad prototypum, ſed imago, & figura ſumma poſſunt eſſe, imo & ſunt de facto in diuinis res ipſæ, nam filius Dei dicitur Sapientiæ 7. verſ.16. *Imago bonitatis illius*. 2. ad Corinth.4.verſ.4. *Illuminatio Euangelij gloriæ Chriſti, qui eſt imago gloriæ Dei.* Ad Colloſſenſes 1.verſ.15. *In quo habemus redemptionem, qui eſt imago Dei inuiſibilis*. Et ad Hebr.1. verſ. 3. *Qui cum ſit ſplendor gloriæ, & figura ſubſtantiæ eius*. Hic filius Dei dicitur imago, & figura Dei, ſed blaſphemum eſſet dicere, quod non eſſet Deus ipſe vere & realiter, atque adeo imago, & figura poteſt eſſe res ipſa, ita ſimili-

ter, & commemoratio; vnde Chriſtus hic præſens, eſt commemoratio ſui ipſius in Cruce immolati, deinde actus ſacerdotis, eſt commemoratio eorum, quæ fecit Chriſtus. Item vrna erat ſignum Mannæ, quo paſti ſunt hebræi olim, & tamen ibi erat ipſum verum manna quod ſignificabat, ſic ſpecies ſenſibiles continent Chriſtum inuiſibilem, & repræſentant, & Chriſtus ibi contentus, eſt ſymbolum Chriſti olim in Cruce immolati, ſic rex aliquis poſtquam triumphauit de hoſtibus, hunc triumphum per ſeipſum poſſet quotannis iterum repræſentare. Et ipſe eſſet commemoratio ſui ipſius olim triumphãtis. Denique commemorationem hanc refert Apoſtolus 1. ad Corinth. 11. ad mortem Chriſti.

Obijciunt 3. ex illo act. 3. *Quem opportet Cælum ſuſcipere, vſque in tempora reſtitutionis omnium.* Item *Aſcendit ad cælos, ſedet ad dextram Dei patris omnipotentis.* Ergo non eſt vere, realiter, & ſubſtantialiter in Euchariſtia. Reſp. 1. hanc obiectionem eſſe ſæpius eluſam in 1. parte diſt. 1. & iterum eluditur ex ipſa ſcriptura act. 9. verſ. 4. & deinceps *Audiuit vocẽ dicentem ſibi, Saule, Saule quid me perſequeris.* & infra verſ. 17. *Saule frater, Dominus miſit me Ieſus, qui apparuit tibi in via.* de qua apparitione, ipſe Paulus 1. ad Corinth. 15. verſ. 8. *Viſus eſt Iacobo, deinde Apoſtolis omnibus, nouiſſime autem omnium, tanquam abortiuo, viſus eſt mihi.* Vel ergo Chriſtus tunc apparuit Apoſtolo Paulo, vel non? ſi non, ergo ſcriptura iſta non eſt vera, quod eſt falſum; ſi apparuit, ergo tunc Chriſtus fuit ſimul in Cælo, & in via illa, atque adeo poteſt eſſe ad dexteram patris, & etiam in Euchariſtia, in Cælo quidem extenſo modo, in Euchariſtia autem modo inextenſo.

Obijciunt 4. Ioan. 6. Inquit Chriſtus, *Spiritus eſt qui viuificat, caro autem non prodeſt quidquam; verba autem quæ ego locutus ſum vobis Spiritus, & vita ſunt.* ergo verba illa *Hoc eſt corpus meum*, Non litteraliter ſed ſpiritualiter intelligenda ſunt. Reſp. 1.

Hanc

Hanc obiectionem ſat eſſe diſcuſſam in prima parte diſt.1. Vbi oſtenditur in illo textu, non legi expoſitionem, aut conſequentiam ſectariorum, & ipſos ſectarios non eſſe certos, an eorum expoſitio ſit certa, cum fateantur ſe fallibiles. Reſp.2. vel aduerſarij, textum hunc intelligunt de carne propria Chriſti, vel de alia? ſi de carne Domini, ergo dedit pro nobis in Cruce carnem, quæ non prodeſt quid quam, aſſumpſit item carnem, quæ non prodeſt quidquam; fudit ſanguinem, qui non prodeſt quidquam, hoc autem dicere eſt blaſphemum. Si intelligant de alia carne, quæ vtique non prodeſt, niſi viuificetur carne Chriſti, quid blaterant. Sunt ergo ſpiritus, & vita cauſaliter, dum eorum virtute, res inanimes tranſeunt in corpus, & ſanguinem Chriſti.

Obijciunt 5. Implicat idem Corpus eſſe ſimul in pluribus locis: ergo implicat corpus Chriſti, eſſe in cælo, & in Euchariſtia. Reſp. id implicare naturaliter, non vero ſupernaturaliter. Vt oſtenſum eſt obiectione 3. deinde non implicat duo corpora eſſe ſimul in eodem loco, vt patet in reſurrectione Chriſti, qui de clauſo exiuit ſepulchro, & ingreſſus eſt ad diſcipulos, ianuis clauſis, item poteſt de facto anima hominis, eſſe in diuerſis locis, cum ſit in capite, pede, Brachio ſimul, quæ vtique habent diuerſa loca, & ſitus, potuit item Chriſtus multiplicare quinque panes, vt ſuffecerint quinque millibus hominum, vt ſuperfuerint duodecim cophini fragmentorum, cur non poteſt ipſius corpus replicari in pluribus locis, etiam minimis, ſicut anima hominis eſt præſens minimæ parti corporis, cum ſit tota in toto, & tota in qualibet parte hominis: item eadem vox concionatoris ſic multiplicat ſuas ſpecies, vt audiatur ab omnibus præſentibus, etiamſi eſſent bis mille, modo ſint in proportionata diſtantia.

Dices dedecere Chriſtum eſſe in tam humili loco, & deſcendere in ventrem hominis. Reſp. quod loca illa non præiudicant dignitati corporis Chriſti,

iam glorioſi, & impaſſibilis, ſicut non præiudicat radio ſolari, quod reflectatur in luto, vel in pulcherrimo flore, deinde non præiudicauit gloriæ Chriſti, eſſe in vtero matris, naſci in ſtabulo, iacere in ſepulchro, flagellari, conſpui, crucifigi inter duos latrones, manducare cum peccatoribus, & hæc omnia fecit, propter nimiam charitatem ſuam, qua dilexit nos, ob eandem ſeipſum dat nobis in Euchariſtia, vt ipſe maneat in nobis, & nos in illo, vt vitam æternam habeamus, quam nunquam habebit, qui huic myſterio non vult credere.

Tandem ſectarij hærent in hoc myſterio, aſſerentes eſſe impoſſibile, vt corpus Chriſti ſit in tam paruo loco: ſed contra, nam in ipſis naturalibus poſſunt dari quædam exempla, quæ quandam analogiam faciant, cum modo exiſtendi corporis Chriſti in Euchariſtia; & primo in ſpeculo, & oculo; tam enim ſpeculum, quam oculus exiguus, in ſe recipiunt, per ſpecies, integram quantitatem maximorum, non tantum hominum, ſed etiam montium, domorum, templorum, arborum, eamque integram clare referunt, & repræſentant; quidni ergo parua hoſtia *D*eo agente, totum exhibeat Chriſtum: nec valet reſpondere, hoc in oculo fieri ſpiritualiter, per ſpecies intentionales opticas, ſeu viſiuas, nam etiam Chriſti corpus in Euchariſtia, accipit ſpiritualem modum exiſtendi, vt quaſi ſpiritus ſpiritualiter ſit totum iu tota, & totum in qualibet parte hoſtiæ; deinde ſpecies intentionales non ſunt ita ſpirituales, quin reuera ſint entitates naturales, & phyſicæ, imo corporeæ, inhęrent enim corpori, ſcilicet aeri, per quem ſe multiplicant vſque ad oculum, & in ſpeculo atque oculo producuntur, & recipiuntur; quod ſi hoc naturaliter fit quotidie, in ſpeciebus in oculo receptis, multo magis id fieri poteſt diuinitus in corpore Chriſti in *E*uchariſtia, vt tota eius quantitas recipiatur in quacumque parte hoſtiæ conſecratæ.

*S*ecundo idipſum oſtendi poteſt in condenſatione,

ne, & rarefactione corporum, eadem enim cera condenſata, & compacta, dimidium tantum vaſis occupat, per ignem vero calefacta, & rareſcens, ac ebulliens, totum vas implet, cum tamen eadem ſit cera, quoad materiam, molem, & etiam, vt multi, magnique philoſophi volunt, quoad quantitatem intrinſecam, nihil enim ceræ additur per rarefactionem? niſi extenſio ad maiorem locum, ſi autem hoc fit naturaliter, cur idē diuinitus non poſſit facere *Deus*, in corpore Chriſti, vt illud in ſe intrinſece extenſum ad ſex pedes, extrinſece tamen commenſuretur paruæ hoſtiæ, & ad eius locum, & quantitatem contrahatur; ſicut cera per calorem ignis rarefacta, occupanſque totum vas, per frigus deinde denſata contrahitur ad dimidium vaſis, & ſic contracta paruum locum, rarefacta autem eadem numero, hunc, & aliū locum maiorem, ſimul occupet, per maiorem ſui explicationem.

Addit Cornelius à Lapide, duas demonſtrationes Mathematicas, in cap. 26. Math. hoc ipſum myſterium declarantes, & quidem punctum in medio circuli collocatum terminat omnes lineas à circulo ad centrum ductas, adeo vt illud punctum terminans dictas lineas, ſit præſens ac quodammodo commenſuretur, & coæquætur omnibus partibus, & punctis, à quibus in peripheria circuli, ducuntur lineæ ad idem punctum: quidni igitur minima pars hoſtiæ, non poſſit commenſurari etiam toti quantitati corporis Chriſti, ibi indiuiſibiliter exiſtentis? quod ſi non capiant nouantes, quomodo idem punctum commenſuretur omnibus lineis, & peripheriæ circuli, non mirentur, quod non capiant naturaliter quomodo quælibet minuta pars hoſtiæ contineat totum Chriſtum.

ARTICVLVS VLT.

Eccleſia Romana in adoratione corporis, & ſaguinis Chriſti Domini, in venerabili Euchariſtiæ Sacramento, eſt pura ab omni prorſus artolatria.

HAnc impoſturam ſæpius inculcant ſectarij, & volunt catholicos omnes eſſe Artolatras, eo quod ipſorum iudicio, adorent panem in Euchariſtia: ſed vt impoſtura iſta haberet minimam ſaltem vmbram veri, deberent attendere huiuſce mendacij probationem, pendere à multis quæſtionibus, quas nunquam ſectarij probabunt, vnde ratiocinationem, ex qua ipſi hanc calumniam deducunt, antequam vlterius pergam, nego.

Primo quia non profertur ex ſcriptura expreſſa, quæ ſecundum ipſos, eſt regula totius veritatis, in qua vtique deberent ipſi rem tanti momenti oſtendere, antequam ad temerariam iſtam ſententiam procederent. Secundo eadem ſcriptura non iudicat, an concluſio, quam inferunt ſectarij ex ſuo diſcurſu, quaque volunt probare, catholicos eſſe Artolatras, recte inferatur ex ſuis præmiſſis: Tertio, quia ſectarij poſſunt errare in iſta conſequentia deducenda, nec manifeſte conſtat, an non errauerint de facto, quandoquidem fateantur omnes homines fallibiles, & errori obnoxios; Quarto nemo Sanctorum Patrum primitiuæ Eccleſiæ formauit ſimilem illationem, ſed tenuere potius oppoſitum, vt ex dictis conſtat. Quinto, non aſſignant infallibilem Iudicem, qui pronuntiet, quod ipſi in hac re intelligant ſcripturam, & perfectius diſcurrant, quam Catholici.

Sexto, vt monſtrent Catholicos errare, in adoranda Euchariſtia, debent probare erraſſe omnes patres, tam Græcos, quam Latinos articulo quinto ci-

tatos, erraſſe prima Oecumenica Concilia, præſertim Nicænum primum, & Epheſinum, in quibus agitur de hoc myſterio, erraſſe ſimiliter totam viſibilem Chriſti Eccleſiam, à morte Apoſtolorum, vſque ad hæc tempora, & fuiſſe Idololatram, atque adeo defeciſſe de mundo, toto illo ſpatio, veram fidem, veram Religionem, verum Dei cultum, veram ſalutem: & Chriſtum, contra promiſſionem de infallibili ſua aſſiſtentia, permiſiſſe, vt omnes Chriſtiani eſſent blaſphemi, & execrandi Idololatræ; denique ſi aſſumunt ſibi infallibilitatem in hac materia, neceſſe eſt, vt liberent ſe à manifeſta contradictione, dum negant totam Dei Eccleſiā eſſe infallibilem, eo quod ſit congregatio hominum fallibilium, de qua fallibilitatis linea, etiam ipſi ſunt; ab his omnibus pendet probatio huius impoſturæ, & donec diluant has omnes difficultates, conuincuntur interim quoad præſens punctum eſſe Calumniatores.

Vt tamen magis hæc retundatur, nota *Idololatriam eſſe cultum impium, quo diuinus honor exhibetur creaturę.* Catholici autem omnes fatentur in venerabili Euchariſtiæ ſacramento, vnigenitum Dei filium, eſſe cultu latriæ etiam externo adorandum, vti de facto eum adorant; & quid quæſo inde inferunt ſectarij, num forte nos eſſe Artolatros, ſeu adoratores panis? falluntur, & fallunt, nos enim in hoc Sacramento, nec panem agnoſcimus, nec adoramus, ſed vnigenitum Dei filium ibi vere, ac realiter præſentem, cultu latriæ, etiam externo colimus, num ergo ideo dicendi ſumus Idololatræ, ſi ſic, certe Idololatræ eſſent, quotquot aſſeruerunt Chriſtum, vere realiter, ac ſubſtantialiter contineri ſub ſpeciebus conſecratis, & ita Idololatriæ crimen incurriſſet, tam Concilium Nicænum primum, quā Epheſinum, incurriſſet idem crimen, primitiua Eccleſia, incurriſſent patres priorum, & puriorum ſęculorum, præſertim Ambroſius, qui tamen lib. 3. De

Spiritu ſancto c.12. explicans illud pſalmi, *Adorate ſcabellum pedum eius, quoniam Sanctum eſt, diligentius inquit, conſideremus, quid ſit ſcabellum, legimus enim alibi, Cælum mihi thronus, terra autem ſcabellum pedum meorum, videamus tamen ne terram illam dicat adorandam propheta, quam Dominus Ieſus in carnis aſſumptione ſuſcepit, itaque per ſcabellum terra intelligatur, per terram caro Chriſti, quam hodie quoque in myſterijs adoramus.* Quibus quæſo myſterijs, niſi in myſterijs ſacrificij, & ſacramenti?

Succedit Auguſtinus, explicans eundem verſiculum, *Cælum mihi ſedes eſt, terra autem ſcabellum pedum meorum, ait Dominus per Iſaiam prophetam, conuerto me ad Chriſtum, & inuenio quomodo ſine impietate adoretur terra, ſuſcepit enim de terra terram, quia caro de terra eſt, & de carne Mariæ, carnem accepit, & in ipſa carne hic ambulauit, & ipſam carnem, nobis manducandam ad ſalutem dedit, nemo autem illam carnem prius manducat, niſi prius adorauerit, inuentum eſt quemadmodum adoretur tale ſcabellum pedum Domini, & non ſolum, non peccemus adorando, ſed peccemus non adorando.*

Quid ad hæc ſectarij, certe Catholicos Idololatriæ in hoc myſterio adorando condemnare non poſſunt, quin eadem ſententia Auguſtinum, Ambroſium, Cyrillum, Chryſoſtomum, Concilia Oecumenica ſupracitata, totam primitiuam eccleſiã inuoluant, quin dicant Chriſtum Ioan.6. Math.26. Marci 14. Lucæ 22. Ficte locutum fuiſſe, & generi humano in hoc myſterio impoſuiſſe, eius verba omnibus prædictis locis eſſe falſa: iterim ſi hic luſit Chriſtus cum nullibi tamen videatur expreſſius loqui, dubitari poterit, an ſerio vllibi loquatur, peto tamen quibus magis credendum, Zuinglione, Caluino, vel cuiuis alteri ſectario, an œcumenicis Concilijs, patribus primitiuæ eccleſiæ, & donec probent ſectarij ſibi potius. quam Chriſto, quam Apoſtolo Paulo, Auguſtino, Chryſoſtomo, Ambro-

bro-

broſio, Cyrillo credendum, ceſſent calumniari, & fateantur ſe non eſſe infallibiliter certos, an bene,& & ſane intelligant textus, de quibus nobiſcum litigant quod ſi ſibi in hoc genere arrogant infallibilitatem, certe ſi non á fortiori, ſaltem á pari eam concedere debent primitiuæ Eccleſiæ, quæ nobis omnino fauet.

QVÆSTIO IV.

De Sacrificio Miſſæ.

ARTICVLVS I.

Eius inſtitutio probatur ex ſcriptura.

NOta ex Reuerendiſſimo Condomenſi, nos hic duas actiones diſtinguere, ad inuicem tamen relatas, prima eſt conſecratio, ſecunda manducatio in conſecratione corpus,& ſanguis myſtice ſeparantur,quiaChriſtus ſeparatim dixit *Hoc eſt corpus meũ, hic eſt ſanguis meus.* Et hæc eſt viua repræſentatio violentæ mortis, quam Chriſtus ſubiuit, ſic Dei filius in ara veſtitus eſt ſignis ſenſibilibus repræſentantibus eius mortem, & hæc actio religioſa includit recognitionem ſupremi dominij diuini, quatenus ibi renouátur memoria eius obedientiæ vſque ad mortem, hinc nemo dubitare debet, quin hæc ipſa actio vt diſtincta á manducatione, ſit grata Deo, eumque inducat, vt nos propitio oculo reſpiciat, cum exponat ei mortem dilecti filij ſui pro nobis, vel potius ipſummetfilium, vnde fatendum, quod ſola præſentia Ieſu Chriſti, ſit potentiſſimus modus intercedendi apud Deum pro toto humano genere, vt dicitur ad Heb.6. *Apparet vultuiDei pro nobis.* Sic ſub illis ſignis in altari intercedit pro nobis, oſtendens ſuam paſſionem patri, iuxta quem ſenſum dicimusChriſtum offerri pro nobis Deumq; fieri

fieri nobis propitium, & ſic dicitur ſacrificium propitiatorium. Hactenus ille.

De hac autem voce miſſa diſcurrendum, ſicut de tranſubſtantiatione dixi, nempe non reperiri expreſſe in ſcriptura, ſicut nec reperitur nomen Trinitatis, incarnationis, &c. deriuatur à miſſione, vel à mittendo filio *Dei* in hunc mundum vt Chriſtus ipſe inquit Ioan. 5. verſ. 37. *Pater miſit me*, & Ioan. 2. verſ. 17. *Non enim Deus, miſit filium ſuum in mundũ, vt iudicet &c.* Ita vt miſſa præter conſecrationem, oblationem, ſumptionẽ corporis, & ſanguinis Chriſti, contineat etiam memoriam beneficiorum acceptorum per eius miſſionem, repræſentationem præcipuorum myſteriorum vitæ, & paſſionis eius, atque adeo miſſa repræſentat miſſionem, opera, & doctrinã Chriſti, quia vero in illa offertur *Deo* ipſius corpus, & ſanguis, hinc deducitur miſſam eſſe verum nouæ legis ſacrificium propitiatorium pro viuis, & defunctis, vt conſtat ex iam dictis.

Cuius inſtitutio probatur 1. ex veteri teſtamẽto pſal. 109. citato ab Apoſtolo Paulo ad Heb. 6. & 7. cap. *Tu es ſacerdos in æternum, ſecundum ordinem Melchiſedech.* Apoſtolus vero cap. 6. cit. verſ. 20. *Secundum ordinem Melchiſedech pontifex factus in æternum.* Idem habet c. 7. ſed Chriſtus in nullo alio loco declarauit ſe eſſe ſacerdotem ſecundum ordinẽ Melchiſedech, niſi in vltima cœna, in qua ſe obtulit ſub ſpecie panis, & vini, & hoc ipſum faciendum in eccleſia præcepit. *Hoc* inquit *facite in meam commemorationem*? Sacrificium autem crucis cum fuerit cruentum, non fuit ſecundum ordinem Melchiſedech, ſed potius ſecundũ ordinem Aaron, qui oues, & boues iugulando immolabat, & ſic intelligit *D.* Hieronymus in cap. 26. Math. *Quomodo in præfiguratione Melchiſedech ſummi Dei Sacerdos panem, & vinum offerens fecit, ipſe quoque veritatem ſui corporis, & ſanguinis repræſentauit.* Eodem modo intelligit Auguſt. lib. 7. de ciuit. cap. 20. Theophilactus in

in cap.5.epiſtol.ad Hebr. quorum ſexpoſitioni credendum potius, quam Caluino, & alijs eiuſmodi Nouatoribus.

Probatur 2.Malachiæ 1.v.11.*In omni loco ſacrificatur, & offertur nomini meo oblatio mūda, quia magnum eſt nomen meū in gentibus, dicit Dominns exercituum.* In illo capite Deus alloquitur Sacerdotes ſynagogæ, vt patet, ibidem. *Non eſt mihi voluntas in vobis*; & prædicit legis ſacrificia habitura finem, illiſque nouum aliquod ſucceſſurum, dum ait illud fore apud gentes, vtique conuerſas ad Chriſtum, vt patet vlterius ex Iſaiæ 66.verſ.20. *Et annunciabunt gloriam meam gentibus.* Et verſ. 21. *& aſſumam ex eis in ſacerdotes, & leuitas dicit Dominus*, Et 61.cap. verſ.6.*Vos autem ſacerdotes domini vocabimini miniſtri Dei noſtri dicetur vobis*; Quæ loca intelligūt ipſi aduerſarij de eccleſia Chriſti vti biblia Anglicana, impreſſa anno 1613. in ſcolijs horum capitum. Vnde Malachiæ 3. cap. verſ.3. prædicitur de Chriſto. *Purgabit filios leui*, & infra, *& erunt Domino offerentes ſacrificia.* Proprium autem ſacerdotū eſt offerre ſacrificia, cum ergo eccleſia Chriſti iuxta prophetarum vaticinia habeat ſacerdotes, ergo in illa datur verum ſacrificium à ſacerdotibus offerendum: item Danielis 8.verſ.11. & cap.12. verſ.11. prædicitur Antichriſtus ablaturus *Iuge ſacrificium*. Quæ prophetia refertur a Chriſto Math.24. verſ.15. Ad eiuſdem Antichriſti tempora, ergo datur tale ſacrificium, quod poteſt auferri, nam cruentum ſacrificium eſt peractum, nec poteſt auferri.

Probatur tertio ex teſtimonijs legis nouę Lucæ 22.*Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis datur, hoc facite in meam commemorationem*, id eſt *hoc facite.* Non agnum paſchalem, non vitulos, aut alias moſaicas victimas offerendo, ſed hoc quod iam poſtremum vidiſtis me facientem facite, hoc ipſum *facite.* Non autem ſimile quid, ſed hoc ipſum quod feci; nam particula *Hoc* refertur ibi ad ipſum, quod fecit Chriſtus,

ſtus, idque vſq; ad eius aduentum, *Donec veniat*. Inquit Apoſtolus 1. ad Corinth. 11. id eſt ad iudicium. Deinde vbi eſt altare, & ſacerdotium, ibi debet eſſe ſacrificium, ſed in lege Euangelica eſt altare, & ſacerdotium; ergo in lege euangelica datur verum ſacrificium, de altari habemus Math. 5. verſ. 23. *Si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid aduerſum te, relinque ibi munus tuum, & vade &c.* Hic autem alloquitur diſcipulos ſuos, & in ipſis omnes Chriſtianos, vt patet ex eodem cap. verſ. 2. *Acceſſerunt ad eum diſcipuli eius, & docebat eos,* De hoc altari inquit Apoſtolus ad Hebræos 10. v. 10. *Habemus altare, de quo edere non habent poeſtatem, qui tabernaculo deſeruiũt.* Id eſt altare Euchariſtiæ, de quo non habent edere, qui tabernaculo deſeruiunt. id eſt ſacerdotes. & leuitę Aaronici; ſupponit Chriſtus, ſupponit Apoſtolus apud Chriſtianos fore Altaria, quæ nunc diruunt ſectarij, vel in hoc Antichriſti præcurſores.

Primæ ad Corinth. 10. v. 20. *Sed quæ immolant gentes, Dæmonijs immolant, & non Deo. Nolo autem vos ſocios fieri Dæmoniorum; non poteſtis calicem Domini bibere, & calicem dæmoniorum: non poteſtis menſæ Domini participes eſſe. & menſæ dæmoniorum.* Vbi aperte diſtinguit inter ſacrificia Gentilium, & Chriſtianorum, nempe miſſam, quæ ſi non eſſet verum ſacrificium, paritas Apoſtoli non curreret, nam inquit, *Quæ gentiles immolant, dæmonijs immolant*; Ergo quæ Chriſtiani immolant, Deo immolant. Confr. act. 13. verſ. 2. *Miniſtrantibus autem illis domino.* In græco habetur. Sacrificantibus deſumpto verbo à liturgia, & ad Hæb. 5. *Omnis pontifex ex hominibus aſſumptus conſtituitur, vt offerat dona, & ſacrificia.* Ergo cum dentur altaria, & ſacerdotes, datur etiam ſacrificium in lege noua.

AR-

ARTICVLVS II.

Probatur rationibus, & teſtimonijs primitiuæ Eccleſiæ.

PRimo ſacrificium Deo debetur ex lege naturæ, & omnia regna, populi, & nationes ex inſtinctu & lege naturæ ducti, offerunt Deo ſacrificium, ſic Abel Gen. 4. verſ. 4. *Obtulit de primogenitis gregis ſui & reſpexit Dominus ad Abel, & ad munera eius,* ſic *Noe* gen. 8. v. 20. *Ædificauit altare Domino, et obtulit holocauſta ſuper altare.* Sic Abraham gen. 13. verſ. 18 *ædificauit altare Domino,* & gen. 22. verſ. 13. *Arietem obtulit holocauſtum pro filio.* Sic Iob 1. cap. verſ. 5. *Offerebat holocauſta pro ſingulis;* ſcilicet filijs, & filiabus ſuis. Vnde habes ſacrificium non ſolum offerri in recognitionem ſupremi dominij Dei, & ſignum noſtræ ſeruitutis, ſed etiam poſſe ſecundario offerri ad alium finem, vel ad agendas gratias, vel ad remiſſionem peccatorum. Hinc Iob vltimo verſ. 7. & 8. *Iratus eſt furor meus in te, & in duos amicos tuos. Sumite ergo vobis ſeptem tauros &c. & offerte holocauſtum pro vobis.* Item Leuitici 4. præſcribuntur ſacrificia pro peccatis. Sic Romani, Ægyptij, Perſæ, & aliæ nationes, ſua habuere ſacrificia.

Cum ergo ſacrificij religionem habeamus ex lege naturæ, certe lex gratiæ legem naturæ nõ aboleuit, nec conſequenter ſacrificij religionem, nam Chriſtus Math. 5. inquit, *Non veni ſoluere legem, ſed adimplere.* Quare innata hominibus infirmitas ſatis conuincit ipſos naturæ ſuperiori ſubditos eſſe, eiuſque agnoſcendum eſſe dominium. Vnde Aug. lib. 10 de Ciuit. Dei cap. 4. *Nulla vnquam tam barbara fuit natio,* inquit, *Quæ ſacrificia, non fecerit ijs; quos putauit, aut crediait, aut finxit eſſe Deos.* Ergo maxime conuenit rationi naturali, quod in perfectiſſimo regno Chriſti, ſacrificium Deo ſit inſtitutum, &

tanto

tanto dignius, quanto hoc regnum antecellit alia regna, ſed ſacrificium à Chriſto inſtitutum in nouo teſtamento, eſt ſacrificium corporis, & ſanguinis ſui, ergo maxime conuenit quod hoc ſacrificium in regno Chriſti frequentetur.

Accedunt teſtimonia primitiuæ eccleſiæ, aſſerũt duo œcumenica Concilia, Nicænum primum canone 18. *Nec regula, nec conſuetudo tradit, vt ab his, qui poteſtatem non habent offerendi, illi qui offerunt, Chriſti corpus accipiant*. Cõcilium Epheſinum. 3. parte Anathmaſmo 11. declaratione 11. *Sanctum ac viuificum, incruentumque in Eccleſiis ſacrificium peragimus; corpus quod proponitur, ſimiliter, & pretioſũ ſanguinem, non communis, nobiſque ſimilis hominis cuiuſpiam eſſe credentes, ſed potius tanquam propriũ corpus effectum, et ſanguinem etiam verbis recipientes* De eodem ſacrificio teſtatur Irenæus aduerſus hereſes lib. 4. c. 32. *Noui teſtamenti nouam docuit oblationem.* Athanaſius apud Damaſcenum ſermone de defunctis, *Incruentum vero ſacrificium propitiatio exiſtit.* Idem teſtatur Cyrillus Ieroſolimit. Cathecheſi 5. Ioannes Chryſoſtomus in pſalm. 370. Et lib. 3. & ſexto, de ſacerdotio. Ambroſius in cap. 1. Lucæ *Cum ſacrificamus, Chriſtus adeſt, Chriſtus immolatur.* Et in pſal. 18. *Et ſi nunc Chriſtus non videatur offerre, ipſe tamẽ offertur in terris, cum corpus eius offertur.* Aug. lib. 4. de Trinit. cap. 14. *Quid gratius offerri, aut ſuſcipi poſſet, quam caro ſacrificij noſtri corpus effectum ſacerdotis noſtri.* Caluinus ſuperbo ſupercilio lib. 4. inſtitut. cap. 18. impudenter repræhendit Sanctos patres, quod toties de hoc ſacrificio mentiones faciãt. Sed ſane Romana Eccleſia nequit errare in hoc articulo, cum, & ſit infallibilis, & habeat *pro ſe verbum Dei*, & primitiuam Eccleſiam.

AR-

ARTICVLVS III.

Soluuntur obiectiones.

OBijciunt 1. ex epiſt.ad hæb.c.10.*Vnam pro peccatis offerens hoſtiam in ſempiternum.Sedet in dextera Dei &c.Vna enim oblatione conſummauit in æternum ſanctificatos.* Si vna ergo nō datur locus repetitioni. Reſp. ibi ſenſum eſſe, quod nullum ſacrificium veteris legis, omnibus ſuffecerit, vt patet ex textu, *Omnis ſacerdos &c.eaſdem ſæpe offerens hoſtias, quæ nunquam poſſunt auferre peccata.* Oblatio vero facta in Cruce omnibus ſuffecit, cum ſemel ſuffecerit cruente immolari, quod non impedit immolationem incruentam. Nam *Deus* debet glorificari, non ſolum ob ſuam magnitudinem,ſed ob multitudinem beneficiorum eius erga nos,atque adeo,debet ſæpius coli, & honorari, per hanc puram oblationē; ſic Chriſtus per ipſum incarnationis actum, dedit gloriam *Deo*, hic tamen noluit ſubſiſtere, ſed vlterius addidit preces, ieiunia, labores afflictiones, tormenta ſuæ paſſionis; cur ergo non reiteraretur hoc puriſſimum ſacrificium, ſi quotidie petimus, & accipimus beneficia, cum *Deus* quotidie etiam ſit glorificandus, ac benedicendus.accedit deinde præceptum Chriſti, *Hoc facite.*

Obijciunt 2. ex eadem epiſt. cap.7. vnus eſt ſacerdos in lege noua, nempe Chriſtus, *Accedens per ſemetipſum ad Deum, ſemper viuens ad interpellandum pro nobis.* Ergo non ſunt plures. Reſp. eum eſſe vnum ſummum ſacerdotem ſine dependentia, & alij de plenitudine eius accipiunt, qui ſunt miniſtri, & diſpenſatores myſteriorum Dei, facientes quod ipſe præcepit facere, vnde inquit Theodoretus in illam epiſt. ad Hæbreos, *Clarum eſt nos aliud ſacrificium non offerre. Sed vnius illius, & ſalutaris memoriam peragere.* Reſpondet Theophilactus in cap. 10. eiuſdem

dem epiſt. *Cõſtat vnicum eſſe noſtrum ſacrificium, vna eſt, quæ offertur hoſtia, hanc enim vt præſentem ſemper offerimus.* Neque etiam in illo textu legitur expreſſe, quod licet fuerit ſemel oblatum in cruce, cruento modo Chriſti corpus, non debeat amplius incruento modo offerri, quare aliæ huiuſmodi locutiones de vna oblatione, intelliguntur iuxta Patres de vna oblatione cruenta, non de incruenta, & in expoſitionibus ſcripturæ, credendum potius patribus, quam nouatoribus, quare donec oſtendant ſectarij, oppoſitum noſtri articuli expreſſe in ſcriptura, & ſe melius exponere ſcripturam, quam patres primitiuæ Eccleſiæ, taceant.

APPENDIX.
De Ritibus Eccleſiaſticis.

IPſa Naturę lex docet ſeruiendum Regibus, & principibus cum aliquo apparatu, cur, & nos Regi regum cultum cęremoniaſque non exhibeamus. Ritus eleuandi manus habetur Exodi 9. verſ. 29. *Ait Moyſes cum egreſſus fuero de vrbe extendam palmas meas ad Dominum,* Exodi 17. verſ. 11. *Cumque leuaret Moyſes manus vincebat Iſrael, ſin autem paululum remiſiſſet ſuperabat Amalec.* Ritus flectendi genua habetur 2. Paralipomenon 6. verſ. 13. *Fecerat Salomon baſim æneam. Et deinceps flexis genibus, et palmis in cælum leuatis, ait &c.* Danielis 6. verſ. 10. *Quod cum Daniel comperiſſet in cænaculo ſuo, tribus temporibus in die flectebat genua, & adorabat.* Math. 26. v. 39. *Et progreſſus puſillum, procidit in faciem ſuã orans & dicens, Pater mi etc.* Luc. 24. v. 50. *Eleuatis manibus ſuis benedixit eis.* En modum benedicendi Act. 21. v. 5. *Poſitis genibus in littore orauimus.* Item Chriſtus adhibuit quoſdam ritus, vt patet in lotione pedum Ioan. 13. verſ. 4. & in illuminando cæco Ioan. 9. verſ. 6. *Lutum fecit ex ſputo.* Ioan. 8. verſ. 6. *Digito ſcribebat in terra.* Si ergo vetus, & nouum teſtamentum

tum recenſeant quaſdam externas Cæremonias, cur nobis non liceat ſimilibus etiam vti.

Hinc ritus certis temporibus ſtandi ad orationem, & genua flectendi, tundendi pectus, leuandi manus, & oculos, & alia huiuſmodi referunt Iuſtinus quæſtione 115. Clemens Alexand. lib. 7. Stromatum. Origines homil. 5. in num. Concilium Nicænum primum Can. 20. Baſilius Magnus lib. de Spiritu ſancto cap. 27. Auguſt. lib. de cura pro mortuis habenda cap. 5. lib. 3. Retract. cap. 11. Cyprianus de oratione Dominica, & alij plures, hinc in Miſſali, & Breuiario Romano præſcribuntur Ritus, idque merito, ad hoc vt cultus Deo, dignius, & ſolemnius exhibeatur, & inde mentes fidelium eleuentur. Quod ergo tradit ſcriptura, quod tradit primitiua Eccleſia, recte hodie etiam facit Romana Eccleſia.

SECTIO ALTERA

De iuſtificatione, Sanctis, imaginibus, reliquijs, purgatorio, indulgentijs.

QVÆSTIO I.

De Iuſtificatione, & meritis bonorum operum.

ARTICVLVS I.

De Iuſtificatione, & quomodo fiat.

HIc etiam præmitto ex Reuerendiſſimo Condomenſi, nos inprimis cum Concil. Trident. ſeſs. 6. c. 9. Credere peccata noſtra nobis remitti, gratis miſericordia Diuina per Chriſtum; vnde idem concilium, eadem illa ſeſs. cap. 8. ait, ideo nos dici gratis iuſtificari, quia nihil eorum, quæ iuſtificatio-

nem præcedunt, ſiue fides, ſiue opera ipſa iuſtificationis gratiam, promeretur; ſcriptura autem iuſtificationem nobis explicat, modo dicendo, quod *D*eus peccata noſtra tegat, modo, quod auferat, modo, quod deleat per gratiam Spiritus ſancti, qui nos facit nouas creaturas: quas omnes expreſſiones adhibendas credimus, ad formandam perfectam ideam iuſtificationis peccatoris: quare credimus non ſolum peccata noſtra tegi, ſed etiam penitus deleri per ſanguinem Ieſu Chriſti, ac per gratiam, quæ nos regenerat; quod non ſolum non obſcurat, vel diminuit dignitatem meritoriam illius pretioſi ſanguinis, ſed potius auget, ac eleuat, adeoq; iuſtitia Chriſti non ſolum eſt imputata, ſed etiam actualiter communicata ſuis fidelibus per operationē Spiritus ſancti, ita vt nō ſolum reputentur, ſed etiam fiant iuſti gratia ipſius. *S*i enim iuſtitia inhærens nobis, non eſſet niſi iuſtitia coram hominibus, non eſſet operatio Spiritus ſancti; eſt igitur iuſtitia coram *D*eo, cum ipſe Deus eam cauſet in nobis, diffundens charitatem in cordibus noſtris; & tamen verum eſt, quod caro concupiſcit aduerſus ſpiritum, & ſpiritus aduerſus carnem, & quod in multis offendimus omnes; vnde fatemur humiliter cum *D*. Auguſtino, quod noſtra iuſtitia, in hoc mundo, conſiſtat potius in remiſſione peccatorum, quam in perfectione virtutum. Et infra de meritis operum: ne autem ſuperbia humana ſibi aduletur, ex opinione meriti præſumptuoſi, idem Trid. docet, quod pretium, & valor operis Chriſtiani proueniat à gratia ſanctificante, quæ nobis gratis datur ex nomine Ieſu Chriſti, qui eſt vnus ex effectibus continuæ influentiæ huius capitis in ſua membra. *E*t poſt non nulla, repetit doctrinam Trident. ſeſſ. 14 cap. 8. dicentis, quod nos nihil ex nobis poſſumus, poſſumus autem in illo, qui nos confortat, quia omnes petimus, omnes ſperamus, omnes gratias agimus per Ieſum Chriſtum. Fatemur aperte, quod non ſimus grati Deo, niſi per ipſum, & in ipſo. Nec

intel-

intelligimus quomodo poſſit nobis ab aduerſarijs aliter imponi: ſic in ipſo ſolo collocamus ſpem ſalutis noſtræ, vt dicamus quotidie in ſacrificio Miſſæ, *Nobis quoque peccatoribus, famulis tuis ſecundum multitudinem miſerationum tuarum, partem aliquã, & ſocietatem donare digneris, cum tuis Sanctis Apoſtolis, & Martyribus, intra quorum conſortium, non æſtimator meriti, ſed veniæ quæſumus largitor admitte.* Et infra. Aduerſarij alieni ſunt à ratione, ſi non fateantur ex hac doctrina de iuſtificatione, haberi, quod omnes Chriſtiani debeant referre totam gloriam ſuæ ſalutis, in Deum per Chriſtum; Vnde non debent nobis obijcere, quod annihilemus gratiam, tribuendo omnia noſtris meritis. Sane ex Trident. habent hæc tria præcipua puncta, nempe quod peccata noſtra, nobis remittantur gratis Diuina miſericordia per Chriſtum: quod liberalitati diuinę debeamus noſtram iuſtificationem; & quod omnia noſtra bona opera, ſint tot dona gratiæ *Dei*, huc vſque doctiſſimus hic Antiſtes, ex cuius tam inſigni declaratione patet quam in materia de iuſtificatione, & meritis, longe abſit ſenſus, Romanæ eccleſiæ, à vana præſumptione.

Hinc diuido hunc articulum per propoſitiones, claritatis gratia, prima propoſitio. *Sine fide impoſſibile eſt placere Deo.* Propoſitio eſt Apoſtoli ad Hebræos 11. & ſermo eſt de adultis, ac de fide actuali, qui eſt ipſe actus ſupernaturalis libere elicitus, quo quis actu credit alicui veritati diuinitus reuelatæ propter authoritatem Dei reuelantis, & ab alijs deſcribitur ſic, *Eſt donum Dei, ac lumen, quo illuſtratus homo firmiter aſſentitur omnibus, quæ Deus reuelauit, & credenda propoſuit per Eccleſiam, ſiue illa ſcripta ſint, ſiue non ſint.* Præter reuelationem diuinam, requiri etiam propoſitionem eccleſię, probaui diſtinctione quarta de regula credendi. Fides duplex eſt alia implicita, alia explicita. Fides implicita eſt illa qua quis in genere aſſentitur omnibus ijs veri-

ritatibus, quas Deus reuelauit, & per eccleſiam credendas propoſuit, licet nullam illarum in particulari vel cogitet, vel cognoſcat. Fides explicita eſt qua aſſentitur in particulari veritati alicui à Deo reuelatæ, vt cum quis credit eſſe vnum Deum in eſſentia, Trinum in perſonis, Verbum eſſe incarnatum, patet propoſitio Apoſtoli ex alijs ſcripturæ locis, probantibus fidem eſſe veram cauſam iuſtitiæ ad Epheſ.2.verſ.8. *Gratia ſaluati eſtis per fidem.* Luce 7. *Fides tua te ſaluum fecit.* ad Rom. 1. *Iuſtus ex fide viuit.*

Propoſitio ſecunda; *quilibet Chriſtianus adultus tenetur credere fide implicita omnia myſteria generaliter, fide vero explicita ſymbolum Apoſtolorum, decalogum, orationem Dominicam: deniq; ea omnia explicite credenda ſunt, quæ ſecundũ exigentiam particularem, cuiuſque ſtatus, & conditionis ad ſalutem conſequendam ſunt neceſſaria.* Hic nota duplex eſſe præceptum fidei, vnum affirmatiuum, quo tenemur ea omnia credere, quæ a Deo reuelata ſunt, & vt talia nobis ab eccleſia proponuntur, alterum negatiuum, quo obligamur, vt erroneis dogmatibus diuinæ voluntati contrarijs, & ab eccleſia damnatis fidem non adhibeamus. Probatur prima pars propoſitionis, tenemur aſſentiri huic generali principio, quo aſſeritur *Illud omne quod Deus reuelauit eſſe infallibiter verũ.* Ergo tenemur implicite credere omnia myſteria, probatur antecedens, tenemur tum ex primo præcepto decalogi, tum ex primo articulo ſymboli vnũ Deum per fidem agnoſcere; ergo tenemur credere eum eſſe veracem in omnibus ſuis dictis, hic autem aſſenſus generaliter, & implicite credit omnia, quæ á Deo dicta ſunt, vel in ſcriptura, vel in traditione diuina, hæc enim omnia à Deo reuelata ſunt iuxta illud 1. ad Theſſal.2. verſic. 23. *Quoniam cum accepiſſetis verbum auditus Dei, non accepiſtis illud, vt verbum hominum, ſed ſicut vere eſt verbum Dei.*

Probatur 2. pars, & primo de ſymbolo ex illo ad Hebræos 11. *Accedentem ad Deum oportet credere quia eſt, & inquirentibus ſe, remunerator ſit*. Hæc duo implicite continent ſymbolum. Vnde ſequitur credenda, quæ ſpectant tam ad myſterium Trinitatis, quam Incarnationis, de Myſterio Trinitatis habetur Matth. vlt. verſ. 20. *Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti*. De incarnatione habetur Ioan. 1. verſ. 12. *Dedit eis poteſtatem Filios Dei fieri, his, qui credunt in nomine eius* & cap. 3. eiuſdem verſ. 18. *Qui credit in eum* (ſcilicet Filium) *Non iudicatur. Qui autem non credit, iam iudicatus eſt, quia non credit in nomine vnigeniti filij Dei*. De decalogo habetur Math. 19. verſ. 17. *Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata*. Seruari autem non poſſunt ſi ignorentur, ergo vt ſeruentur, debent per fidem cognoſci, & credi. De oratione Dominica probatur: Matth. 2. verſ. 7. Iubemur petere, *Petite, & accipietis. Quærite, & inuenietis*; Sed optima forma orandi traditur in oratione Dominica Matth. 6. verſ. 8. *Sic ergo vos orabitis*. Ergo qui Iubemur quærere, & orare, Iubemur ſcire, & credere formulam nobis à Chriſto traditam.

Denique ea omnia credenda ſunt explicite, quæ ad eorum ſacramentorum rationem pertinent, quorum receptio eſt neceſſaria ad ſalutem, cum enim prima diſpoſitio ad ſacramentum aliquod digne ſuſcipiendum in adultis, ſit fides reſpectu illius ſacramenti, quod ſuſcipi debet, ſequitur quod obligatio illius ſacramenti ſuſcipiendi neceſſario ſecum inferat obligationem habendæ fidei explicitæ reſpectu illius. Tandem vnuſquiſque iuxta ſuum ſtatum, & conditionem debet ea omnia explicite credere, quæ ad ſalutem conſequendam ſecundum Diuinæ legis præſcriptum ſunt neceſſaria; hinc in paſtoribus, & doctoribus magis explicita fides requiritur, quam in alijs, qui eorum curæ commiſſi ſunt, cum ſine tali fide non poſſint debite ſuo munere fungi.

Propoſitio tertia, *Licet nullus Chriſtianus adultus teneatur explicite credere omnes veritates reuelatas ſiue verbo ſcripto, ſiue tradito contentas. Tenetur tamen ita poſitiue non diſſentiri vlli veritati reuelatæ, vt ſemper ſit promptus credere cuicumque myſterio, quando, vel quoties credendum ipſi ab eccleſia proponitur.* Prima pars nempe nullum Chriſtianum teneri omnia myſteria explicite credere, probatur, alias nō eſſet opus doctoribus, & fruſtra dixiſset Apoſtolus ad Epheſ. 4. verſ. 11. & 12. *Ipſe dedit quoſdam Apoſtolos, quoſdam prophetas, & doctores in opus miniſterij.* Quod ſi omnes æque eſsent experti in rebus fidei, fruſtra eſſent hi gradus, fruſtra item dixiſset Apoſtolus 1. ad Cor. 12. v. 5. *diuiſiones miniſtrationū ſunt &c.*

Hinc aſſenſus eorum myſteriorum, quæ plene non intelliguntur eſt fides vera, iuxta illud primæ ad Corinth. 13. *Ex parte cognoſcimus.* Et 2. ad eoſdem cap. 10. *Fides in captiuitatem redigit omnem intellectum.* Itaque fidei obiecta ſunt quidem creditu neceſſaria, ſed non cognitu, iuxta Auguſt. contra epiſt. fund. cap. 4. *Fidelium turbam non viuacitas intelligendi, ſed credendi ſimplicitas tutiſſimam facit.*

Probatur 2. & tertia pars nempe non licere poſitiue diſsentiri, vlli myſterio, quinimo quemlibet Chriſtianum teneri promptum eſse credere ea, quæ credenda proponuntur a b eccleſia; Marci vltimo. *Prædicate Euangelium omni creaturæ. Qui crediderit, & baptizatus fuerit ſaluus erit, qui vero non crediderit, condemnabitur.* Verbum illud *Crediderit* generaliter exigit ab omnibus ſimplicitatem Credendi, ſic vt non liceat cuiquam dicere, volo credere euangelia omnia, nolo tamen credere ea, quæ habentur in Epiſtola ad Philemonem, vel volo credere, quod Chriſtus reſurrexerit, nolo tamen credere, quod ingreſſus fuerit ad Diſcipulos ianuis clauſis. Proinde ſic mandat Chriſtus Matth. 23. verſ. 2. & 3. *Super Cathedram Moyſi ſederunt ſcribæ, & phariſæi* (loquitur Chriſtus de Paſtoribus eccleſię) & ſubdit, *Omnia*

ergo

ergo quæcumque dixerint vobis ſeruate, & facite. En regulam generalem; ergo quoties accedit noua declaratio, & debita propoſitio alicuius myſterij, toties requirit Deus promptitudinem aſſentiendi eidē myſterio in omnibus Chriſtianis, quibus facta eſt promulgatio.

Propoſitio quarta, præter fidem requiruntur in Adultis aliæ diſpoſitiones ad iuſtificationem nempe timor Dei, iuxta illud Eccleſiaſtici 1. *Qui ſine timore eſt, non poterit iuſtificari.* Item ſpes veniæ ad Rom. 8. *Spe ſalui facti ſumus.* Item pęnitentia Lucæ 13. *niſi pœnitentiam egeritis, omnes ſimul peribitis.* Denique dilectio, primæ Ioan. 3. cap. *Qui non diligit, manet in morte.*

Propoſitio quinta, fides ſola ſine operibus non iuſtificat. ad Gal. 5. *In Chriſto Ieſu neque circumciſio aliquid valet, neque præputium, ſed fides, quæ per charitatem operatur.* Primæ ad Corinth. 3. *Si habuero omnem fidem, charitatem autem non habuero nihil ſum.* Iacob. 2. *Ex operibus iuſtificatur homo, & non ex fide tantum.*

ARTICVLVS II.

De præceptis, & conſilijs Euangelicis.

Conſilium Euangelicum. *Eſt pia commendatio alicuius boni operis ſupererogatorij. Euangelij præceptum, eſt firmum mandatum præſcribens executionem boni operis ad ſalutem abſolute neceſſarij.*

Tria ſunt conſilia Euangelica, nempe paupertas, caſtitas, & obedientia. Conſilium paupertatis habetur Math. 19. verſ. 21. *Ait illi Ieſus, ſi vis perfectus eſſe, vade, vende, quæ habes, & da pauperibus, & ſequere me.* Et hoc ipſum conſilium commendat Chriſtus Apoſtolis, & alijs ibidem verſic. 27. *Tunc reſpondens Petrus dixit, ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te, quid ergo erit nobis? Ieſus autem dixit illis,*

& infra, *Et omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut ſorores, aut patrem, aut matrem, aut vxorem, aut filios propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam ęternam poſſidebit.* Et Matth. 5. verſ. 3. *Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum Cælorum.* Et Matth. 10. verſ. 9. *Nolite poſſidere aurum, neque argentum, neq; pecuniam in Zonis veſtris,* en tibi quam clare inſinuat Chriſtus conſilium paupertatis.

Conſilium obedientiæ, *Quæ eſt abnegatio propriæ voluntatis habetur* Math. 16. verſ. 24. *Tunc Ieſus dixit diſcipulis ſuis, ſi quis vult poſt me venire, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam & ſequatur me.* Et huius conſilij Chriſtus ipſe dedit exemplum, vt inquit Apoſtolus ad Philippenſes 2. verſ. 8. *Humiliauit ſemetipſum factus obediens vſque ad mortem,* & hoc conſilium datur ad refrænandam dominandi libidinem, per ſubmiſſionem ad alterius voluntatem.

Denique caſtitatis conſilium habetur Math. 19. verſ. 12. *Sunt enim Eunuchi, qui de matris vtero nati ſunt, & ſunt Eunuchi qui facti ſunt ab hominibus, & ſunt Eunuchi, qui ſeipſos caſtrauerunt propter regnum Cœlorum, qui poteſt capere, capiat.* Vtiq; Eunuchi tertij generis hic a Chriſto intelliguntur illi, qui ſponte viuunt in caſtitate. De hoc conſilio Apoſtolus 1. ad Corinth. 7. verſ. 8. *Dico autem non nuptis, & viduis, bonum eſt illis, ſi ſic permaneant, ſicut & ego.* Et infra verſ. 27. *Solutus es ab vxore? noli quærere vxorem.* Et verſ. 38. *Qui matrimonio iungit virginem ſuam, bene facit, & qui non iungit, melius facit.*

Hinc patet conſilia diſtingui à præceptis, vt cõſtat ex ipſo modo loquendi, nam Chriſtus de caſtitate inquit, *qui poteſt capere capiat.* Et Apoſtolus in citato loco, *quod ſi non continent, nubant.* & infra, *De virginibus præceptum Domini non habeo, conſilium autem do,* ergo caſtitas eſt merum conſilium, ſimiliter, & paupertas, vt liquet ex verbis Chriſti, *Si vis perfectus eſſe, vade &c.* ita vt id relinquat hominis voluntati, idem ait de obedientia, *Si quis vult*

poſt

poſt me venire, adeo vt à primo, ad vltimum paupertas, caſtitas,& obedientia ſint conſilia,quæ tamen ſi vouiſti, votum teneris reddere,iuxta illud pſalm.76. *Vouete,& reddite Domino Deo veſtro.* Item Eccleſiaſtes 5.verſ.4. *Si quid vouiſti Deo,ne moreris reddere, diſplicet enim ei infidelis,& ſtulta promiſſio.Sed quodcumque voueris:redde.* Deut.cap.23. verſ.23. *Quod autem ſemel egreſſum eſt de labijs tuis, obſeruabis, & facies ſicut promiſiſti Domino Deo tuo.* Ergo, & licitum eſt vouere,quod Chriſtus,& docuit, & fecit,& Apoſtoli verbo,& exemplo pariter docuere, & neceſſario reddenda ſunt promiſſa vota,vnde inſaniunt hæretici, qui Apoſtatas & excucullatos Monachos ſinunt,imo,& inducunt ſacrilegas nuptias inire.

De præceptis Euangelicis,quę Chriſtiani diuina adiuti gratia obſeruare poſſunt,habemus Ioan.15. verſ.10. *Si præcepta mea ſeruaueritis manebitis in dilectione mea,ſicut,& ego patris mei præcepta ſeruaui* Et Math.28.generaliter mandauit obſeruari ſua pręcepta.*Euntes docete omnes gentes,baptizantes eos &c. docentes eos ſeruare omnia, quæcumque mandaui vobis*, nihil hic excipitur. Dedit multa præceptaChriſtus,vt de baptiſmo Ioan.3.verſ.3. De ſumenda Euchariſtia Ioan.6.de audienda eccleſia Math.18.v.17. & alia in alijs Euangelij locis, quæ quidem diuina adiuuante Gratia obſeruare poſſumus, vt conſtat ex illo Math.11.verſ.29.& 30.*Tollite iugum meum ſuper vos, iugum enim meum ſuaue eſt,& onus meum leue.* Ioan.14.verſ.23. *Si quis diligit me, ſermonem meum ſeruabit*; ergo blaſphemant in Deum,qui dicunt eius præcepta eſſe impoſſibilia,nec opus eſt de his adducere teſtimonia primitiuę eccleſiæ,cum loca ſcripturæ ſint ſatis expreſſa.

A R-

ARTICVLVS III.

De Meritis bonorum operum.

VT ſciant ſectarij nos non gloriari de noſtris bonis operibus, hic recito verba Concil. Trid. ſeſs. 6. cap. 16. *Neque illud omittendum eſt, quod licet bonis operibus in ſacris litteris vſque adeo tribuatur, vt etiam qui vni ex minimis ſuis potum aquæ frigidæ dederit, promittat Chriſtus eum non eſſe ſua mercede cariturum; abſit tamen, vt Chriſtianus homo in ſe ipſo, vel confidat vel glorietur, & non in Domino, cuius tanta eſt erga omnes homines bonitas, vt eorũ velit eſſe merita, quæ ſunt ipſius dona.* Hinc patet ſenſus Catholicorum de bonis operibus; & nos ſic per bona opera mereri Cęlum, eſt communis ſcripturæ phraſis.

Mathæi 5. verſ. 3. & deinceps *Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnorum Cælorum.* & Math. 25. verſ. 34. *Venite benedicti patris mei, poſſidete paratum vobis regnum. Eſuriui enim, & dediſtis mihi manducare, ſitiui, & dediſtis mihi bibere, hoſpes eram, & collegiſtis me, nudus, & cooperuiſtis me &c. diſcedite à me maledicti in ignem æternum, eſuriui enim, & non dediſtis mihi manducare, ſitiui, & non dediſtis mihi potum, hoſpes eram, & non collegiſtis me &c.* Hic benefacientibus vita æterna, malefacientibus ignis æternus promittitur, ergo ſicut demeremur per mala opera, vt patet ex minis, quæ toties intentantur contra malos in ſcriptura, ita mereremur per bona opera, vt ait Apoſtolus 1. ad Corinth. 3. verſ. 18. *Vnuſquiſque autem propriam mercedem accipiet ſecundum ſuum laborem.* & Ioan. 5. verſ. 29. *Et procedent, qui bona fecerunt in reſurrectionem vitæ, qui vero mala egerunt, in reſurrectionem Iudicij.* Et Matth. 19. vidimus vitam æternam promitti relinquentibus domum, patrem, matrem, ſorores, fratres, vxorem &c.

Hinc

Hinc intuitu vitæ æternæ acquirendæ,licet exercere bona opera.Ieremiæ 31. verſ.16.*Eſt merces operi tuo ait dominus*.Lucæ 16. verſ.9. *Facite vobis amicos de mamona iniquitatis, vt cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.* Fruſtra plura recenſeo, cum ſcriptura toties inculcet bona opera, quæ loca non niſi cæcus,& obſtinatus negare poteſt, & vt deſcendam ad particularia.

Ieiunia commendantur Ioelis 2. *Conuertimini ad me in toto corde veſtro, in ieiunio, & fletu, & planctu.* Math.6.verſ.16. *cum ieiunatis, nolite fieri ſicut hypocritæ triſtes.* Secundæ ad Corinth.6. verſ.3. *In omnibus exhibeamus nos ſicut Dei miniſtros, in vigilijs, in ieiunijs.* Et alibi ſæpe. Eleemſyona commendatur Danielis 4. verſ. 24. *Peccata tua Eleemoſynis redime.* Lucæ 11.verſ.41.*Date eleemoſynam.*

Oratio commendantur Luc.19. verſ.46. *Domus mea domus orationis eſt.* 1.Petri 4.verſ. 7. *Vigilate in orationibus.* Ad Colloſſenſes 4. verſ. 2. *Orationi inſtate, vigilantes.* In his tribus operum generibus nempe in ieiunio, in oratione,in eleemoſynis exerceri debet Chriſtiani hominis vita. Et in his teſte Apoſtolo 2.ad Corinth.9. *Qui parce ſeminat, parce, & metet, & qui ſeminat in benedictionibus, de benedictionibus, & metet;* nam inquit idem ad Rom.8. *Debitores ſumus non carni, vt ſecundum carnem viuamus, ſi enim ſecundum carnem vixeritis moriemini; ſi autem ſpiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis.* Quę omnia per ſe ſine alijs teſtimonijs pro bonorum operum commendatione ſufficiunt.

ARTICVLVS IV.

Soluuntur obiectiones.

QVi ſemel (inquit Cicero) Verecundiæ fines tranſgreſſus eſt, eum opportet, bene & nauiter eſſe impudentem, ſectarij non ſunt contenti, bo-

na opera contra expreſſos ſcripturæ textus, negare, ſed volunt etiam, in hoc ipſo, quod malefaciunt, videri bene facere, proinde.

Obijciunt primo ex 2. ad Corinth. 3. *Vbi ſpiritus Domini, ibi libertas:* Ergo qui habent ſpiritum Domini, nullam habent obligationem, quia vbi obligatio eſt, ibi nulla eſt libertas, contra 1. De quo ſpiritu loquatur ibi Apoſtolus, explicat ipſe in Epiſt. ad Rom. 8. cap. *Si autem Spiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis.* Contra 2. ipſe Paulus, & alij Apoſtoli, habuerunt ſpiritum Domini, & tamen bona opera indeſinenter exercuerunt: ergo ex mente Pauli, hinc ſequitur, quod qui habent ſpiritum Domini, debent potius ſemper bene facere. Contra 3. alia eſt obligatio ſeruilis, quam habent ſubditi ad leges, & magiſtratus, quæ ſtat cum libertate, alia eſt obligatio filialis, quam filij habent ad parentes; Chriſtiani ſunt filij Dei, liberati a ſeruitute Diaboli, peccati, & mortis æternæ, non tamen ab obligatione, quam habent creaturæ ad Creatorem, & filij adoptitii Dei, erga Deum patrem illorum. *Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata.* Inquit Chriſtus Math. 19.

Obijciunt 2. ad Rom. cap. 1. & alibi ſæpe, *Iuſtus ex fide viuit*, Ergo ad vitam ſufficit fides, & ideo obſeruantia legis non eſt neceſſaria. Reſp. 1. cum ipſo Apoſtolo 1. Corinth. 13. *Si habuero omnem fidem, charitatem non habeam, nihil ſum.* Reſp. 2. ibi expreſſe non haberi bona opera ſuperfluere. Reſp. 3. per iuſtum in ſcriptura intelligi eum, qui bonis operibus intendit, iuxta illud Lucæ 1. verſ. 6. *Erant iuſti ambo ante Deum, incedentes in omnibus mandatis, & iuſtificationibus Domini;* Deinde Apoſtolus ipſe habuit fidem, & tamen exercuit bona opera, vt Epiſtolæ ipſius clamant, quam autem pernicioſa ſit doctrina de ſola fide, patet ex 1. parte diſt. 2.

Dices ex 1. ad Tim. 4. *Lex iuſto non eſt poſita, ſed iniuſtis;* ergo Chriſtianus non obligatur legibus. Cõ-

tra

tra Math.19. *Si vis ad vitam ingredi ſerua mandata.* Et Math.28. *Docentes eos ſeruare, omnia quæcumq; mandaui vobis.* Deinde in lege ſunt tria, nempe obligare. Dirigere, & coercere, quo ad duo priora iuſtis lex eſt poſita, non vero quoad tertium, ſeu, quoad coercere, cum ſponte ſua legem obſeruent.

Obijciunt tertio, fit iniuria Chriſto, & illius merito, ſi dicatur merita ipſius non ſufficere ſine noſtris operibus, ad obtinendam vitam æternam, ergo non eſt dicendum, opera noſtra eſſe neceſſaria. Contra peto, num fecerit iniuriam Paulus dum 2.ad Tim.4. inquit, *Bonum certamen certaui, curſum conſummaui, in reliquo repoſita eſt mihi corona Iuſtitiæ.* Corona autem correſpondet meritis? contra 2. facit ne ſibi iniuriam Chriſtus, dum Math.19.& 25. tam aperte commendat bona opera. Reſp. ergo non fieri iniuriam mari, ſi fontes, & flumina ab illo manantia, irrigent terram, non Soli, ſi Luna, & ſtellæ lucem ab illo acceptam, communicent terræ, Chriſtus non fecit iniuriam ſibi, ſi cum primus actus incarnationis eſſet ſummi valoris, & ſufficientiſſimus, ad dandam gloriam Deo, & ſalutem mundo, tamen in tota vita, voluit innumerabiles actus multiplicare, ita non fit iniuria Chriſto, quod ſit tantæ poteſtatis, vt poſſit non ſolum ipſe mereri, ſed alijs etiam dare virtutem merendi, ſic caput influit in membra, ſic vitis in palmites, ſic Sol in terram virtutem influit, vt fructificet.

Obijciunt 4. illud Apoſtoli primæ ad Timot.4. *In nouiſſimis diebus, quidã diſcedent à fide attendẽtes ſpiritibus erroris, prohibentiũ nubere, & abſtinere à cibis, quos Deus creauit.* Ergo neque cælibatus, neque abſtinentia ſunt licita. Contra 1. Cur Ioannes Baptiſta, cur Paulus ipſe, cur cæteri Apoſtoli, & diſcipuli Domini obſeruarunt cælibatum, & abſtinebant, ac ieiunabant? cur idem ipſe Apoſtolus ad Romanos cap.14. verſ.21. *Ait bonum eſt non manducare*

ducare carnem, & non bibere vinum? Eſtne dicendum, quod in his errauerit ipſe, errauerint alij prædicti? Reſp. ergo cum Theophilacto, Chryſoſtomo ſuper hunc locum, cum Aug. contra Adimantum cap. 14. & contra Fauſtum lib. 3. cap. 6. Apoſtolum hic loqui de ijs, qui tunc dicebant, & poſtea dicturi erant cibos, nempe carnem, & vinum, ac nuptias eſſe à Diabolo, ac proinde ab ijs omnino abſtinendum eſſe, ſic tenebant Manichæi, teſte Epiphanio, & Saturniani, teſte Irenæo lib. 1. cap. 21. Vnde aliud eſt abſtinere ab his, credendo ea eſſe ſimpliciter mala, aliud abſtinere propter carnis mortificationem, vt fecere Apoſtoli, & fit hodie in Eccleſia Romana, ad eorum exemplum.

Vnde ex obiectionibus Hæreticorum hoc tantum elicitur, eos dum impugnant legis obſeruantiā, nolle ſubdi Deo, principibus, regibus, dominis vllis. Sed in hoc diaboli inimici omnis obedientiæ, velle partes ſequi, & imitari, dum item bona opera negant, velle impugnare iuſtitiam, caſtitatem, temperantiam, charitatem, pietatem, omnes denique virtutes è medio tollere; quod neque ipſis paganis, venit in mentem impugnare, item vitam Chriſti, vitam Apoſtolorum, Martyrum, confeſſorum, virginum, denique præmium, & pœnam, Paradiſum, & Infernum vel negare, vel certe non curare. O vitam extinctam.

QVÆSTIO II.

De Sanctis, Imaginibus, ac Reliquijs.

ARTICVLVS I.

De Canonizatione, ac cultu Sanctorum.

CAnonizatio eſt canonica, & publica ſanctitatis alicuius hominis approbatio, qua quis catalogo

logo Sanctorum adſcriptus declaratur, & ſolemniter promulgatur, cunctiſque Chriſti fidelibus inuocandus, diuinique officij celebratione colendus proponitur. Vnde olim Epiſcopi in ſuis diœceſibus canonizabant, ſed illud eorum iudicium, non erat infallibiliter certum, neque obligabat totam eccleſiam, quæ conſuetudo ad tollendos varios abuſus abrogata fuit ab Alexandro Tertio ſummo Pontifice, adeo vt deinceps ſoli Romani Pontifices, vel concilia Oecumenica id præſtent. Vſus iſte Canonizandi, ſeu declarandi Sanctitatem alicuius hominis, fundatur in ipſa ſcriptura Eccleſiaſtici 44. Vbi Eccleſiaſticus declarat, & promulgat ſanctitatem Enochi, Noe, Abrahami, Iſac, Iacob, & cap. 45. & 49. declarat, & promulgat Sanctitatem, Moyſis, & Ioſue.

Nec eſt quod Cauillentur ſectarij, ſe non admittere hunc librum, nam antequam ſcriberetur liber iſte, ſanctitas eorumdem exprimitur in pentateucho, ſanctitas Henoch Gen. 5. verſ. 22. ſanctitas Abraham, Gen. 6. 7. 9. 12. 15. & 17. ſanctitas Iſaac, & Iacob Exodi 3. & 32. ſanctitas Moyſis, toto libro Exodi, ſanctitas Ioſue, in libro Ioſue, deinde in nouo teſtamento, ſanctorum vita declaratur, & commendatur. Sic Paulus Apoſtolus ad Hebræos 13. v. 7. *Mementote præpoſitorum veſtrorum, qui vobis locuti ſunt verbum Dei, quorum intuentes exitum conuerſationis, imitamini fidem.* Cummemorat idem Apoſtolus cap. 11. ſanctorum virtutes, commemorat etiã Lucas Euangeliſta cap. 1. ſui Euangelij ſanctitatem Zachariæ, & Elizabeth, & in actibus Apoſtolorum, ſanctitatem Apoſtoli Petri, Pauli, Barnabæ, Silæ, Philippi, Stephani, & aliorum. Sed hoc nihil aliud eſt, quam Canonizatio, ſeu probatio, & promulgatio Sanctorum nobis facta, vt eorum *Intuentes exitum conuerſationis, imitemur fidem.* Sed poſt mortem Apoſtolorum, remanſere ſemper Sancti in Eccleſia, vt vidimus diſtin. 8. quæſt. 2. idque iuxta promiſſionem

nem Chriſti. Ioan. 14. verſ. 12. *Qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipſe faciet, & maiora horum faciet.*

Poteſt ergo eccleſia, poſtquam fecit diligentem indaginem de vita, & virtutibus alicuius Sancti, prout ſolet fieri in canonizatione, declarare eum includi in illa propoſitione Chriſti. Ioan. 12. verſ. 26. *Vbi ſum ego, illic, & miniſter meus erit, ſi quis mihi miniſtrauerit, honorificabit eum pater meus.* & Math. 5. *Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum Cœlorum* : Vnde ſicut, quãdo quis moritur pro fide orthodoxa, infert eccleſia, ex illa confeſſione externa, eum includi in illa propoſitione Chriſti. Ioannis item 12. verſ. 25. *Qui amat animam ſuam, perdet eam, & qui odit animam ſuam in hoc mundo, in vitam æternam cuſtodit eam.* Sic etiam, ex actibus bonis externis, & miraculis, quæ dicuntur à Chriſto, ſigna veri fidelis, Marci 16. infert talem includi in illis propoſitionibus, *Hororificabit eum pater meus, illic, & miniſter meus erit;* Sicut etiam poteſt declarare Hæreticum eum, qui contradicit verbo Dei intellecto iuxta ſenſum eccleſiæ, & includi in illa propoſitione, *ſi Eccleſiam non audierit, ſit tibi, ſicut Ethnicus & publicanus.* Sic concilium Epheſinum declarauit, Neſtorium, ſic Nicænum, Arianos, nec refert quod eccleſia, in canonizatione vtatur teſtimonijs humanis, nam talia teſtimonia ſunt tantum conditiones neceſſariæ, quales etiam adhibet, in inquiſitione hæreticorum, ratio tamen, & cauſa præcipua ipſius canonizationis, ſeu declarationis, eſt aſſiſtentia infallibilis Spiritus ſancti, iuxta illud Ioan. 14. *Spiritus autem paraclitus docebit vos omnia, & ſuggeret vobis omnia.* Neque ad hoc requiritur noua reuelatio, ſed ſufficit applicatio reuelationis olim factæ, in qua applicatione, in re tanti momenti, totam eccleſiam concernente, non eſt præſumendum deeſſe Spiritus ſancti aſſiſtentiam.

De

De Cultu Sanctorum.

IOſue 5.verſ.13. *Cum autem eſſet Ioſue in agro &c. Vidit virum ſtantem contra ſe,& ait,noſter es, an aduerſariorum? qui reſpondit nequaquam, ſed ſum princeps exercitus Domini,& nunc venio, cecidit Ioſue pronus in terram, & adorans ait, quid Dominus meus loquitur ad ſeruum ſuum?* Hic Ioſue colit, & veneratur Angelum Domini,ergo licitum eſt Angelos,& Sanctos venerari. Primi regum cap.28. ver.11 *Dixitq; ei mulier,quem ſuſcitabo tibi, qui ait Samuelem mihi ſuſcita,& intellexit Saul,quod Samuel eſſet, & inclinauit ſe ſuper faciem ſuam in terra, & adorauit.Dixit autem Samuel ad Saul, quare inquietaſti me vt ſuſcitarer.* Hic Saul veneratur Samuelis animam,nec tamen ob hoc reprehenditur á ſcriptura, ergo,& nos ſimiliter poſſumus venerari Sanctos,& 4. Reg.2.cap.verſ.15. *Videntes filij prophetarum dixerunt requieuit ſpiritus Eliæ ſuper Eliſæum,& venientes in occurſum eius,adorauerunt eum proni in terrã.* Cur ergo non liceat nobis venerari Sanctos, ob eorum ſanctitatem.

ARTICVLVS II.

De Inuocatione Sanctorum.

AVduerte hic ex Reuerendiſſimo Condomenſe, quod eccleſia docens nos inuocare Sanctos doceat illos inuocandos in hoc ipſo charitatis Spiritu, quo mouemur ad petendam opem à noſtris confratribus,viuentibus in terra.Hinc Cathechiſmus Concil.Trident.concludit, quod ſi dignitas mediatoris, quam ſcriptura tribuit Chriſto,læderetur ex hac inuocatione Sanctorum regnantium in Cœlo,eodem etiam modo lederetur ex intercceſſione fidelium nobiſcum viuentium in terris. Et declarat idem catechiſmus, latam eſſe differentiam, inter modum implo-

plorandi opem Dei, & opem Sanctorum, nam oramus Deum, vt vel nobis bona tribuat, vel á malis liberet. *A Sanctis autem, quia gratioſi ſunt apud Deum petimus, vt noſtri apud Deum patrocinium ſuſcipiant.* Ad Deum dicimus, *Miſerere nobis*, ad Sanctum *Ora pro nobis*. Et infra idem author ſubiungit: qui conſiderat hanc doctrinam, fateatur neceſſe eſt, quod ſicut in hac inuocatione non tollimus á Deo vllam perfectionem ei propriam, ita neque tribuamus creaturæ, vllã eius proprietatem, nam, cũ aiunt quidã nos tribuere Sanctis quandã immenſitatem, vel certe cognitionem ſecretorum cordis, ſoli Deo reſeruatam, non bene intelligunt noſtram doctrinam, nam ſane non eſt hinc intelligendum, quod creatura eleuetur ſupra ſuam conditionem, ex eo quod, dicatur habere aliquam cognitionem rerum, ex lumine, quod Deus ei communicat, vt patet ab exemplo prophetarum, quibus Deus etiam reuelauit futura contingentia, quæ tamen videntur ſpecialiter reſeruata cognitioni Diuinæ. Docet autem eccleſia orationes factas eſſe vtiles facientibus, ſiue Sancti eas cognoſcant miniſterio, & conſortio Angelorum, qui iuxta ſcripturam cognoſcunt ea, quæ fiunt apud nos, cum ſint adminiſtratorij ſpiritus ſiue eas cognoſcant, per hoc, quod Deus eis aperiat per ſpecialem reuelationem noſtra deſideria, ſiue denique eis aperiat ſecreta, in ſua infinita eſſentia, in qua omnis veritas comprehenditur. His ex laudatiſſimo illo opere præmiſſis.

Inuocatio Sanctorum eſt imploratio diuini fauoris per merita Sanctorum, vbi nota antequam pergam vlterius, de fide eſſe Chriſtum in Cœlis orare pro nobis, vt conſtat ex epiſtola ad Romanos cap. 8. verſ. 34. *Chriſtus Ieſus, qui eſt ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis*; Vtique qua homo eſt, nam vt Deus non eſt ſuplex ſibi ipſi, hinc quando Caluinus, & ſui ſequaces blaterant dicentes, quis porrexit tam longas aures ſanctis, vt audiant noſtras preces? Certe ſi quid valet hoc ſcomma, etiam ferit

Chri-

Chriſtum qua homo eſt,nam procul dubio qua talis non eſt vbique, & quatenus homo interpellat pro nobis videns eccleſiam ſuam, & illius ſtatum in eſſentia Diuina, ſic ſancti, ad quos fundimus preces, orationes noſtras vident in eſſentia *Diuina* vt dictum eſt, & ſi neget quis eas ſic à ſanctis videri,tam poterit id ipſum negare de humanitate Chriſti, vnde quidquid in hoc genere opponunt Sanctis,opponere poſſunt Chriſto.

In primis Sancti,& Angeli orant pro nobis.Zachariæ 1. verſ.12.*Reſpondit Angelus Domini,& dixit Domine exercituum, vſquequo tu non miſereberis Ieruſalem,& vrbium Iuda,quibus iratus es? & Reſpondit Dominus Angelo,qui loquebatur in me verba bona, verba conſolatoria*. Hinc vides Angelum oraſſe pro Ieruſalem;vti orant,& Sancti, vt conſtat ex epiſt. 2. D.Petri verſ.15. *Dabo autem operam, & frequenter habere vos poſt obitum meum,vt horum memoriam faciatis*. Vbi oſtendit ſe fore memorem poſt mortem ſui gregis. item ſancti in hac vita orarunt pro inuicem. Ad Romanos 1. verſ. 9. *Sine intermiſſione memoriam veſtri facio, ſemper in orationibus meis*. Et alibi ſæpe idipſum dixit vt ad Colloſſenſes 4.verſ.3. *Orationi inſtate orantes ſimul, & pro nobis, vt Deus aperiat nobis oſtium ſermonis ad loquendum*. 2. ad Theſſal.3. verſ.1. *De cætero fratres orate pro nobis*. Vbi vides ſanctos viuos orare pro inuicem, & ne plura repetam in hoc genere, ſufficiat illud Iob.cap. vltimo. *Dixit Dominus ad Eliphaz Themanitem iratus eſt furor meus in te, & in duos amicos tuos, quoniam non eſtis locuti coram me rectum,ſicut ſeruus meus Iob. ite ad ſeruum meum Iob; orabit pro vobis, faciem eius ſuſcipiam, vt non vobis imputetur ſtultitia*. Ordinat hoc Deus ipſe, vt Iob oret pro ſuis amicis.

Nec ſolum viui,ſed defuncti etiam ſancti inuocantur in ſcriptura Genſ.48.verſ.16. Angelus, *Qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris iſtis, &*

inuocetur ſuper eos nomen meum, nomina quoque patrum meorum Abraham, & Iſaac; inquit Iacob orans, & benedicens filijs *I*oſeph Exod.32.ver.13. *Eſto placabilis ſuper nequitia populi tui, recordare Abraham, Iſaac, & Iacob, ſeruorum tuorum,* ait Moyſes. Danielis 3.verſ.35. *Neque auferas, miſericordiam tuam a nobis propter Abraham dilectum tuum, & Iſaac ſeruũ tuum, & Iſrael ſanctum tuum.* 2. Paralip. cap.6. verſ.42. Orat Salomon Deum, *Domine Deus ne auertas faciem Chriſti tui, memento miſericordiarum Dauid ſerui tui.* Apoc.5. verſ. 8. *Seniores ceciderunt coram agno habentes ſinguli citharas, & phialas aureas plenas odoramentorum, quæ ſunt orationes Sanctorum.* & cap.8.verſ.3. *& alius Angelus venit, & ſtetit, data ſunt illi incenſa multa, vt daret de orationibus Sanctorum omnium ſuper altare aureum.*

Nunc ſic diſcurro ſancti in hoc mundo orarunt, & orant pro alijs, vt orauit Moyſes Exod.23.ver.11. & vlterius patet ex dictis, ergo, & in Paradiſo poſſunt orare pro alijs, ſi enim non poſſunt, id proueniret, vel ex defectu Charitatis, vel ex defectu potentiæ, non ex defectu charitatis, nam charitas potius augetur, quam diminuitur in Paradiſo: non etiam ex defectu potentiæ, nam ſi quid in hac parte eos impediret, eſſet viſio Dei, ſed hæc non, quia iſta non impedit humanitatem Chriſti, quo minus, interpellet pro nobis, vt vidimus, neque impedit Angelos, qui etiam vident Deum, & tamen orant pro hominibus, vt vidimus, ergo, & alij Sancti poſſunt ſimiliter orare pro nobis, vnde quidquid ipſis obijcitur in hac parte, obijci poterit humanitati Chriſti.

Accedit conſenſus primitiuæ Eccleſiæ.

ORigenes in lament, *Incipiam me genibus proſternere, & deprecari vniuerſos Sanctos, vt mihi ſuccurrant.* D. Baſilius homil. in 40. Martyres. *Qui aliqua premitur anguſtia ad hos confugiat, hos oret.*

Idem

Idem de Sanctorum inuocatione aſſerit Gregorius Nazianzenus,orat.18.quæ eſt in laudem S. Cypriani Martyris.Ioannes Chryſoſtomus homil.26.in ſecundæ ad Corinth. & homil.in natali Apoſtolorum Petri,& Pauli. Concilium Calcedonenſe, Actione vndecima. *Flauiano æterna memoria,ecce vltio,ecce veritas,Flauianus poſt mortem viuit, martyr pro nobis oret.* Teſtantur item S.Cyprianus de Stella, & Magis,& morte Innocentium. Aug.de Baptiſmo contra Donatiſtas lib.6. cap.1. Ambroſius lib. de viduis: hinc ſequitur,vti vera eccleſia, quæ eſt ſola Romana,non poteſt errare, ita in hoc puncto nullum ſubeſſe errorem,cum habeat pro ſe Verbum *Dei*,& primitiuam Eccleſiam.

ARTICVLVS III.

Eccleſia Romana eſt pura ab omni prorſus hagiolatria in cultu, & inuocatione Sanctorum.

HIc etiam falluntur, & fallunt ſectarij aſſerentes nos eſſe hagiolatras, dum colimus, & inuocamus ſanctos, qua calumnia afficiunt totum viſibilis eccleſiæ corpus,quod a morte Chriſti, & Apoſtolorum vſq; ad hoc vltimum ſæculum qua quauerſum diffundebatur,& exſtitit,calumniantur vtique etiam quotquot in eccleſia floruere ſanctitate,& miraculis, vt ſunt Auguſtinus Ambroſius, Bernardus, Dominicus, Franciſcus, qui omnes huic cultui aſtipulabantur;quid multis? accuſationis iſtius ſententia percellit Chriſtum ipſum, quod tam fuerit ſuæ promiſſionis immemor, vt permiſerit totam eccleſiæ faciem,ſi credimus ſectarijs,horrendo idololatriç contagio fædari, & ſic permiſerit portas inferi, præualere aduerſus eccleſiam illam, *Quam acquiſiuit ſanguine ſuo,& ſeipſum tradidit pro illa, vt eam ſanctificaret, vt exhiberet ipſe ſibi glorioſam Eccleſiam,non*

habentem maculam, aut rugam, aut aliquid huiuſmodi. Sed vt ſit Sancta, & immaculata. Oporteret, ergo probare hunc Chriſti laborem fuiſſe caſsum, cum defuiſſe promiſſis, defeciſſe totam eccleſiam, in qua hactenus à primordio ſuæ inſtitutionis colebantur ſancti, alioquin niſi iſta probentur, accuſatio nec caput, nec pedes habebit.

Sed vt ex integro diluamus Calumniam, hæc addo, tunc committitur Idololatria, quando Cultus ſoli Deo debitus transfertur ad creaturam, ſed in cultu, & inuocatione Sanctorum, prout in praxi eſt apud Romanam eccleſiam, honor ſoli Deo debitus, non transfertur ad creaturam; ergo nulla in hoc cultu interuenit idololatria; minor probatur, eſto enim Beati ſint creaturę, honor tamen, quem illis exhibet Romana eccleſia, talis eſt, vt nec ex natura ſua, nec ex conſuetudine, nec ex intentione, qua catholici ſanctos venerantur, poſſit cenſeri diuinus.

Primo enim Sanctos colimus, cum ab illis petimus, vt pro nobis orent Deum, ſed huiuſmodi cultus non eſt diuinus, neque ſapit idololatriam, alioquin idololatra eſſet, Apoſtolus Paulus, dum ad Coloſs.4.verſ.1.ait, *Orationi inſtate, orantes ſimul & pro nobis. Et* 2.ad Theſſal.3.verſic.1. *De cætero fratres orate pro nobis.* Imo quod eſt horrendum cogitatu, author idololatriæ eſſet Deus ipſe, dum in libro Iob capite vltimo ſic mandat, *Dixit Dominus ad Eliphaz Themanitem, iratus eſt furor meus in te, & in duos amicos tuos,* & infra *ite ad ſeruum meum Iob, orabit pro vobis. Faciem eius ſuſcipiam.* Idololatra denique eſſet patriarcha Iacob, dum Gen. 48. verſ. 16. *ait Angelus quieruit me de cunctis malis, benedicat pueris iſtis.* Dum ergo inuocamus Sanctos, non eos reputamus velut numen, aut Deum, ſed Dei amicos, mihi autem inquit ſanctiſſimus Dauid, pſal.38. *Nimis honorarati ſunt amici tui Deus.*

Secundo colimus Sanctos, cum Deum ipſum deprecamur, vt Sanctorum intuitu aliquid nobis con-

conferat, atqui hic modus eſt remotiſſimus ab omni idololatria, dum enim Deum obſecramus, vt Sanctorum intuitu aliquid nobis elargiatur, hoc ipſo proteſtamur ſanctos Deo eſſe inferiores, vnde nihil hic ſubeſt idololatriæ, alioquin idololatra eſſet Salomon tunc etiam, quando cor eius erat rectum cum Domino, qui tamen 2. Paralip. 6. orat. *Memento miſericordiarum Dauid ſerui tui*. Imo Deus ipſe 4. Reg. 19. *ait protegam vrbem hanc, & ſaluabo eam propter me, & propter Dauid ſeruum meum*. Quid amabo eſt propter me, & propter Dauid ſeruum meum, niſi mei ipſius, & Dauid, ſerui mei intuitu? quod ergo Deus ſe facturum Spondebat, etiam vt faceret rogari poterat, ſcilicet vt protegeret vrbem, & ſaluaret eam, propter Dauid ſeruum ſuum, ſi autem huiuſmodi deprecatio eſſet idololatria, cui quæſo imputari deberet, niſi ei, qui affirmauit ſe protecturum vrbem, & ſaluaturum propter Dauid ſeruum ſuum, quod eſſet ipſum Deum idololatriæ conſtituere authorem, quod omnem excedit blaſphemiam: ſi denique talis inuocatio eſſet idololatria, idololatra eſſet Moyſes, orando Exodi 32. *Recordare Abraham, Iſaac, & Iſrael ſeruorum tuorum*. Idololatra eſſet Azarias orans Dan. 3. *neque auferas miſericordiam tuam a nobis, propter Abraham dilectum tuum, & Iſrael ſanctum tuum*.

Tertio tandem colimus Sanctos, cum in eorum memoriam templa conſtruimus, aras erigimus, feſta celebramus, in quibus omnibus nihil facit Romana eccleſia, niſi quod primitiua faciebat eccleſia, nam Concilium Epheſinum in eccleſia dedicata Beatæ Virgini fuit celebratum, concilium Calcedonenſe in eccleſia Sanctæ Euphemiæ martyris fuit habitum; quod clare monſtrat ijs etiam ſæculis, quibus eccleſia ſecundum ſectarios fuit ſanctiſſima, ſolitum eſſe dedicare templa Sanctis, de qua refert ſuum teſtimonium D. Auguſtinus (quem, Caluinus lib. 4. inſtitut. cap. 4. Optimum ex tota antiquitate,

& fideliſſimum teſtem agnoſcit) Auguſtinus ergo lib. 20. contra Fauſtum Manichæum cap. 21. inquit. *Populus Chriſtianus memorias martyrum religioſa ſolemnitate concelebrat, & ad excitandam imitationē, & vt meritis eorum conſocietur, atque orationibus adiuuetur, ita tamen, vt nulli martyrum, ſed ipſi Deo ſacrificemus, quamuis in memorias martyrum conſtituamus altaria.* Denique in ſupradicto Calcedonenſi concilio ſæpius nominatur Flauianus martyr, & ibidem dicitur *Flauianus martyr pro nobis oret.*

Nos interim Catholici, ſecure id credimus, quod ex ſcriptura nobis per eccleſiam proponitur, & ſecure facimus, quod Oecumenica concilia, tempore primitiuæ eccleſiæ fecerunt, quibus ſecurius conſentimus, quam vertiginoſo ſartorum, ſutorum, mulierecularum cerebro, qui apud ſectarios, ſi ſuperis placet, poſſunt pro tribunali fidei ſedere, & donec probent, quod ipſi melius intelligant, & exponant ſcripturam, quam præfata concilia, imo quam tota primitiua eccleſia, ſeque infallibiliter eſſe certos, quod bene ex ſcriptura inferant ſuam conſequentiam, erunt habendi impoſtores.

ARTICVLVS IV.

De Cultu Reliquiarum, & Imaginum.

SEctarij vel ex mera malitia, vel ex craſsa, & ſupina ignorantia dicunt Catholicos Romanos eſse idololatras, eo quod colant, vel venerentur imagines, aut reliquias Sanctorum, hinc ex eadem vel malitia, vel ignorantia contra nos allegant omnia illa ſcripturæ loca, in quibus idola, & cultus falſorum Deorum prohibentur, ſed quam abſurde, & iniuſte id faciant, patet manifeſte; primo, quia cultus imaginum, & adoratio idolorum longe differunt, ſicut multum differunt ipſa nomina ſcilicet imago, & idolum, nam Geneſ. 1. verſ. 27. *Dicitur faciamus homi-*

minem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram. Et 1. ad Corinth. 11. verſ. 7. *Vir quidem non debet velare caput ſuum, quoniam imago, & gloria Dei eſt*, in quibus locis ſi aduerſarij contendant idem eſſe idolum, & imaginem, neceſſe eſt, vt dicant quod quando Deus creauit Adamum ad imaginem ſuam, creauerit ſibi idolum, & licet aliquando in ſcriptura imago etiam prohibeatur, tunc tamen ſumitur pro idolo, ſeu effigie creaturę habitæ pro Deo, vt habetur Deutoronomij 4. *Ne forte faciatis imaginem.* Et datur ratio infra verſic. 19. *Ne forte adores ea, & colas.* Vbi iſta prohibitio refertur ad idololatriam.

Nos autem Romano-catholici non adoramus imagines tanquam Deos, vt bene declarat concilium Tridentinum ſeſs. 25. de ſacris imaginibus. *Imagines porro Chriſti, Deiparæ Virginis, & aliorum Sanctorum in templis præſertim habendæ, non quod credatur in eſſe aliqua in ijs diuinitas, vel virtus, propter quam ſint colendæ, vel quod ab eis ſit aliquid petendum, vel quod fiducia in imaginibus ſit figenda, veluti olim fiebat a Gentibus, quæ in idolis ſpem ſuam collocabant, ſed quoniam honos, qui eis exhibetur, refertur ad prototypa, quæ illæ repræſentant, itavt per imagines, quas oſculamur, & coram quibus caput aperimus, & procumbimus, Chriſtum adoremus; & Sanctos, quorum illæ ſimilitudinem gerunt, veneremur.* Hæc concilium, vbi patet manifeſte cultum, quem nos exhibemus imaginibus, eſſe longe diuerſum à cultu, quem gentiles exhibebant idolis, illi enim exhibebant idolis cultum latriæ, qui ſoli Deo debetur, nos vero exhibemus tantum cultum inferiorem ſanctis, & in Deum referibilem, & cultus eorum imaginibus exhibitus, eſt relatiuus relatus nempe ad ipſum ſanctum.

Et huiuſmodi cultum eſſe licitum, ac licitas eſſe imagines, probatur Exodi 25. verſ. 18. *Duo quoque Cherubim aureos, & productiles facies ex vtraque*

parte oraculi. Numeri 21. verſ. 8. *Fac ſerpentem æneum, & pone eum pro ſigno, qui percuſſus aſpexerit eum viuet.* 3. Regum 6. cap. verſ. 23. *Et fecit* (ſcilicet Salomon) *in oraculo duos Cherubim de lignis oliuarum decem cubitorum altitudinis*, & cap. 7. verſ. 36. *Sculpſit quoque in tabulatis illis, quæ erant ex ære, & in angulis Cherubim, & leones, & palmas, quaſi in ſimilitudinem hominis ſtantis*. Quis audeat dicere Moyſem, aut Salomonem in hac re fuiſſe idololatras? deinde Deus ipſe in forma viſibili apparuit Iſaiæ 6. verſ. 1. *Vidi Dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum, & eleuatum*. Danielis 7. verſ. 13. *Aſpiciebam in viſione noctis & ecce cum nubibus cœli, quaſi filius hominis veniebat, & vſque ad antiquum dierum peruenit.* Sic Math. 3. verſ. 26. *Spiritus ſanctus apparuit in ſpecie columbæ.* Sic Math. 28. *Angelus Domini deſcendit de cœlo*, & viſibili modo apparuit, ſi ergo in forma viſibili Deus, & Angeli apparuerunt, cur non liceat eos ſic pingere?

Licere ſacras imagines, & reliquias venerari, patet primo ex veteri teſtamento. Ioſue 7. verſic. 6: Pſal. 98. verſ. *Ioſue vero ſcidit veſtimenta ſua, & pronus cecidit in terram coram Arca Domini vſque ad veſperam tam ipſe, quam omnes ſenes Iſrael.* Pſal. 98. verſ. 5. *Adorate ſcabellum pedum eius, quoniam ſanctum eſt.* Per ſcabellum hic intelligitur Arca, vt conſtat ex lib. 1. Paralipomenon cap. 28. verſ. 2. *Cogitaui vt ædificarem domum, in qua requieſceret arca fœderis Domini, & ſcabellum pedum eius.* Vbi laborauerunt in vanum ſectarij Angli corrumpendo prædictum Pſalmi textum, cum hic explicetur. Ioſue 3. verſ. 4. *Sitque inter vos, & Arcam ſpatium cubitorum duorum millium, cauete ne appropinquetis ad arcam.* 2. Reg. verſ. 6. *Extendit Oza manum ad arcam Dei, & tenuit eam, iratuſque Dominus percuſſit eum ſuper temeritate ſua.* Ioſue 5. verſ. 16. *Solue calciamentum tuum, locus enim, in quo ſtas, ſanctus eſt.* Item manna & virga Aaron ſeruabantur tanquam

res

res ſanctæ. Hic videmus in veteri teſtamento, cultum,& venerationem exhibitam fuiſſe Arcæ, cur ergo non liceat rebus ſacris venerationem exhibere?

Et huius pietatis exempla ſuppetunt in lege Euangelica, Math. 9. verſ. 20. & deinceps. *Et ecce mulier tetigit fimbriam veſtimenti eius, Ieſus conuerſus dixit, confide filia, fides tua te ſaluam fecit.* Mulier iſta laudatur ob venerationem exhibitam. Act. 5. verſ. 15. *Ita vt in plateas eijcerent infirmos,& ponerent in lectulis, ac grabatis, vt veniente Petro, ſaltem vmbra illius obumbraret quemquam illorum, & liberarentur ab infirmitatibus ſuis, qui curabantur omnes* Act. 19. verſ. 11. *Virtuteſque non quaslibet faciebat Deus per manum Pauli, ita vt etiam ſuper languidos deferrentur, a corpore eius ſudaria, & ſemicinctia, & recedebant ab eis languores.*

Quæſo quid minus vmbra? quam parui momenti ſemicinctium? hæc tamen ſanabant infirmitates, Deo per talia miracula approbante populi deuotionem, cur ergo, vt iterum repetam, non licebit venerari reliquias, imagines,& res ſacras, cum id licuerit in veteri, & nouo teſtamento? & Deus ipſe voluerit reliquias *E*liſæi prophetæ inſigni miraculo honorare, 4. Regum 13. cap. verſ. 21. *Proiecerunt cadauer in ſepulchro Eliſæi,&c. Quod cum tetigiſſet oſſa Eliſęi reuixit homo,& ſtetit ſuper pedes ſuos.* Ergo reliquiæ Sanctorum ſunt dignæ veneratione.

Accedunt teſtimonia primitiuæ Eccleſiæ.

Solitum eſſe imaginibus, ac reliquijs Sanctorum venerationem exhiberi, teſtatur Euſebius Cæſarienſis Eccleſiaſt. hiſt. lib. 5. cap. 9. Athanaſius interrogationum ad Antiochum Principem cap. 38. Baſilius Magnus contra Iulianum Apoſtatam, Ioannes Chryſoſtomus in encomio Sancti Melitij, Zozomenus lib. 5. cap. 20. Synodus Nicæna 2. Act. 7. Tertullian. lib. 1. aduerſus Marcionem cap. 22. Ambroſius

ſius ſermone de Sanctis Geruaſio, & Protaſio; Hieronymus epiſt. 27. ad Euſtochium, Auguſtinus de conſenſu Euangeliſtarum lib. 1. cap. 10. contra Fauſtum Manichæum lib. 22. & lib. 22. de Ciuitate Dei cap. octauo. Vnde cum eccleſia Romana in hoc ſit conformis primitiuæ, ſane non poteſt dici errare in hoc articulo.

ARTICVLVS V.

Soluuntur obiectiones.

OBijcitur 1. contra cultum, & inuocationem Sanctorum Math. 4. *Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſeruies.* Ergo qui adorant alios præter Deum ſunt idololatræ, item Pſal. 49. *Inuoca me in die tribulationis.* Item Math. 6. *Cum oraueritis, dicite, Pater noſter;* ergo nullum alium licet inuocare. Reſp. 1. Nos non adorare Sanctos, cultu latriæ & irreferibili, ſoli Deo debito, ſed cultu inferiore, & in Deum referibili, obſequio ſcilicet religioſo inferioris ordinis; ad ſecundum dico textus illos eſſe affirmatiuos, & non includere hanc negatiuam, non inuocabis Sanctos. Reſp. 2. Si verum eſſet argumentum, quod foret idololatra Ioſue, quando adorauit Angelum pronus in terram, idolatra eſſet Saul, quando adorauit animam Samuelis, idololatræ eſſent filij prophetarum, quando proni venerabantur Eliſæum. Item ſi hinc eſſet quis idololatra, quod inuocaret Sanctos idololatra foret Iacob, quando inuocauit nomen Abraham & Iſaac, idololatra Moyſes, quando eadem nomina, item & Azarias quando illa eadem inuocauit, & Salomon etiam, quando inuocauit Deum, per miſericordiam Dauid. Idololatræ eſſent ſectarij ueneran tes principes ſuos.

Obijcitur 2. illud 1. ad Timot. 2. *Vnus, & mediator hominum, homo Chriſtus Ieſus.* Ergo Sancti non ſunt

ſunt mediatores nec conſequenter ſunt inuocandi? Item inuocatio ſoli Deo debetur, iuxta illud Gen.4. *Cæpit inuocare nomen Domini*,& Ioelis 2. *Quicumq; inuocauerit nomen Domini ſaluus erit*. Ergo Sancti non ſunt inuocandi. Reſp. ad primum ſi textus legatur integre,nihil nobis ob eſſe, *Vnus eſt enim mediator hominum,homo Chriſtus Ieſus,qui dedit redemptionem ſe ipſum*. Solus enim Chriſtus in hoc ſenſu eſt mediator,cum sancti non ſint mortui pro nobis:ad 2 Dico eſse verum de inuocatione per ſacrificium, quod ſoli Deo debetur, non autem de alia inuocatione,vel mentali, vel vocali; denique ſi non liceret inuocare ſanctos,aut implorare eorum orationes, ſequeretur male egiſſe Moyſem,Salomonem imo Paulum ipſum,qui implorauit aliorum orationes. Dices eos non poſſe percipere noſtras orationes,cum longe diſtent. Reſpondeo hoc etiam opponi poſſe Humanitati Chriſti; dico ergo eos percipere noſtras orationes in eſsentia Diuina repræſentatas,tanquam in ſpeculo.

Addo denique inuocare Sanctos, non derogare Chriſti meritis,vt volunt ſectarij, nam vt in ſe ſunt infiniti valoris,ſic dant ualorem meritis Sanctorum, ſicut ſol dat lucem reliquis aſtris.

Obijcies 3. contra cultum Imaginum, & reliquiarum,illud Exodi 20.uerſ.3.& deinceps. *Non habebis Deos alienos,non facies tibi ſculptile,neque omnem ſimilitudinem, quæ in Cœlo deſuper, & quæ in terra deorſum,nec eorum,quæ ſunt in aquis,nõ adorabis ea, neq; coles,ego ſum Dominus Deus tuus*. Idem habetur Deutoronomij 5.& alibi ſæpe in ſcriptura: ergo non licet imagines, aut reliquias uenerari. Reſp.1. hic,& in alijs ſimilibus locis,prohiberi idololatriam.Reſp.2. Niſi ita intelligatur, Moyſem & Salomonem fuiſse idololatras, eo quod fecerint Cherubim tam ſupra arcam,quam in templo, quod tamen de ijs ſcriptura numquam dixit; item idololatra eſſet Ioſue, quod adorauerit Arcam fœderis, ido-

idololatræ eſſent primi Chriſtiani, qui uenerabantur vmbram D. Petri, qui applicabant ſibi *Semicinctia* Diui Pauli. Reſpondeo 3. Idololatriam tunc committi, quando cultus ſoli *D*eo debitus, transfertur ad creaturam, quod Catholici non faciunt; & talem cultum in textu citato, & alijs ſimilibus prohiberi, teſtatur *D*. Auguſt. quæſt. 71. ſuper Exodum. *Quo pertinet, non facies tibi ſculptile &c. niſi ad id, quod dictum eſt, non erunt tibi Dij alij, præter me.* Cui expoſitioni credendum potius, quam dictis Caluini.

QVÆSTIO III.

De Purgatorio, & indulgentijs.

ARTICVLVS I.

De Purgatorio.

PEr Purgatorium intelligimus ſtatum aliquem non extremum Beatitudinis perfectæ adeptæ, nec etiam damnationis illatæ, ſed medium, in quo fidelium animæ non plene purgatæ patiuntur pœnas debitas ſuis peccatis, quorum licet abſolutionem obtinuerint in hoc ſæculo ante mortem, tamen pro eis plene non ſatisfecerunt, & licet hoc nomen non inuenitur expreſſe in ſcriptura, ſicut neque hæc nomina incarnatio, Trinitas, conſubſtantialitas, rem tamen hoc nomine ſignificatam haberi in ſcriptura.

Probatur 1. Iſaiæ 4. verſ. 4. *Si abluerit Dominus ſordes filiarum Syon, in ſpiritu Iudicij, & ſpiritu ardoris.* & cap. 9. verſ. 19. *Et populus quaſi eſca ignis.* Hæc duo loca intelligit Baſilius Magnus ad cap. 4. & 9. Iſaiæ de igne purgatorij, de eodem etiam primum locum intelligit *D*iuus Auguſt. lib. 20. de Ciuitate Dei cap. 29. Quorum expoſitioni an non deferendum

dum plus, quam neſcio,cui inepto nouatori,perdendat ſincerus Chriſtianus.

Probatur ſecundo ex primæ ad Corint.3.ver.11 & deinceps, *Si quis autem ſuperædificat ſuper fundamentum hoc,aurum,argentum,lapides pretioſos, ligna, fænum,ſtipulam,vniuſcuiuſque opus,manifeſtum erit, dies enim Domini declarabit,quia in igne reuelabitur, & vniuſcuiuſque opus, quale ſit, ignis probabit; Si cuius opus manſerit,quod ſuperædificauit,mercedem accipiet, ſi cuius opus arſerit, detrimentum patietur, ipſe autem ſaluus erit,ſic tamen quaſi per ignem.* Hunc locum de igne purgatorio intelligunt Origines homil.5.in Exodum,Theodoretus in hunc locum,Hieronymus in cap.4. Amos. Baſilius in caput nonum Iſaiæ: Ambroſius in hunc locum inquiens,*Cum Paulus dicat*,ſic tamen quaſi per ignem, *Oſtendit illum quidem ſaluum futurum;ſed pœnam ignis paſſurum, vt per ignem purgatus ſaluus fiat.* Sic item exponit D.Auguſt.in pſal.37. Nunc iterum peto,cuius expoſitio ſuper hoc textu potius admittenda?an horum Sanctorum patrum?an vero ſciolorum nouatorum, Apoſtatarum inquam gregis; qui vt fidem omnem exuerent,fidem Chriſto datam, per emiſsa vota, ſacrilego auſu uiolarunt.

Sed interim ſic ego ex hoc loco diſcurro, per aurum,argentum,lapides pretioſos excellentiora intelliguntur opera:per ligna,fænum,ſtipulam,opera negligenter facta; vel ergo Apoſtolus hic loquitur de igne inferni,vel de igne Purgatorij; hi enim duo ignes correſpondet hominum malis operibus, & negligentijs,non de igne inferni, quia in inferno nulla redemptio,& Apoſtolus hic loquens *Saluus erit, ſic tamen quaſi per ignem*, ergo intelligendus eſt de igne purgatorio,voca tu illum quo nomine volueris, nec valet ſectariorum euaſio dicentium per hunc ignem, intelligi ignem tribulationis, quem fingunt ſanctos pati in articulo mortis,quam expoſitionem ſicut gratis fingunt,ita reijcitur per oppoſitam inter-

pretationem patrum, quibus potius credendum, quã iſtis nugatoribus, item primæ ad Corinth. 15. *Quid faciunt qui baptizantur pro mortuis, ſi omnino mortui non reſurgunt, vt quid baptizantur pro illis?* Nomine baptiſmi hic intelligitur pæna, ſicut intelligitur Marci 10. verſ. 38. & Lucæ 12. verſ. 50. vt quid ergo ſubirentur pœnę, pro defunctis, niſi ad eorum pœnas ſubleuandas.

Probatur 3. Math. 12. verſ. 36. *Dico autem vobis, quoniam omne verbum otioſum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem, de eo in die Iudicij.* Scilicet poſt mortem, in iudicio priuato, vel publico. *De*mus ergo caſum, quod quis iuſtus dixerit decem verba otioſa, & moriatur cum illis non deletis, vel ergo reddet poſt mortem rationem Chriſto, vel non? ſi non, ergo Chriſtus falſum dixit, quod eſt impoſſibile? ſi ſic, vel Chriſtus dabit illi pœnam, vel non, ſi non, ad quid opus eſt iudicio, iudicium enim examinat præmium, vel pœnam. Si dabit pœnam iuſto, non dabit in vltimo Iudicio, quia tunc omnes immediate tranſibunt, vel ad Paradiſum, vel ad infernum, aut Limbum puerorum, ergo ante dabit, ergo illud erit aliquid afflictiuum, ſed ignis purgatorius eſt afflictiuus, ergo cum Chriſtus minetur pœnas poſt mortem verbis otioſis, quæ quidem non merentur pœnam æternam, dabitur locus, in quo infligantur illæ pœnæ.

Probatur quarto ex Apocalypſis 21. verſic. 27. *Non intrabit in eam aliquid coinquinatum.* Nempe in Ciuitatem Cęleſtem, ponamus ergo, quod aliquis moriatur cum aliqua immunditia peccati uenialis, non tamen mortalis, uel intrabit, uel non? ſi intrauerit, ergo falſa eſt ſcriptura, ſi immundus intret. Si non, ergo, qui eſt in gratia, & meretur uitam æternam, non obtinebit illam contra promiſſionem *Dei*. Quid tandem fiet, purgandus utique erit per ignem. cum Apoſtolus dicat, *vniuſcuiuſque opus ardedit*. Item Prouerbiorum 24. uerſ. 16. *Septies in die cadit*

iuſtus,

iuſtus, & reſurget. Demus ergo quod aliquis iuſtus ceciderit, & mortuus fuerit antequam reſurgeret, quid fiet cum ſit iuſtus, iam eſt ordinatus ad vitam æternam, cum ceciderit, debetur illi pœna poſt mortem, ergo puniendus erit, per ignem, qui probat opera. Item cum peccata diuidantur in venialia, & mortalia, mortalibus debetur pœna æterna, venialibus non item, niſi ſint coniuncta cum mortalibus ergo ſumendo venialia per ſe, debent purgari, per pænam tranſitoriam, idque maxime, cum in peccato ſit culpa, & pœna, vt vidimus quæſt.2. de Sacramento pęnitentiæ, & ſæpe remittitur culpa, non tamen pœna, adeo vt qui non ſatisfecit hic, debeat alibi ſatisfacere.

Vltimo probatur ex illo Math.5. verſ.25. *Eſto conſentiens aduerſario tuo cito, quandiu es in via cum eo, neforte tradat te Iudici, & iudex tradat te miniſtro, & in carcerem mittaris, amen dico tibi non exibis inde, donec reddas nouiſsimum quadrantem*. Ibi fit mentio carceris ſubeundi, ab aliquibus poſt hanc vitam, ſed in inferno non redditur vltimus quadrans nec inde vnquam exitur, ergo hic locus intelligitur de Purgatorio. Deinde Math.12.verſ.32. *Qui dixerit contra Spiritum ſanctum, non remittetur ei, neque in hoc ſæculo, neque in futuro*. Hunc locum D. Auguſt. lib.22. de Ciuitate Dei cap.24. ſic explicat, *neque de quibuſdam Veraciter diceretur, quod non eis remittatur*. Neque in hoc ſæculo neque in futuro, *Niſi eſſent, quibus etſi non in iſto, tamen remitteretur in futuro*. Hęc autoritas præferenda vtique blaterationibus ſectariorum, denique optat Apoſtolus miſericordiam, poſt mortem defunctis ſecundæ ad Tim.1.v.15 *Det miſericordiam Dominus Oneſiphori domui. Quia ſæpe me refrigerauit, det illi Dominus inuenire miſericordiam a Domino in die illa*. Optat Paulus hic miſericordiam, Oneſiphoro, non vtique in die iudicij; cum ante illum diem, omnes animæ accipiant ſuam particularem ſententiam; ergo optat ipſi miſe-

ricordiam,poſt mortem, ante illum diem: ergo ſalubris eſt cogitatio orare pro defunctis.

Accedit conſenſus primitiuæ Eccleſiæ.

SOlitum eſſe orari pro Defunctis fidelibus, teſtatur Dionyſius Areopagita, Eccleſiaſticæ Hierarchiæ cap.7.part.2. Concilium Nicænum primum, Canone 63. Arabico. Athanaſius, quæſt. 34. Cyrillus Ieroſolymitanus Catecheſi 5. Myſtagogica. Ioannes Chriſoſtomus homil.6. de Sacerdotio. Tertull. de teſtimonio animæ cap.4. Sanctus Cyprianus epiſt. ad Clerum, & plebem Furnitanorum in Africa. *Ergo inſolentiſſimæ inſaniæ eſt* (vt loquar cum Auguſt.) *Diſputare, quin faciendum ſit, quod tota per orbem frequentat Eccleſia*, Illa, quæ nunquam errauit, neque in hoc articulo conſequenter vllo modo errat, quæ ſemper habet aſſiſtentiam Chriſti, ſed ſæuierunt hæretici in Sancta, quid mirum ſi ſęuiant in animas iſtas, quarum patrocinium hic agitur?

ARTICVLVS II.

De Indulgentijs.

INdulgentia prout accipitur in Eccleſia Catholica ſignificat *remiſſionem pœnæ temporalis, quæ remanet poſt culpã remiſſam?* Nã ſupra dixi in peccato haberi rationem culpæ, & rationem pęnæ, & poſſe remitti culpam, non remiſſa pæna, vt patet in peccato originali, in quo licet dimittatur culpa per baptiſmum, remanet tamen pæna luenda per mortem, tunc autem confertur indulgentia, quando virtute clauiũ Diuo Petro, & ſucceſſoribus traditarum, hæc pæna remittitur aplicando merita Chriſti, & ſanctorum, ex quibus conflatur theſaurus eccleſiæ, eſt autem hic Theſaurus *Collectio omnium bonorum, quæ ab initio mundi vſque ad finem in eccleſia fiunt, vel ſunt.* Cum

enim

enim finis communionis ſanctorum ſit ditare eccleſiam, *& hæc ſanctorum communio ſit bonorum, quæ ſunt, & fiunt in eccleſia charitatiua participatio*; Atq; adeo cum eccleſia Chriſti ſit regnum, conueniens eſt, vt habeat ſuos theſauros, qui in publico ærario ſolent ſeruari, adhoc vt publicis neceſſitatibus prouideatur: in hoc autem theſauro primum omnino locum habent merita, & ſatisfactiones Chriſti, quæ ſunt velut mare, a quo tanquam fontes, & flumina merita aliorum ſanctorum emanant. Hinc Chriſtus, & ſancti, quod ſupereſt ipſis conferunt in commune. Probabo igitur dari in eccleſia huiuſmodi theſaurum, ſecundo eſſe in eccleſia poteſtatem applicandi eundẽ Theſaurum, tertio hanc applicationẽ eſſe vtilẽ

Primo, ergo dico dari in eccleſia theſaurum meritorum Chriſti, qui nunquam exhauritur, cum ſit infiniti valoris. Probatur Act. 20. verſ. 28. *Attendite vobis, & vniuerſo gregi, in quo vos Spiritus ſanctus poſuit Epiſcopos regere eccleſiam* Dei, *quam acquiſiuit ſauguine ſuo*. Dignitas autem ſatisfactionis recipit dignitatem à perſona ſatisfaciente, cum autem Chriſti perſona fuerit infinita, infinitum contulit valorem iſti ſatisfactioni. Præterea Chriſtus mortuus eſt pro omnibus, vt inquit Apoſtolus 2. ad Corinth. 5. v. 15. *Pro omnibus mortuus eſt Chriſtus*. Et S. Ioannes in epiſt. 1. cap. 2. verſ. 2. *ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris, non pro noſtris autem tantum, ſed, & etiam pro totius mundi.* Sed hæc propitiatio non fuit aplicata omnibus omnino hominibus, cum maior pars mortalium damnetur, iuxta illud Matth. 22. verſ. 14. *Multi ſunt vocati, pauci vero electi*. Ergo quod remanet ex illa infinita ſatisfactione, applicari poterit fidelibus non habentibus ſufficientia merita, cum ex ſe fuerit ſufficiens toti mundo ſi totus ſaluaretur, Chriſtus ipſe non indiguit huiuſmodi ſatisfactione, cum nunquam peccauerit, vt ait Apoſtolus citato capite ver. 21. *Eum, qui non nouerat peccatum, pro nobis peccatum fecit*.

Dico ſecundo dari in eccleſia Theſaurum conflatum ex meritis ſanctorum, qui abundanter meruere, & plusquam habuere opus; patet multis exemplis, & primo Beatæ Virginis, quæ nunquam peccauit actualiter. Iuxta illud. *Tota pulchra es.* multa tamen meruit, multa ſtulit tribulationes in morte dilecti ſui filij. Secundo exemplo Sancti Ioannis Baptiſtæ: qui in vtero matris ſanctificatus nullum commiſit mortale peccatum; Rigidiſſimam tamen duxit vitam, cuius ſupererogatoria opera repoſita fuere in Theſauro eccleſię, negari autem nō poteſt, quin tam Beata Virgo, quam ipſe per ſuos actus continuo meruerint, cum fuerint ſemper inſtatu gratiæ, omnes autem hi actus non erant illis neceſſarij, ergo reponebantur in ærario eccleſiæ, idem dici poteſt de plurimis alijs ſanctis, qui patienter quam plures tolerauere tribulationes, ac tormenta, vt inquit Apoſtolus ad Hæbr. 11. *Lapidati ſunt, ſecti ſunt, tentati ſunt, egentes, anguſtiati, afflicti.* Quorum ſuperabundantes ſatisfactiones, quibus ipſi pro ſuis peccatis, quæ forte pauca, & nulla cōmiſerunt, non eguere, & proinde acceſſerunt huic theſauro.

Dico tertio, dari in eccleſia authoritatem applicandi hunc theſaurum per modum indulgentiæ ijs, qui ſunt in ſtatu gratiæ, pauca tamen habent merita ob anteriora peccata, probari poteſt ex illo Math. 16 verſ. 19. *Quodcumque liguaueris ſuper terram, erit ligatum, & in Cælis, & quodcumque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum, & in Cælis.* Quæ antoritas eſt generaliſſima, & ampliſſima, neque reſtringitur ad peccata ſola, vt illa Ioan. 20. *Quorum remiſeritis peccata remittuntur &c.* Sed comprehendit omne vinculum, aut impedimentum, quod retardare poſſet animam ab aſſecutione vitæ æternæ, ita vt in illa promiſſione fundetur poteſtas non ſolum remittendi peccata in sacramento pęnitentiæ, ſed etiam remittendi temporalem pænam illis debitam per applicationem meritorum Chriſti, & ſanctorum; nam *Diuo*

Pe-

Petro fuit data ſuprema poteſtas regendi eccleſiam, quæ poteſtas, cum ſit generalis, extenditur tam ad culpam, quam ad pęnam, adeo vt ſicut eſt authoritas remittendi peccata, ita & dimittendi pænas, vel reſtringendi, & ligandi. Et Apoſtolos indulſiſſe ſic patet 2. ad Corinth. 2. verſ. 10. *Cui autem donaſtis aliquid, & ego, nam, & ego quod donaui, ſi quid donaui propter vos in perſona Chriſti.* Donauit ergo Paulus abſens Corinthio incæſtuoſo partem pœnitentiæ, in perſona Chriſti, id eſt Chriſti iudicio debitam, idque rogatu fidelium in fauorem, & gratiam.

Hinc patet vtilem eſſe hanc applicationem, & ſolitam fieri teſtatur praxis eccleſiæ, vt habet Tertull. in lib. ad Martyres, & s. Cyprianus lib. 3. cap. 5. monet Martyres, vt prudenter, & cautè vtantur hoc iure, ne quibuslibet lapſis aplicent indifferenter, ſic s. Gregorius ante mille annos conceſſit indulgentias ſtationum vrbis Romæ. Patet clarius vtilitas huius aplicationis ex illo Symboli articulo. *Credo Eccleſiam Catholicam, Sanctorum communionem*, ſed hæc communio eſt participatio bonorum communium, vt dixi, ergo ſancta, vtilis, & licita eſt hæc communio, & applicatio, cum enim Eccleſia Chriſti ſit ordinatiſſimum Regnum, cur non debeat habere ſuos theſauros, & theſaurarium? Denique hoc dilemmate concludo. Vel defecit, errauitque vera, & viſibilis Chriſti Eccleſia, vel non? hoc ſecundum non admittitur, cum ſit ſatis probatum: ergo cum non errauerit, nec conſequenter vnquam introduxerit vllos errores, cum vtatur a tempore immemorabili indulgentijs, in hac conſuetudine, & praxi non potuit errare, alioquin redibunt omnia argumenta facta diſtinctione ſecunda, & tertia.

Quæres cur imus ad illam eccleſiam in qua indulgentia eſt, potius quam ad aliam? cur geſtamus cruces, numiſmata pro indulgentijs acquirendis? Reſpondeo has eſſe conditiones poſitas à theſaurario huius ærarij, eccleſiæ ſcilicet capite, ſicut ſi theſaura-

rius regni diceret, qui tali hora, die, uel tempore conuenerit ad talem locum, vel habuerit tale ſignum, ex theſauro communi regni habebit tantum pro ſuis neceſſitatibus ſubleuandis.

Quæres 2. Quid ſibi uult indulgentia tot annorum? Reſpondeo Senſum eſſe hominem poſſe habere tot peccata mortalia, quibus iuxta antiquos eccleſiæ canones tot annorum pœna deberetur, hinc benigna Mater Eccleſia per modum diſpenſationis per indulgentias, illas pœnas relaxat. Vnde ſi ſectarij reflecterent ſerio ſuper ſua principia, non deberent mirari doctrinam Romanæ Eccleſiæ de indulgentijs, quæ fidelibus conceduntur per applicationem meritorū Chriſti, ſed numquid ſectarij prætendunt ſe iuſtificari, etiam per hanc applicationem, quam vocant iuſtitiam imputatam, hoc diſcrimine, quod ipſi non admittant ullum medium, per quod fiat hæc applicatio, Catholici uero, aſſignant pro medio[;] authoritatem Eccleſiæ.

QVÆSTIO IV.

De motiuis credibilitatis, ſeu de rationibus ſuadentibus Religionem Catholicam, & Romanam, eſſe euidenter credibilem, & ſolam ex omnibus prudenter eligibilem.

ARTICVLVS I.

De modo procedendi, & perueniendi ad Eccleſiam per motiua credibilitatis.

NOta ex ijs, quæ breuiter inſinuaui diſtin. quinta, aliud eſſe rem aliquam eſſe euidenter ueram, aliud autem eſſe euidenter credibilem; de primo hic

hic non quærimus, non enim in myſterijs fidei eſt quærenda euidentia veritatis, cum fides ſit obſcura: ſed de ſecundo quærimus, vtrum, vt poſſim rem aliquam fide Diuina credere, neceſſario prius debeat mihi, argumentis moraliter certis, probari, non quidem eſſe euidenter veram, ſed eſſe euidenter credibilem, tanquam a Deo reuelatam, ita vt prudenter omnino iudicem, certo eam eſſe talem v.g. *Catholicam Religionem eſſe a Deo reuelatam*.

Et quæſtio procedit de ijs, qui incipiunt credere, vnde antequam producatur actus fidei diuinæ, præcedit prius in credituro iudicium moraliter certum, ac euidens, quo res credenda iudicetur fide diuina credibilis tanquam a Deo reuelata, nam cum aſſenſus fidei neceſſario ſit actus virtutis, debet dirigi prudenti iudicio, quo priuſquam credamus, iudicemus illa myſteria eſſe credibilia; hoc autem iudiciũ, quo ſic iudico rem mihi propoſitam, eſſe prudenter credibilem, quodque præcedit in credituris actum fidei diuinæ, eſt certa, & clara cognitio veritatis ſpeculatiuæ, ex rationibus moraliter euidentibus à poſteriori deducta: duplex ergo iudicium præcedit aſſenſum fidei diuinæ, primum eſt, quo iudico Deum eſſe ſumme veracem, ſecundum eſt, quo iudico ex motiuis rem mihi propoſitam eſſe prudenter credibilem, tanquam à Deo reuelatam v. g. *Religionem Catholicam eſſe eam, in qua Deus prouidit humano generi media ſalutis.*

Nota 2. de materia fidei duplicem diſtingui propoſitionem, alia eſt propoſitio *de in eſſe*, & alia *modalis*; propoſitio *de in eſſe*, eſt iſta. *Dantur ſeptem Sacramenta*: propoſitio vero modalis iſta, *de fide eſt dari ſeptem Sacramenta*: hinc propoſitio *de in eſſe* non poteſt euinci, aut probari rationibus, propoſitio tamen *modalis* demonſtrari poteſt. Demonſtrationis nomine, hic intelligitur moralis tantummodo, tota enim fides conſiſtit in quæſtione de facto, nempe an Deus hoc reuelauit, nec ne? quæ quidem quæ-

ſtio, non poteſt naturali ratione decidi, quare demonſtrari debet non propoſitio *De ineſſe*. Sed propoſitio *modalis*.

Licet vero hoc iudicium, ex tali demonſtratione morali generatum ſupponat fidem acquiſitam humanam, non eſt tamen actus fidei, ſed euidens & aliquo modo moraliter certa cognitio, concepta ex euidentia notarum, ſeu motiuorum fidei, quæ morali quadam euidentia, certo nobis demonſtrant res fidei tales eſſe, quas merito, & prudenter credamus eſſe reuelatas á Deo; quando autem dicitur fidem reſolui in teſtimonium eccleſiæ, tanquam in motiuum extrinſecum, in illud reſoluitur, tanquam in regulam infallibiliter dirigentem, illud iudicium, quod præcedit in crediturо aſſenſum fidei diuinæ, qua etiam ratione, reſoluitur in cognitionem per ſenſum hauſtam, quam notitiam illud iudicium neceſſario præſupponit, qua ſcilicet audiendo, vel legendo, intelligimus eccleſiam, hoc, vel illud credendum proponere: quod ſi quæſtio ſit de rudibus, fatendum eſt eos multa credere fide mere humana, propter dictum ſui paſtoris, aut parentis, quos vtpote motos per tale dumtaxat dictum, conſtat non elicere actum fidei diuinæ, vnde ſunt inſtruendi, vt ſciant illa non ſolum eſſe vera, ſed etiam eſſe á Deo reuelata, vt ſic eliciant actum fidei Diuinæ.

ARTICVLVS II.

In Paragraphos diuiſus de motiuis credibilitatis.

§. I.

VTi Deus dederat hominibus, Chriſto coæuis, quædam motiua ſeu ſigna externa, qu bus demonſtraretur euidentia quadam morali, eum fuiſſe illum Meſſiam in ſcriptura promiſsum, vt fuere Na-

tiu-

tinitas in Bethleem, adimpletio hebdomadarum Danielis 9. prædictarum, translatio regni à tribu Iuda ad Alienigenas, miracula, & opera, quæ nemo alius fecit, ſic dedit nobis certa ſigna eccleſiæ à ſe fundatæ, & nobis in ſcriptura reuelatæ, hæc ergo cum alijs multis controuerſiſtis reduxi ad quatuor notas diſtin. 5. Nunc vlterius pro maiori ſatisfactione eorum, qui quærunt veritatem, hic etiam alia ſubiungo eaque ex diuerſis autoribus collecta, ad decem motiua, ſeu inſignia reduco.

§. II.

Primum veræ *Eccleſiæ* inſigne.

Obedientia tam ad legem primam, ſeu naturæ, quam ad Diuinam poſitiuam.

ILla Religio eſt euidenter credibilis, atque adeo prudenter ex omnibus eligibilis, cuius principia conformantur legi naturali, ac legi Diuinæ poſitiuæ, quæ fauent ſanctitati vitæ, quæ auocant mentes à terrenis, & ad cęleſtia traducunt. Sed ſic ſe habent principia religionis catholicæ, & Romanæ, ergo Romana, & Catholica Religio eſt euidenter credibilis, & prudenter ex omnibus eligibilis. Maior non indiget probatione, nec vllum iam Chriſtianum credo eſse tam dementem, vt neget veram religionem debere eſse conformem tam legi naturæ, quam diuinæ, eiuſque principia debere puritati, & ſanctitati fauere.

Minor vero probata eſt tota hac diſtinctione, & vlterius probatur, nam, vt intuenti patet, Catholica Religio non ſolum vetus, & nouum Teſtamentum ſequitur, ſed multa ex ipſis etiam naturæ principijs quærit, vnde non ſolum ex ſcriptura, ſed etiam ex naturali lege deprompſit, differentias ſacri, & pro-

profani, priuati, & publici, iuſti, & iniuſti, præfecti, & ſubditi, caſti, & inceſti, & vti ex ſcriptura, ita etiā ex naturæ lege traxit Sacerdotium, & ſacrificium, aras, templa, cultus, ceremonias, decimas, hinc belli, & pacis iura, hinc imperij, regni, rerum publicarum formas ducit, quam legem primam ſummus legislator Deus nunquam abrogauit: quare eccleſia non ſpernit veterum inuenta, de virtute, & vitio, de honeſto, & inhoneſto, de decoro, & indecoro, vnde nihil inſolenter, inconcinne, enormiter, nihil inhumane, nihil flagitioſe, nihil rationi, aut naturæ repugnans, docet, aut proponit; nihil item repugnans legi diuinæ, aut Verbo Dei contrarium ſuadet, aut ſequitur, ſed illi ſe exactiſſime conformat in omnibus ſuis articulis de ſacramentis, ritibus, cultu diuino, vt per ſingulas quæſtiones, & articulos hactenus probaui.

Quare ipſius principia fauent puritati, & ſanctitati vitæ, ſuadent enim abſtinere à voluptatibus carnis, & illecebris huius vitæ, docent diuitias, & honores, ad exemplum Chriſti, & Apoſtolorum contemnere, docent ex eorumdem doctrina ieiunia, eleemoſynas, orationes, vigilias, corporis afflictiones, quibus caro dometur, & ſpiritui ſubijciatur, hinc quamplurimi in hac Catholica Religione facultatibus; titulis, & voluptatibus, quibus fruebantur, vel frui poterant, nuntium remiſere, inter quos multi magnates, & magnatum filij, ac filiæ, plurimi nobiles, reges, principes, duces, comites, ſingulis ſæculis extitere, quemobrem non poteſt non eſſe cæleſtis illa religio, quæ à terrenis his mentem ſic auellit, ad cæleſtia erigit vt ex fructibus ſuis, hæc arbor facile cognoſcatur, ergo hæc religio, ex omnibus eſt euidenter credibilis, & prudentiſſime eligibilis.

§. III.

§. III.

Secundum Inſigne.

Remotio peccaminoſæ licentiæ, & perpetuus in melius profectus.

ILla eſt vera,& ex omnibus eligenda Religio,quę morum reformationem procurat,peccandi licentiam excludit, ad meliora ſemper aſpirat; ſed talis eſt catholica,& Romana Religio: ergo hæc ex omnibus eſt eligibilior,hæc magis præferibilis ; minor quoad reformationem morum patet in omnibus pene,tum Oecumenicis,tum prouincialibus concilijs, in quibus plerumque fiunt decreta, & ordinationes pro reformandis moribus:patet quoad remotionem peccaminoſæ licentiæ,primo in ſacramento pęnitentiæ,in quo requiritur dolor de peccatis, propoſitum emendandæ vitæ, dantur ſalutaria monita ad recte viuendum, confertur gratia, & auxilium ad proficiendum in melius:ſecundo, per doctrinam de ſatisfactione,docet remiſſa pęna ęterna,remanere ingentem pęnam temporalem redimendam per orationē, ieiunium,eleemoſynam,& alia bona opera,cum nullum malum maneat inultum. Tertio,cum tot modis incutit Dei timorem ex minis gehennæ, interminatione iudicij finalis, conſideratione nunquam finituræ ætenitatis, annunciando vitia,& virtutes pęnam, gloriam,vt maiori ſolicitudine homines peccata deuitent,Dei legem obſeruent,fructus dignos pęnitentiæ faciant

Hinc ſplendor, & lux eccleſiæ creſcit vſque in perfectum diem habet enim adoleſcentiam ſuam, *ſoror noſtra paruula eſt.* Habet maturam ætatem, *Ego mater pulcbræ dilectionis,& agnitionis:* habet ſenectutem,*Senectus mea in miſericordia vberi,* durans vſque

vſque in finem, *Sicut Luna perfecta iu æternum, & teſtis in Cælo fidelis* : Creuit ſub Apoſtolis, adoleuit ſub perſecutoribus, maturuit aduerſitatibus, & tanquam vitis fructificans extendit nunc palmites ſuos á mari vſque ad mare.

§. IV.

Tertium Inſigne

Vbertas donorum Spiritus ſancti in cultoribus huius Religionis.

VEra Religio abundat donis Spiritus Sancti, quæ numerantur tum ab Iſaia cap.11. *Spiritus ſapientiæ, & intellectus, ſpiritus conſilij, & fortitudinis, Spiritus ſcientiæ, & pietatis, & ſpiritus timoris Domini*. Tum ab Apoſtolo ad Gal.5. *Charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, manſuetudo fides, modeſtia, continentia, caſtitas.* Sed nullius religionis cultores ita his donis abundant, ſicut cultores catholicæ, & Romanæ Religionis ergo illa ſola eſt vera religio, quot ſemper in illa floruere Spiritu ſapientiæ, intellectus, conſilij, ſcientiæ, pietatis, & timoris Domini, vt ſunt Athanaſius, Baſilius, Nazianzenus, Chryſoſtomus, Hieronymus, Auguſtinus, Ambroſius, Benedictus, Bernardus, Dominicus, Frãciſcus? quot martyres ſpiritu fortitudinis dotati pro ea occubuerunt vt Laurentius, Cyprianus, Mauritius, Sebaſtianus, Georgius, Agnes, Cecilia, Lucia, Dorothea, vt ſileam tot alia martyrum millia pro hac religione diuerſis locis, & temporibus caſa.

Quot floruere olim, & nunc florent quotidie in illa per Hiſpaniam, Italiam, Galliam, Germaniam, Indias vtraſque charitate, patientia, benignitate, fide, Continentia, Caſtitate? Vt tot Conuentus, Clauſtra, Eremitoria, Xenodochia, clamant, ergo neceſſe

eſt

eſt catholicam, & Romanam Religionem, quam & iſti tenuere olim, & hodie eorum poſitentur ſequaces, veram eſſe, & à Spiritu ſancto profectam, cuius dona tam affluenti copia in illa vigeant, primo quia falſa religio ad Sanctitatem perducere non poteſt, cum vera religio ſit ſanctitatis fundamentum. Secundo ſine vera religione nemo poteſt placere Deo. Tertio ſi non eſſet vera, ſed potius falſa religio, mirum eſt quomodo diabolus tam intenſum Dei amorem, tantam Charitatem, continentiam, caſtitatem perſuadere poſſet; nec obſtat quod multi ſcelerati inueniantur inter catholicos vitijs, & voluptatibus dediti; id enim non faciunt indulgentia ſuæ religionis, ſed illa reclamante, & prohibente.

§. V.

Quartum Inſigne

Pulcherrimus ordo a Chriſto, & Apoſtolis deſignatus, & incboatus, & huc vſque integer conſeruatus.

QVæ eſt iſta quæ progreditur, quaſi aurora conſurgens, terribilis vt caſtrorum acies ordinata, Regina in veſtitu deaurato, circumamicta varietate. Eccleſia ſcilicet Catholica, & Romana in qua eminet pulcherrimus ordo tripliciter diuiſus, vnus coiugatorum, ſola communi obligatione diuinæ legis obſeruandæ aſtrictus? altér religioſorum, toties in ſcriptura commendatus; tertius in Eccleſiaſtica hierarchia prælatorum, & clericorum conſiſtens, in hoc aptiſſimo, & optime diſpoſito ordine, ſummus Magiſtratus eſt Romanus Pontifex, ſub quo ſunt Patriarchæ, primates, Archiepiſcopi, ſub iſtis Epiſcopi, ſub Epiſcopis, curati, ſacerdotes, diaconi, ſubdiaconi, & alij ordines; hinc naſcitur ordinata diſtinctio temporum, locorum, officiorum, rituum, dignitatem,

hinc

hinc omnes miniſtri deſcendunt ab Apoſtolis, vel Apoſtolorum ſucceſſoribus, ijs continue ſuccedentes, vbi ſi ordinis ſpectetur poteſtas presbyteri, diaconi, ſubdiaconi ordinantur ab Epiſcopis, hi ab alijs Epiſcopis, & ſic deinceps ſurſum vſque ad *A*poſtolos, qui hanc poteſtatem proxime accepere à Chriſto, ita vt ſicut homines ſecundum vitam, & potentiam naturalem longo generationum tractu deſcendunt ab Adamo, ita omnes eccleſiæ miniſtri, ſecundum poteſtatem ſupernaturalem, longa ordinationum & ſanctificationum ſerie deſcendunt à Chriſto, qui eſt ſecundus Adam, ſi autem iuriſdictionis attendatur poteſtas à Chriſto deſcendit, & ad ipſum reducitur, ſic parrochi habent ſuam iuriſdictionem ab Epiſcopis, Epiſcopi à ſummo Pontifice, ſummus Pontifex, qui vtique eſt Diui Petri in regimine vniuerſalis Eccleſiæ legitimus ſucceſſor, neceſſario ſuccedit in eandem iuriſdictionem, quæ immediate à Chriſto fuit collata D. Petro, cui dictum eſt, *Paſce oues meas: hic non omnes interpretantur, non omnes ſunt doctores, ſed diuiſiones miniſtrationum ſunt, & diuiſiones operationum ſunt.* Hinc præſcribitur, *vt omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit*, & obediat præpoſitis ſuis.

§. VI.

Quintum Inſigne

Donum miraculorum.

ILla Religio eſt vera, & alijs præferenda, quæ claritate miraculorum ſemper coruſcat, cum miracula ſint ſigilla quædam, & teſtimonia diuina, quibus vera Religio comprobatur, teſte Chriſto Marci 16. *Signa autem eos, qui crediderint hæc ſequentur, in nomine meo Dæmonia eijcient, &c.* Sed talis eſt catholica, & Romana religio; ergo illa eſt preferenda alijs,

quæ

quæ miraculis ſunt deſtitutæ: minorem probaui diſtin.8. qu.2 & patet de miraculis Gregorij Thaugmaturgi, Martini, Nicolai, Patritij, Dominici, Franciſci &c. patet item de miraculis per Italiam, Galliam, Hiſpaniam per D. Virginem quotidie patrari ſolita. Negant iſta ſectarij: ſed ad illa, quæ ego diſt. quinta. Dixi, addo hoc vnum D. Auguſt dilemma lib.22. de Ciuitate Dei cap.5. Miracula vera ſingulis ſæculis facta fuiſſe, & quotidie fieri crediderunt docti, & indocti, nunc ſic cum Auguſtino, *ſi rem credibilem crediderunt, videant quam ſint ſtolidi, qui non credunt: ſi autem res incredibilis credita eſt, etiam hoc vtique incredibile eſt ſic creditum eſſe, quod incredibile eſt.*

§. VII.

Sextum Inſigne

Doctorum Eccleſiæ omni æuo viuentium de fidei capitibus, vnanimis ſenſus, & conſenſus.

T*Enet me* inquit D. Auguſt. lib. contra Epiſt. fund. cap 4. *in eccleſiæ gremio conſenſio populorum, & gentium*. Quare illa religio credenda eſt à Deo reuelata eſſe, & proinde alijs præferenda, in qua eſt vnanimis doctorum omnis ætatis, & regionis circa fidei articulos conſenſus, atqui talis eſt ſola catholica, & Romana Religio, ergo illa à Deo eſt reuelata, patet minor, tum ex dictis in hac diſtin. tum vlterius, nam quotquot ſcripſerunt in Græcia, Aſia, Ægypto, Africa, Italia, Gallia, Hiſpania, Britannia, Germania de myſterijs religionis noſtræ, omnes conſenſerunt circa liberum arbitrium, merita bonorum operum, ſacrificium miſſæ, realem præſentiam, ſeptem ſacramenta, vota monaſtica, purgatorium, cultum, & inuocationem Sanctorum, cultum reliquiarum, & imaginum &c. & hanc doctorum in his omnibus conſen-

ſen-

ſenſionem fatentur ex ipſis ſectarijs, Caluinus lib. 2. inſtit. cap. 2. 3. & 4. Centuriatores, centuria 2. 3. 4. & 5. Sed dicunt fuiſſe næuos doctorum iam ad ſuperſtitionem vergentium. Sed contra, huc vſque oſtendi omnes fidei articulos, in quibus ab aduerſarijs diſſidemus, inueniri in Verbo Dei, vt de ſingulis ſuo loco oſtendi.

§. VIII.

Septimum Inſigne

Veri Cultus Diuini perpetua continuatio.

PRincipaliſſima veræ Religionis actio, eſt *Diuinus* Cultus, qui diuidi poteſt in priuatum, & publicum, primus à ſingulis fidelibus exhibetur, ſecundus à perſonis publicis, huic cultui deputatis, vt ſunt Epiſcopi, ſacerdotes, ordines religioſi, clerici, canonici, confraternitates, cum enim finis regni Chriſti ſit gloria *Dei* ex vna parte, & uera fælicitas hominum ex alia, actio præcipua huius Regni erit cultus Deo dignus, exhibitus a perſonis publicis, quæ nomine totius *Eccleſiæ* hunc cultum Deo tribuant, huius cultus inſtrumenta ſunt, templa, aræ, vaſa, veſtes ſacræ, dies feſti, ſupplicationes, ritus, ceræmoniæ, hęc inſtrumenta ſunt magnifice, & recte ornata, & ordinata, vt eccleſia, in hoc imitetur iuſtum Abel, & ſapientiſſimum Salomonem, quia pinguia, & magnifica ad Dei obſequium adhibenda decernit, exhibetur hoc obſequium vigilijs, ieiunijs, caſtitate, paupertate, obedientia, omnique carnis maceratione: ad hunc cultum reliquit Chriſtus, ſacramenta, ſacrificium, & ſacerdotium, ad hunc elegit homines ex omni tribu, & lingua, & populo, & natione, & eos in vnam collegit eccleſiam; hæc omnia exercentur in catholica, & Romana religione, ordinantur in Miſſali, & Breuiario Romano deſignantur perſonæ, loca publica,

tem-

tempora præcipue dies feſti,cum enim fideles non poſſint inceſsanter, iuſtar Beatorum in Cœlo, Deo Gloriam exhibere, deſtinatur hoc tempus particulare diebus feſtis.

§. IX.

Octaum Inſigne

Optimus modus,tum ſeruandi vnitatem fidei,tum terminandi controuerſias.

ILla Religio Chriſto eſt imputanda, & cæteris omnibus præferenda, in qua eſt optimus modus ſeruandi vnitatem,& vitandi diſsenſionem,ac terminandi controuerſias, atqui talis eſt ſola Romana religio,ergo hæc ſola eſt vera Chriſti Religio : maior quoad vnitatem probata eſt fuſe diſt.8. q. 1. Habet enim ex ſuo regimine monarchico optimum ordinem,rectam gubernationem,perfectam populorum in rebus fidei vnionem, vnde naſcitur ſtabilis, & perpetua vnitas pro terminandis controuerſijs vt probat perpetuus Romanæ eccleſię vſus,habet enim infallibilem iudicem controuerſiarum, ſummum Pontificem cum concilio; quo iudice hactenus omnes controuerſiæ fuerunt facile deciſæ, populus catholicus in vna fide,religione, & doctrina per totum orbem retentus; hæreſes varijs ſæculis exortæ fuere proſcriptæ,ſic fuit damnata hæreſis Ariana per Nicænam ſynodum,ſub Sylueſtro Papa, Macedoniana per Conſtantinopolitanam primam ſub Damaſo, Neſtoriana per Epheſinam ſub Cæleſtino,Eutychiana per Calcedonenſem ſub Leone, & ſic deinceps alijs ſucceſſiue ſæculis,hinc omnia religionis Romanæ capita ſunt certa, & definita, ſummus in illa omnium conſenſus.

§. X.

Nonum Inſigne.

Opportuna, & ſalutaris correctio, ac flagellatio ex perpetuis infidelium, & hæreticorum aduerſus eam, odijs, & inſultibus.

CAſtigat Dominus, quem diligit, vt notat Rex Dauid pſal.88. *Si dereliquerint filij eius legem meam, viſitabo in virga iniquitates eorum, miſericordiam tamen meam, non diſpergam ab eo, ſemen eius in æternum manebit*. Experitur eccleſia hic, & nunc hanc virgam, florebat, & exultabat; tempore Conſtantini, ortus eſt Arius, ac ſequaces; reuixit de nouo; ecce adeſt Attila, Genſericus, & alij barbari, pacatum eſt mare, en Mahometus immiſſus, neque ſic ſuccubuit, ſed operuit vmbra eius cedros Dei, & ecce quietem aſſecuta eſt, ſed excitantur in eam VViclef, Berengarius, VValdo, Hus, dum rurſus in pace agit, en Lutherus, & Caluinus Acheronta mouent; ſed putationibus, & inciſionibus, hæc vinea creſcit, nunquam perfectius de præcipuis fidei Articulis tractatum eſt, quam cum repugnarent hæretici, nec vnquam Acrius diſputatum de Trinitate, quam cum oblatrarent Ariani; nec de pœnitentia, quam cum obgannirent Nouatiani, nec de gratia Diuina, quam cum inſultarent Pelagiani, nec de Baptiſmo, donec obſiſterent donatiſtæ, nec de alijs fidei myſterijs, quam cum blaterarent cæteri hæretici, & iſti quidem perierunt, qui quærebant animam eius, virga autem Domini, & baculus eius conſolata ſunt illam qui eſt adiutor illius in tribulationibus, quod nullum, ex his inſignibus conueniat ſectarijs, oſtendit fuſe tota prima pars, & diſt.7. huius partis.

§. XI.

§. XI.

Decimum Inſigne

Incorrupta Chriſtianæ religionis fundamentorum, & documentorum conſeruatio, vnde omnem horret nouitatem, venerandæ ſemper adhæret antiquitati.

EX hac veræ doctrinæ conſeruatione; & exacta cum Verbo Dei conſonantia, apparebit nouitas ſectariorum, & apertiſſima à verbo Dei diſſonantia: illa igitur eſt vera Chriſti religio, quæ eſt columna & ſtabile firmamentum antiquæ veritatis, depromens ſua dogmata ex ipſo Dei verbo, talis eſt Catholica, & Romana, ergo illa eſt vera Chriſti religio, & è contra, illa eſt falſa, quæ habet dogmata omnino noua, & eidem Dei verbo oppoſita.

Probatur minor. Credit Romana, & Catholica Religio Chriſto dicenti, & promittenti Ioan. 6. veram carnem ſuam, verumque ſanguinem in ſacramento Euchariſtiæ, adeoq; ſe ipſum, non ſicut Moyſes dedit manna in deſerto, in vmbra, & figura, ſed reipſa: ſectarij volentes plus ſapere, quam tota primitiua eccleſia, quam concilia Oecumenica, imo quam Chriſtus ipſe, in ſola figura carnem & ſanguinem dediſſe mordicus affirmant. Credit Romana religio ex Mathæo 16. & Ioanne 21. Chriſtum tradidiſſe Diuo Petro claues regni Cœlorum, & curam ouium ſuarum; & conſequenter totius ſuæ eccleſię ex ouibus Chriſti conflatæ, negant ſectarij. Docet eccleſia Romana ex pſal. 150. *Laudandum eſſe Dominum in Sanctis eius*: & ex pſalm. 138. *Sibi cum Dauide nimis honoratos eſſe amicos Dei, nimis confortatum eſſe principatum eorum; gloriam, & honorem eſſe omni operanti bonum, Iudæo primum, &*

*Græco ad Rom.*2.Beatam Virginem honorandam, iuxta ſuam ipſius prædictionem, *Beatam me dicent omnes generationes*; Iſti Sanctorum cultum, idololatriam vocant.

Docet hæc religio,ex eodem Dei verbo,vota facta Deo,reddenda eſſe ex Leuitici 27.Iudicum 11. Deuteronomij 23.pſal.7. Et proinde nõn ſine damnatione violari ex primæ ad Tim.5. *Adoleſcentiores viduas deuita*,inquit Apoſtolus, *cum enim luxuriatæ fuerint in Chriſto, nubere volunt,habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt*: docet idem ieiunijs, vigilijs,orationibus, eleemoſynis toties in ſcriptura commendatis inſiſtere: docet ex eadem ſcriptura virginem,*Quæ nubit benefacere, quæ non nubit melius facere.* Ex primæ aſt Corinth.7.ſectarij carnis ſuæ illecebras authoritati ſcripturę pręferentes,caſtitati, vigilijs &c.longum vale dixerunt, vota Deo facta irrita facere,libertatemChriſtianam eſſe docent.

Credit Romana Religio Chriſto dicenti, beatos eſſe pauperes ſpiritu, mites, pacificos, perſecutionem patientes,eoſque debere exultare, quia merces eorum copioſa eſt in Cœlis Math.5. & eos qui bona fecerunt, proceſſuros in reſurrectionem vitæ, qui vero mala in reſurrectionem iudicij. Ioan.5. & iſta bona,& mala numerari ab ipſo Chriſto Mat.25. Eſuriui, ſitiui, hoſpes eram &c. Sectarij contra tot expreſſa teſtimonia, nullam mercedem iuſto propoſitam eſſe volunt, referuntque omnia in ſuam ſolam ſteriliſſimam fidem, docet Catholica religio cum ſcriptura Gen. 4. ſub nobis eſſe appetitum noſtrum, noſque eſſe Dominos illius. Idem docet ex Deut.30 Ioſue 24.& ſæpius alibi, ſectarij quo malis omnibus laxent habenas, libernm arbitrium pro fabula habent,prædicta omnia & alia huc vſque ex ſcriptura probata permanenter, firmiter,& ſine interruptione, mutatione,viciſſitudine,credit,& profitetur catholica,& Romana Religio, vt aliud nunquam ſit eniſa,

quam,

quam, vt iuxta concilij Epheſini decretum, *Antiqui dogmatis religionem tueretur, & prophanæ nouitatis blaſphemiam condemnaret*. Addens illud concilij Calcedonenſis Act. 1. *Si quis innouat Anathema ſit*. Et in alijs toties illud repetitum. *Nihil innouandum*. Ex quibus infertur iſta.

Concluſio.

VNa, Sancta, Catholica, & Apoſtolica Romana Eccleſia, omnium Eccleſiarum mater, & magiſtra, eandem hodie profitetur fidem ſub Clemente Decimo, quæ fuit olim ſub D. Petro, Apoſtolis, & inde ſub Clemente Primo.

Nam illa fides fuit tempore D. Petri, Apoſtolorum, & Clementis Primi, cuius articuli inueniuntur in Verbo Dei, & inſuper apud Sanctos Patres illius primi ſæculi, ſed articuli quos hodie credit Catholica, & Romana Eccleſia, inueniuntur tum in Verbo Dei, tum apud Patres Sancto Clementi Primo Coæuos, ergo eandem fidem hodie profitetur Romana eccleſia, quæ fuit olim ſub Apoſtolis, & inde ſub Clemente Primo; maior patet, nam fides quam coluere, & docuere Apoſtoli eſt illa ipſa, quę nobis traditur in Verbo Dei, quamque patres ipſis, eorumque diſcipulis contemporanei, ſæculis ſibi ſuccedentibus tradiderunt.

Minor vero patet percurrenti totam hanc diſtinctionem de ſingulis punctis. Et conſequentia eſt legitima.

Quid ad hæc ſectariorum ineptiſſima Nouitas.

SIcut eccleſia Chriſti eſt immutabilis, antiqua, ſolida, durans vſque in finem, aduerſus quam portæ inferi non præualebunt, ita nouitas eſt falſæ eccleſiæ, & religionis inſigne, nouas autem eſſe ſectariorum religiones, quis ambigit? earum noui-

tatem oſtendit tota diſtinctio ſeptima, facile enim aſſignantur primi authores, loca, tempora, modus, quo ſunt introductæ,rixæ,bella, tumultus, rebelliones,direptiones,homicidia per illas excitata, & peracta,cum ipſi e contra,nunquam ſint deſignaturi,quo tempore, qua orbis parte fuerint ante Lutheri, aut Caluini tempora,niſi prouocando pro ſua mala cauſa ad latentes obliuionis vaniſſimæ caligines ad horrentes, & nulli mortalium cognitæ ſolitudinis Vmbras,in huiuſmodi denſis tenebris ſtatiua, in his tentoria religionis nigerrimæ figunt.

ARTICVLVS VLTIMVS.

In ſola Romana Eccleſia eſt vera ſalus.

SEnſus, & probatio iſtius articuli, ex pluribus pendet ſuppoſitionibus;prima eſt in vera eccleſia dari veram ſalutem, extra illam, nullam dari ſalutem;ſecunda, falſum eſſe, quemlibet in ſua fide ſaluari poſse:tertia,non ſufficere credere in Chriſtum tantum. Quarta denique, in ſola Romana eccleſia dari hanc ſalutem; quæ omnia ſequentibus aſſertionibus explico.

Aſſertio prima. *Vti in vera eccleſia datur ſalus, & fides,ita extra illam, nulla eſt vera fides aut ſalus,* Probatur 1.pars Ioan.15.verſ.5. *Ego ſum vitis, vos palmites,qui manet in me,& ego in eo, hic fert fructũ multum,quia ſine me,nihil poteſtis facere,in hoc clarificatus eſt Pater meus,vt fructum plurimum afferatis,& efficiamini mei diſcipuli.* Manere in Chriſto, eſt eſſe in via ſalutis,eſſe diſcipulum Chriſti, eſt eſſe in vera Chriſti eccleſia.Iuxta illud 1. ad Corint. 12. verſ. 13. *Vos autem eſtis Corpus Chriſti, & membra, de membro.* Eccleſia autem eſt Corpus Chriſti;iuxta illud ad Epheſ.1. *Ipſum dedit caput, ſupra omnem eccleſiam,quæ eſt corpus ipſius.* Ergo in vera eccleſia, datur vera ſalus: vera autem ſalus ſupponit veram

fidem

fidem, iuxta illud Apoſtoli ad Hæb. 11. *Sine fide impoſſibile eſt placere Deo*, ſed in vera eccleſia datur vera fides, ſine qua vera eccleſia eſſe non poteſt; ergo in ea ſola eſt ſalus, & fides.

Probatur ſecunda pars, Ioan. 15. verſ. 7. *Sicut palmes non poteſt ferre fructum a ſemetipſo, niſi manſerit in vite, ſic nec vos, niſi manſeritis in me*, Sed manere in Chriſto eſt eſſe membrum eccleſiæ: ergo qui non manet in eccleſia non manet in Chriſto, adeoque non eſt in via ſalutis. Vt ibidem dicitur, *Si quis in me non manſerit, mittetur foras ſicut palmes, & areſcet, & colligent eum, & in ignem mittent.* Vbi erit fletus, & ſtridor dentium. Confr. ex illo Iſaiæ 60. verſ. 11. *Aperientur portæ tuæ iugiter, die ac nocte non claudentur, vt afferatur ad te fortitudo gentium, & reges earum adducantur. Gens enim, & regnum, quod non ſeruierit tibi, peribit*. Et Math. 18. verſ. 15. *Si eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicuo, & Publicanus.* Tunc ſic, vel *Ethnicus*, & publicanus, qua tales, poſſunt ſaluari, vel non? Si poſſunt, ergo gens, & regnum, quod non ſeruierit Chriſto, poteſt ſaluari: ergo Idololatræ, Pagani, Atheiſtæ, Turcæ, Hebræi ſunt in via ſalutis: ergo perinde eſt credere in Deum, & Chriſtum, ac non credere: ergo ſcriptura ſupracitata eſt falſa; ergo non eſt credendum Chriſto: ſi autem credimus Chriſto; adeoque ethnicum, & publicanum qua tales non poſſe ſaluari, ergo extra veram Chriſti eccleſiam, nulla datur vera ſalus aut Fides.

Aſſertio ſecunda *Falſum eſt quemlibet in ſua opinione, ſeu religione ſaluari poſſe*. Scriptura enim expreſse declarat neminem ſaluari poſſe, niſi credat in Chriſtum, & obſeruet mandata. Ioan. 3. verſic. 18. *Qui credit in eum non iudicatur, qui autem non credit, iam iudicatus eſt, quia non credit, in nomine Vnigeniti filij Dei*. De hoc nomine inquit D. Petrus Act. 4. v. 10. *In nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, &c.* & infra, *& non eſt in aliquo alio ſalus, neque enim*

aliud nomen eſt ſub Cœlo, datum hominibus, in quo oporteat nos ſaluos fieri. Vel ergo ſub cœlo eſt ſalus in aliquo alio, quam in Chriſto, vel non eſt? Si eſt, ergo hæc ſcriptura tam aperta fallit, & fallitur, quod eſt impoſſibile: ſi non eſt, ergo falſum eſt Turcam, Hebræum, adeoque quemlibet in ſua opinione ſaluari poſſe.

Probatur vlterius, ſi quilibet etiam Paganus, Turca, Hebræus, publicanus, idololatra in ſua opinione ſaluari poteſt; ergo fruſtra Verbum Incarnatum fuit, fruſtra Chriſtus paſſus, & mortuus, fruſtra Euangelium generi humano obſeruandum propoſuit, fruſtra tot miracula patrauit, vt ſaluator mundi, & Meſſias crederetur, fruſtra Apoſtoli, Euangeliſtæ, & alij prædicatores in eodem euangelio propagando, & annunciando laborarunt, fruſtra tot martyres, vitam iuxta præſcriptum Chriſti, pro eodem profuderant: deinde hæc ſententia nullum diſcrimen facit inter Atheiſmum, Turciſmum, Iudaiſmum, & Chriſtianiſmum, ita vt perinde ſit quid credas, quid non credas. Præterea iuxta hanc ſententiam Hebræus negans Meſſiam veniſſe, tam deberet ſaluari, quam verus Chriſtianus, contra illud Ioan. 3. verſ. 36 *Qui autem incredulus eſt filio, non vidit vitam, ſed ira Dei manet ſuper eum*. Similiter Turca credens Alcoranum eſſe potius à Deo reuelatum, quam euangelium, deberet etiam ſaluari, & ſic Chriſtus non eſſet Saluator mundi, contra illud 1. ad Tim. 2. *Qui dedit redemptionem ſemetipſum pro omnibus*.

Rurſus ſtante hac opinione duo contradictoria deberent eſſe ſimul vera, quod eſt impoſſibile, & duo ſibi ipſis contradicentes in eodem puncto religionis poſſent ſaluari v:g. ſit Titius, & Caius, inter articulos, quos in ſua religione tenet Titius eſt iſte *Quilibet in ſua opinione non poteſt ſaluari*; Caius e contra in ſua religione tenet articulum oppoſitum, nempe, *Quemlibet in ſua religione poſſe ſaluari*. Tunc ſic, vel Titius tenens ſuam opinionem errat, vel non?

ſi non, ergo verum dicit Titius, & falſum Caius, ſi errat Titius,tunc verum dicit Caius, & tunc Titius cum errore ſuo non poteſt eſſe in vera religione, idem erit de Caio, ſi falſum dicit, ergo ex illo capite falſum erit quémlibet in ſua religione ſaluari. Si autem neuter errat,ergo vterque verum dicit, & ſic duo contradictoria erunt ſimul vera; adeoque duæ ſectæ altercantes de eodem principio fidei v. g. Hebræus,& Chriſtianus de Meſſia, Turca, & fidelis de Alcorano, Arianus,&Catholicus de diuinitate Chriſti,paganus, & Atheiſta de Dei exiſtentia, catholicus item, & ſectarius de Euchariſtia, vel ſeptem ſacramentis implacabiliter diſſidentes, adhuc non errarent, ſed potius iſti omnes dicerent verum,& ſtante ſua diuerſitate ſaluarentur. Quod eſt Mahometum Chriſto, Paganiſmum,Chriſtianiſmo, veræ religioni Atheiſmum æquare.

Aſſertio tertia. Non ſufficit ad ſalutem, credere in Chriſtum tantum. Probatur 1. ad Corint.13. *Et ſi habuero omnem fidem,ita vt montes transferam, charitatem autem non habuero nihil ſum.* Declarat autem, quomodo charitas operetur bona, *Charitas patiens eſt, benigna eſt,non æmulatur,non agit perperam,non quærit quæ ſua ſunt.* Duo autem ſunt charitatis præcepta nempe diligere Deum, deinde proximum,ut declarat Chriſtus Math. 22. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo &c. & hoc eſt primum & maximum mandatum:ſecundum autem ſimile huic diliges proximum tuum, ſicut te ipſum. In his duobus mandatis vniuerſa lex pendet, & Prophetæ.* Hæc Chriſtus,ſi ergo credimus Paulo ſola fides, ſine charitate non ſufficit, ſi credimus Chriſto; charitas conſiſtit utique in dilectione, dilectio autem comprehendit amorem Dei,& proximi, uterq; hic amor complectitur legem, lex autem præcepta Diuina: unde Chriſtus Math.19.*Si autem vis ad vitam ingredi,ſerua mandata.* Et cap.28. *Docete omnes gentes, docentes eos ſeruare omnia quæcumq; mandaui vobis.*

Quid

Quid expreſsius? hinc Chriſtus exigit obſeruantiam mandatorum, & legis, ab ijs qui uolunt ad uitam ingredi. Vbi hic mentio de ſola fide in Chriſtum? ut autem poſſit quis ſaluari, non ſufficit unius, trium, uel quatuor mandatorum obſeruantia, ſed neceſse eſt ſeruare omnia, ut inquit Chriſtus loco citato: ergo etiã non ſufficit ad ſalutem credere duos, uel tres articulos, ſed neceſse eſt credere omnia, quæ Deus reuelauit, nobiſque per eccleſiam credenda proponit; nec enim fides debet eſſe minus integra, quam obſeruatio Decalogi. Tandem oppoſita ſententia ſaluat omnes hæreticos, qui ab initio eccleſiæ exſtiterunt, & ſic excuſarentur Ariani, Neſtoriani, Manichæi &c. qui tamen credebant in Chriſtum. Denique ſi ſola fides in Chriſum ſufficit, ſine obſeruantia mandatorum, iam ſternitur uia coniurationibus, latrocinijs, adulterijs, prædationibus, rapinis, homicidijs, regicidijs, perduellionibus, nam authores horum ſcelerum dicerent his non obſtantibus, ſe per fidem in Chriſtum tantum eſſe iuſtos, & ſaluandos, adeoque obſeruantiam mandatorum eſse ſuperfluam.

Aſsertio quarta. In ſola Romana eccleſia datur vera ſalus, & fides. Iſta iam ſatis patet ex dictis: nam ex tota hac 2. parte conſtat ſolam Romanam, eſſe veram Chriſti eccleſiam, cum ipſa ſola ſit vna, Sancta, Catholica, & Apoſtolica eccleſia: ſed in vera Chriſti eccleſia datur vera fides, & ſalus; atqui ſola Romana eſt vera Chriſti eccleſiã: ergo in ſola Romana, eſt vera fides, & ſalus. Item extra veram Chriſti eccleſiam nulla datur vera fides, aut ſalus: ſed ſola Romana, eſt vera Chriſti eccleſia: ergo extra Romanam eccleſiam non datur vera fides, aut ſalus. Quare ſicut vna tantum eſt eccleſia, adeoque vnica Religio, vt vnus Deus, vnus Chriſtus, vna fides, vnum baptiſma, vna fideliũ congregatio, quæ Deum verum, eo colit modo, quo ipſe vult ab hominibus coli: ita falſum eſt dari plures eccleſias diuerſæ fidei, & religionis, in quibus ſit vera ſalus; adeoque falſiſ-

ſimum

ſimum eſt quemlibet in ſua religione ſaluari poſſe; aut ſufficere credere in Chriſtum tantum, cum præterea requiratur, & quod ſit membrum Eccleſiæ (*Quam, qui non audierit, erit ſicut Ethnicus, & publicanus*) & quod exerceat bona opera.

Opponunt ſectarij ſuam ignorantiam inuincibilem. Contra 1. quia ipſi impugnant catholicos, vel ergo cognoſcunt id, quod impugnant, vel ſunt ſtupidi, quod impugnent, quod neſciunt. Contra 2. vel iſti inuincibiliter ignorantes obſeruant legem naturæ, vel non? ſi primum illuminabuntur, vt conſtat de Cornelio Centurione Act. 10. Lydda. Act. 16. Eunucho Act. 8. Si ſecundum, damnationi ſe exponunt; eo quod non obſeruent eam legem, quæ omnibus eſt nota, quam ſi obſeruent vtique Deus de mediis ſalutis eis prouidebit, ut prouidit ſupradictis. Vnde ſequitur iſta catholica poſitio.

Eccleſia Romana, ſeu Pontificia antiquitate ſua uenerabilis eſt, & fundata, ac firmata, ſanctitate uero, Catholiciſmo, ſeu ſua per orbem diffuſione, conuerſione infidelium, ſtabilitate, concordia in rebus fidei, miraculis, ipſo denique pontificiæ nomine, tam illuſtris eſt, & conſpicua, ut nemo prudens ambigere poſſit eam eſse ueram, ac indubitatam Chriſti Domini eccleſiam, extra quam non eſt ſalus.

Proinde eidem Sanctæ Romanæ eccleſiæ matri, & magiſtræ omnium eccleſiarum, omnia quæ in præſenti opere continentur, meque ipſum ſubmitto ego.

Fr. Franciſcus Porterus.

INDEX

INDEX.

Rerum Notabilium.

ACatholici un poſſint ex ſuis principÿs probare ſua dogmata a pag. 11. vſque ad pag. 17.
Articulos ſuos ſpeciales an poſſint probare ex ſcriptura 27. ad 30.
Authoritas quot duplex 274. 275.
Authoritas quam tuta, & neceſſaria pro acquirenda veritate 199. ad 203.
Authoritas Eccleſiæ regula credendi 342.
Apoplexia hæreſis 125. & 152.
BAptiſmus, materia, forma, miniſter 530.
Beza qualis 424.
Blaſphemiæ hæterodoxorum in Deum, & Chriſtum 130 ad 138. & 167. ac 251.
CAluinus qualis 423.
Canonizatio quid 590.
Catholiciſmus quid 379. 425. 472.
Certitudo quotuplex, cauſæ, effectus 3. ad 62.
Certitudo moralis quid, & an ſufficiens ad fidē 63. & 64
Cælibatus Eccleſiaſticus 535.
Chriſti merita 611.
In Chriſtum credere tantū an ſufficiat ad ſalutem 633
Circulus implicatorius 22. & 322.
Communio Sanctorum 612.
Concilia generalia, eorum, conditiones, & infallibilitas 273. ad 302.
Confirmationis Sacramentum 532.
Conſilia Euangelica 583.
Crimina omnia quomodo licita ex principÿs ſectariorum, paſſim 100. ad 119.
DAmnati & prætenti reformati quomodo pares 141
Deus an ex principÿs ſectariorū ſincere agat cū Humano genere 138.

Deo an ex ijſdem principijs ſeruanda fides 143.
DefinitionesEccleſ.quibus regulis innituntur 272.293
Doctrina reuelata quid requirat 330. *ad* 338.
E *Ccleſia quid* 203.
In Eccleſia inquirenda quid reflectendum, 204.
Eius exiſtentia,& fundatio 207. *illius viſibilitas* 209 *ad* 216.
Eccleſiæ indefectibilitas 217.*ad* 227. *eius vnitas ibid.*
Eccleſiæ infallibilitas 242. *ad* 270.
Effugia ſectariorum 30. 37.& 287.
Euchariſtiæ ſacramentum 546.*ad* 576
Examen priuatum an regula credendi 83.603 *ad* 313.
Extrema vnctio 533.
F *Ides quid,& quot duplex* 579.
Fidei certitudo, ac cæteræ proprietates 2.*ad* 8.
Fidei vnitas quid 196. 197. 363.
Fides ſola quomodo excludit virtutes Chriſtianas, legis obſeruantiam,Dei timorem,& cultum 85.*ad* 99.
Fidei duplex obiectum 338. *fidei reſolutio* 360.
Fraudes heterodoxorum in ſuis articulis probandis 28 *ad* 32.& 39. *ad* 43.
G *Ratia ſanctificans ſuperflua in iuſtificatione ſecundum ſectarios* 90.& 147.
H *Æreſis quomodo ex ſuis principijs , nullitatis conuincitur* 9. *ad* 73. & *a pag.*158. *ad* 183.
I *Dololatria quid* 567. *Quomodo ab ea immunes Catholici ibidem* & 597.
Illuminatio quot duplex 270.
Imagines ſacræ colendæ 601.
Imperatores quid præſtare poſſint in concilijs generalibus 274.275.
Indulgentia quid 610.
Infallibilitas ſiue priuilegium non errandi, quid , & quot duplex 243.
Infallibilitas Eccleſiæ 243. *ad* 270.
Infallibilitas conciliorum generalium quid 270.
Iudicium præuium ad fidem 65. & 651.
Interpretis neceſſitas pro ſcriptura 328.
Iu-

Iuſtificatio a 577.
Iuſtificatio prætenſæ reformationis titubat a 162.
L*Abyrinthus implicatorius* 70.& 159. *ad* 159.
Lex diuina obſeruabilis 104.
Lutherus qualis 178. 179.423.
Libertas prætenſæ reformationis credendi & non credendi quodlibet pro libitu a 170.
Item credendi & non credendi quod voluerit circa myſteria noſtræ redemptionis, & Eucharistiæ a 272.
Item circa ſacramenta baptiſmi, pœnitentiæ, & matrimonij 174.
Circa cælibatum 176.
Circa ſalutem 177.
Item reſuſcitandi veteres hæreſes 181
M*Agiſtratus Eccleſiæ* 384.
Mahometum quomodò Chriſto coæquant ſectari 133.
Matrimonij ſacramentum, & vinculum 531.& 532.
Merita bonorum operum 586.
Miraculorum donum nota Eccleſiæ 377. & 465.
Monarchiæ regimen optimum 389.
Mores corrupti compatibiles cum integritate fidei & doctrinæ 296.
Motiua credibilitatis a 616.
N*Egatiui articuli quales* 29.30.31.
Negatiui articuli probandi 32.*ad* 35
Nodus indiſſolubilis 119.
O*Pera bona* 586.
Opinio quid 47.
Ordinis ſacramentum 534.
P*Apa.* Vide infra *Romanus Pontifex D. Petri primatus* 391.*ad* 416.
Primatus eiuſdem prærogatiuæ 514.
Priuilegium non errandi vide *infallibilitas*
Principes ſeculares, an debeant regere Eccleſiam 408.
Propoſitio doctrinæ reuelatæ 330.
Proponens remotus, & proximus 336.
Purgatorium 606.

Quæ-

QVæſtiones duæ inter Chriſtianos celebres, 303. & 326.
REformationis præcipitium 158.
Reformationis principia contra ſcripturam 164
Item contra lumen naturale 167. blaſphema 168.
Regimen quid,& quot duplex 384.
Regula credendi 302.
Religio quid,& quotduplex 189:
Religio vera datur in mundo 190.
Poteſt inueniri 194.
Religiones omnes non ſunt veræ 196.
Religiones veræ quærendæ quis optimus modus 199.
in ea quærenda, quid reflectendum 204.
Religio prætenſa reformata,ex proprijs principijs nullitatis conuicta 9.ad 77.& 158.ad 185.
Religio reformata non eſt vna, Sancta, Catholica vel Apoſtolica 420. & 448.
Religionis reformatæ principia, quomodo proſcribunt media ſalutis 77. ad 125.
Religionis reformatæ dogmata quam perniciosa.
Regibus,rebuſpublicis,communitatibus 114. ad 119.
Religionis eiuſdem iuſtitia, iuxta ſua principia compatibilis cum quibuſuis peccatis 106. ad 114.
Religio eadem excludit obſeruantiam legis,& Dei cultum 91.& 95.
Eius profeſſores Sancti, modo minus mali,quam diabolus 107. ad 117.
An in ſua religione quiſque ſaluetur 631.
Reformati Caluiniſtæ ex ſuis principijs ſunt ſimul, & non ſunt iuſti 119.
Prætenti reformati in hora mortis cuius Dei, vel regni hæredes 149.
Reliquiæ colendæ 602.
Romana eccleſia ſola vna, ſancta,Catholica, & Apoſtolicæ 448. ad 526.
Romanæ Eccleſiæ prærogatiuæ 514.
Romana Eccleſia conformis primitiuæ 526.ad finem.
Romani Pontificis authoritas electio,prærogatiuæ 515. & 525.
Sa-

SAcrificium miſſæ 569. ad 576.
Sacramenta aplicant merita Chriſti 527.
Eorum numerus, & inſtitutio 528.
Salus in vera Eccleſiâ 630.
Salus nulla extra Eccleſiam ibidem.
Salus æterna quomodo proſcripta 81. ad 125.
Sanctorum inuocatio 568.
Satisfactio quid 543.
Scriptura quid 303.
An ſola regula credendi 313.
An indigeat interprete 326.
An probet ſeipſam eſſe diuinam, integram 11. ad 24.
Scripturam ſe ſola non ſufficere 158.
Scrutinium priuatum an regula credendi 306.
Spiritus priuatus an regula credendi 321.
Spiritus Sanctus quomodo adeſt conciliÿs 272.
Succeſſio Apoſtolica 489.
An eam habeant ſectarÿ 440. 444.
TRaditiones quid, & quam neceſſariæ 326.
Tranſubſtantiatio 554.
VOtum quid 141. Deo reddendum ibidem.

F I N I S.

R O M Æ,
Typis Dom. Ant. Herculis. 1687.
Superiorum permiſſu.

005649625

tatem oſtendit tota diſtinctio ſeptima, facile enim aſſignantur primi authores, loca, tempora, modus, quo ſunt introductæ,rixæ,bella, tumultus, rebelliones,direptiones,homicidia per illas excitata, & peracta,cum ipſi e contra,nunquam ſint deſignaturi,quo tempore, qua orbis parte fuerint ante Lutheri, aut Caluini tempora,niſi prouocando pro ſua mala cauſa ad latentes obliuionis vaniſſimæ caligines ad horrentes, & nulli mortalium cognitæ ſolitudinis Vmbras,in huiuſmodi denſis tenebris ſtatiua, in his tentoria religionis nigerrimæ figunt.

ARTICVLVS VLTIMVS.

In ſola Romana Eccleſia eſt vera ſalus.

SEnſus, & probatio iſtius articuli, ex pluribus pendet ſuppoſitionibus;prima eſt in vera eccleſia dari veram ſalutem, extra illam, nullam dari ſalutem;ſecunda, falſum eſſe, quemlibet in ſua fide ſaluari poſse:tertia,non ſufficere credere in Chriſtum tantum.. Quarta denique, in ſola Romana eccleſia dari hanc ſalutem; quæ omnia ſequentibus aſſertionibus explico.

Aſſertio prima. *Vti in vera eccleſia datur ſalus, & fides,ita extra illam, nulla eſt vera fides aut ſalus,* Probatur 1.pars Ioan.15.verſ.5. *Ego ſum vitis, vos palmites,qui manet in me,& ego in eo, hic fert fructũ multum,quia ſine me,nihil poteſtis facere,in hoc clarificatus eſt Pater meus,vt fructum plurimum afferatis,& efficiamini mei diſcipuli.* Manere in Chriſto, eſt eſſe in via ſalutis,eſſe diſcipulum Chriſti, eſt eſſe in vera Chriſti eccleſia. Iuxta illud 1. ad Corint.12. verſ.13. *Vos autem eſtis Corpus Chriſti, & membra, de membro.* Eccleſia autem eſt Corpus Chriſti;iuxta illud ad Epheſ.1. *Ipſum dedit caput, ſupra omnem eccleſiam,quæ eſt corpus ipſius.* Ergo in vera eccleſia, datur vera ſalus: vera autem ſalus ſupponit veram fidem

fidem, iuxta illud Apoſtoli ad Hæb. 11. *Sine fide impoſſibile eſt placere Deo*, ſed in vera eccleſia datur vera fides, ſine qua vera eccleſia eſſe non poteſt; ergo in ea ſola eſt ſalus, & fides.

Probatur ſecunda pars, Ioan. 15. verſ. 7. *Sicut palmes non poteſt ferre fructum a ſemetipſo, niſi manſerit in vite, ſic nec vos, niſi manſeritis in me*, Sed manere in Chriſto eſt eſſe membrum eccleſiæ: ergo qui non manet in eccleſia non manet in Chriſto, adeoque non eſt in via ſalutis. Vt ibidem dicitur, *Si quis in me non manſerit, mittetur foras ſicut palmes, & areſcet, & colligent eum, & in ignem mittent.* Vbi erit fletus, & ſtridor dentium. Confr. ex illo Iſaiæ 60. verſ. 11. *Aperientur portæ tuæ iugiter, die ac nocte non claudentur, vt afferatur ad te fortitudo gentium, & reges earum adducantur. Gens enim, & regnum, quod non ſeruierit tibi, peribit*. Et Math. 18. verſ. 15. *Si eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicuo, & Publicanus.* Tunc ſic, vel Ethnicus, & publicanus, qua tales, poſſunt ſaluari, vel non? Si poſſunt, ergo gens, & regnum, quod non ſeruierit Chriſto, poteſt ſaluari: ergo Idololatræ, Pagani, Atheiſtæ, Turcæ, Hebræi ſunt in via ſalutis: ergo perinde eſt credere in Deum, & Chriſtum, ac non credere: ergo ſcriptura ſupracitata eſt falſa; ergo non eſt credendum Chriſto: ſi autem credimus Chriſto; adeoque ethnicum, & publicanum qua tales non poſſe ſaluari, ergo extra veram Chriſti eccleſiam, nulla datur vera ſalus aut Fides.

Aſſertio ſecunda *Falſum eſt quemlibet in ſua opinione, ſeu religione ſaluari poſſe*. Scriptura enim expreſse declarat neminem ſaluari poſſe, niſi credat in Chriſtum, & obſeruet mandata. Ioan. 3. verſic. 18. *Qui credit in eum non iudicatur, qui autem non credit, iam iudicatus eſt, quia non credit, in nomine Vnigeniti filij Dei.* De hoc nomine inquit D. Petrus Act. 4. v. 10. *In nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, &c.* & infra, *& non eſt in aliquo alio ſalus, neque enim aliud*

aliud nomen eſt ſub Cœlo, datum hominibus, in quo oporteat nos ſaluos fieri. Vel ergo ſub cœlo eſt ſalus in aliquo alio, quam in Chriſto, vel non eſt? Si eſt, ergo hæc ſcriptura tam aperta fallit, & fallitur, quod eſt impoſſibile: ſi non eſt, ergo falſum eſt Turcam, Hebræum, adeoque quemlibet in ſua opinione ſaluari poſſe.

Probatur vlterius, ſi quilibet etiam Paganus, Turca, Hebræus, publicanus, idololatra in ſua opinione ſaluari poteſt; ergo fruſtra Verbum Incarnatum fuit, fruſtra Chriſtus paſſus, & mortuus, fruſtra Euangelium generi humano obſeruandum propoſuit, fruſtra tot miracula patrauit, vt ſaluator mundi, & Meſſias crederetur, fruſtra Apoſtoli, Euangeliſtæ, & alij prædicatores in eodem euangelio propagando, & annuntiando laborarunt, fruſtra tot martyres, vitam iuxta præſcriptum Chriſti, pro eodem profuderant: deinde hæc ſententia nullum diſcrimen facit inter Atheiſmum, Turciſmum, Iudaiſmum, & Chriſtianiſmum, ita vt perinde ſit quid credas, quid non credas. Præterea iuxta hanc ſententiam Hebræus negans Meſſiam veniſſe, tam deberet ſaluari, quam verus Chriſtianus, contra illud Ioan. 3. verſ. 36 *Qui autem incredulus eſt filio, non vidit vitam, ſed ira Dei manet ſuper eum*. Similiter Turca credens Alcoranum eſſe potius à Deo reuelatum, quam euangelium, deberet etiam ſaluari, & ſic Chriſtus non eſſet Saluator mundi, contra illud 1. ad Tim. 2. *Qui dedit redemptionem ſemetipſum pro omnibus*.

Rurſus ſtante hac opinione duo contradictoria deberent eſſe ſimul vera, quod eſt impoſſibile, & duo ſibi ipſis contradicentes in eodem puncto religionis poſſent ſaluari v.g. ſit Titius, & Caius, inter articulos, quos in ſua religione tenet Titius eſt iſte *Quilibet in ſua opinione non poteſt ſaluari*; Caius e contra in ſua religione tenet articulum oppoſitum, nempe, *Quemlibet in ſua religione poſſe ſaluari*. Tunc ſic, vel Titius tenens ſuam opinionem errat, vel non? ſi

ſi non, ergo verum dicit Titius, & falſum Caius, ſi errat Titius,tunc verum dicit Caius, & tunc Titius cum errore ſuo non poteſt eſſe in vera religione, idem erit de Caio, ſi falſum dicit, ergo ex illo capite falſum erit quémlibet in ſua religione ſaluari. Si autem neuter errat,ergo vterque verum dicit, & ſic duo contradictoria erunt ſimul vera; adeoque duæ ſectæ altercantes de eodem principio fidei v. g. Hebræus,& Chriſtianus de Meſſia, Turca, & fidelis de Alcorano, Arianus,&Catholicus de diuinitate Chriſti,paganus, & Atheiſta de Dei exiſtentia, catholicus item, & ſectarius de Euchariſtia, vel ſeptem ſacramentis implacabiliter diſſidentes, adhuc non errarent, ſed potius iſti omnes dicerent verum,& ſtante ſua diuerſitate ſaluarentur. Quod eſt Mahometum Chriſto, Paganiſmum,Chriſtianiſmo, veræ religioni Atheiſmum æquare.

Aſſertio tertia. Non ſufficit ad ſalutem, credere in Chriſtum tantum. Probatur 1. ad Corint.13. *Et ſi habuero omnem fidem,ita vt montes transferam, charitatem autem non habuero nihil ſum.* Declarat autem, quomodo charitas operetur bona, *Charitas patiens eſt, benigna eſt,non æmulatur,non agit perperam,non quærit quæ ſua ſunt.* Duo autem ſunt charitatis præcepta nempe diligere Deum, deinde proximum,ut declarat Chriſtus Math. 22. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo &c. & hoc eſt primum & maximum mandatum:ſecundum autem ſimile huic diliges proximum tuum, ſicut te ipſum. In his duobus mandatis vniuerſa lex pendet, & Prophetæ.* Hæc Chriſtus,ſi ergo credimus Paulo ſola fides, fine charitate non ſufficit, ſi credimus Chriſto; charitas conſiſtit utique in dilectione, dilectio autem comprehendit amorem Dei,& proximi, uterq; hic amor complectitur legem, lex autem præcepta Diuina: unde Chriſtus Math.19.*Si autem vis ad vitam ingredi,ſerua mandata.* Et cap.28. *Docete omnes gentes, docentes eos ſeruare omnia quæcumq; mandaui vobis.*

Quid

Quid expreſsius? hinc Chriſtus exigit obſeruantiam mandatorum, & legis, ab ijs qui uolunt ad uitam ingredi. Vbi hic mentio de ſola fide in Chriſtum? ut autem poſſit quis ſaluari, non ſufficit unius, trium, uel quatuor mandatorum obſeruantia, ſed neceſse eſt ſeruare omnia, ut inquit Chriſtus loco citato: ergo etiã non ſufficit ad ſalutem credere duos, uel tres articulos, ſed neceſse eſt credere omnia, quæ Deus reuelauit, nobiſque per eccleſiam credenda proponit; nec enim fides debet eſſe minus integra, quam obſeruatio Decalogi. Tandem oppoſita ſententia ſaluat omnes hæreticos, qui ab initio eccleſiæ exſtiterunt, & ſic excuſarentur Ariani, Neſtoriani, Manichæi &c. qui tamen credebant in Chriſtum. Denique ſi ſola fides in Chriſum ſufficit, ſine obſeruantia mandatorum, iam ſternitur uia coniurationibus, latrocinijs, adulterijs, prædationibus, rapinis, homicidijs, regicidijs, perduellionibus, nam authores horum ſcelerum dicerent his non obſtantibus, ſe per fidem in Chriſtum tantum eſſe iuſtos, & ſaluandos, adeoque obſeruantiam mandatorum eſse ſuperfluam.

Aſsertio quarta. In ſola Romana eccleſia datur vera ſalus, & fides. Iſta iam ſatis patet ex dictis: nam ex tota hac 2. parte conſtat ſolam Romanam, eſſe veram Chriſti eccleſiam, cum ipſa ſola ſit vna, Sancta, Catholica, & Apoſtolica eccleſia: ſed in vera Chriſti eccleſia datur vera fides, & ſalus; atqui ſola Romana eſt vera Chriſti eccleſiã: ergo in ſola Romana, eſt vera fides, & ſalus. Item extra veram Chriſti eccleſiam nulla datur vera fides, aut ſalus: ſed ſola Romana, eſt vera Chriſti eccleſia: ergo extra Romanam eccleſiam non datur vera fides, aut ſalus. Quare ſicut vna tantum eſt eccleſia, adeoque vnica Religio, vt vnus Deus, vnus Chriſtus, vna fides, vnum baptiſma, vna fideliũ congregatio, quæ Deum verum, eo colit modo, quo ipſe vult ab hominibus coli: ita falſum eſt dari plures eccleſias diuerſæ fidei, & religionis, in quibus ſit vera ſalus; adeoque falſiſ-

ſimum

ſimum eſt quemlibet in ſua religione ſaluari poſſe; aut ſufficere credere in Chriſtum tantum, cum præterea requiratur, & quod ſit membrum Eccleſiæ (*Quam, qui non audierit, erit ſicut Ethnicus, & publicanus*) & quod exerceat bona opera.

Opponunt ſectarij ſuam ignorantiam inuincibilem. Contra 1. quia ipſi impugnant catholicos, vel ergo cognoſcunt id, quod impugnant, vel ſunt ſtupidi, quod impugnent, quod neſciunt. Contra 2. vel iſti inuincibiliter ignorantes obſeruant legem naturæ, vel non? ſi primum illuminabuntur, vt conſtat de Cornelio Centurione Act. 10. Lydda. Act. 16. Eunucho Act. 8. Si ſecundum, damnationi ſe exponunt; eo quod non obſeruent eam legem, quæ omnibus eſt nota, quam ſi obſeruent vtique Deus de medijs ſalutis eis prouidebit, ut prouidit ſupradictis. Vnde ſequitur iſta catholica poſitio.

Eccleſia Romana, ſeu Pontificia antiquitate ſua uenerabilis eſt, & fundata, ac firmata, ſanctitate uero, Catholiciſmo, ſeu ſua per orbem diffuſione, conuerſione infidelium, ſtabilitate, concordia in rebus fidei, miraculis, ipſo denique pontificiæ nomine, tam illuſtris eſt, & conſpicua, ut nemo prudens ambigere poſſit eam eſſe ueram, ac indubitatam Chriſti Domini eccleſiam, extra quam non eſt ſalus.

Proinde eidem Sanctæ Romanæ eccleſiæ matri, & magiſtræ omnium eccleſiarum, omnia quæ in præſenti opere continentur, meque ipſum ſubmitto ego.

Fr. Franciſcus Porterus.

INDEX

INDEX.

Rerum Notabilium.

A *Catholici an poſſint ex ſuis principijs probare ſua dogmata a pag.* 11.*vſque ad pag.*17.

Articulos ſuos ſpeciales an poſſint probare ex ſcriptura 27. *ad* 30.

Authoritas quot duplex 274. 275.

Authoritas quam tuta, & neceſſaria pro acquirenda veritate 199.*ad* 203.

Authoritas Eccleſiæ regula credendi 342.

Apoplexia hæreſis 125. & 152.

B *Aptiſmus, materia, forma, miniſter* 530.

Beza qualis 424.

Blaſphemiæ hæterodoxorum in Deum, & Chriſtum 130 *ad* 138.& 167. *ac* 251.

C *Aluinus qualis* 423.

Canonizatio quid 590.

Catholiciſmus quid 379.425.472.

Certitudo quotuplex, cauſa, effectus 3. *ad* 62.

Certitudo moralis quid, & an ſufficiens ad fidē 63.& 64

Cælibatus Eccleſiaſticus 535.

Chriſti merita 611.

In Chriſtum credere tantū an ſufficiat ad ſalutem 633

Circulus implicatorius 22. & 322.

Communio Sanctorum 612.

Concilia generalia, eorum, conditiones, & infallibilitas 273.*ad* 302.

Confirmationis Sacramentum 532.

Conſilia Euangelica 583.

Crimina omnia quomodo licita ex principijs ſectariorum, paſſim 100. *ad* 119.

D *Amnati & prætenti reformati quomodo pares* 141

Deus an ex principijs ſectariorū ſincere agat cū Humano genere 138.

Deo

Deo an ex iiſdem principiis ſeruanda fides 143.
DefinitionesEccleſ.quibus regulis innituntur 272.293
Doctrina reuelata quid requirat 330. *ad* 338.
Eccleſia quid 203.
In Eccleſia inquirenda quid reflectendum. 204.
Eius exiſtentia, & fundatio 207. *illius viſibilitas* 209 *ad* 216.
Eccleſiæ indefectibilitas 217.*ad* 227. *eius vnitas ibid.*
Eccleſiæ infallibilitas 242. *ad* 270.
Effugia ſectariorum 30. 37.& 287.
Euchariſtiæ ſacramentum 546.*ad* 576
Examen priuatum an regula credendi 83.603 *ad* 313.
Extrema vnctio 533.
Fides quid, & quot duplex 579.
Fidei certitudo, ac cæteræ proprietates 2.*ad* 8.
Fidei vnitas quid 196. 197. 363.
Fides ſola quomodo excludit virtutes Chriſtianas, legis obſeruantiam, Dei timorem, & cultum 85.*ad* 99.
Fidei duplex obiectum 338. *fidei reſolutio* 360.
Fraudes heterodoxorum in ſuis articulis probandis 28 *ad* 32.& 39. *ad* 43.
Gratia ſanctificans ſuperflua in iuſtificatione ſecundum ſectarios 90.& 147.
Hæreſis quomodo ex ſuis principiis, nullitatis conuincitur 9. *ad* 73. & *a pag.*158. *ad* 183.
Idololatria quid 567. *Quomodo ab ea immunes Catholici ibidem* & 597.
Illuminatio quot duplex 270.
Imagines ſacræ colendæ 601.
Imperatores quid præſtare poſſint in conciliis generalibus 274.275.
Indulgentia quid 610.
Infallibilitas ſiue priuilegium non errandi, quid, & quot duplex 243.
Infallibilitas Eccleſiæ 243. *ad* 270.
Infallibilitas conciliorum generalium quid 270.
Iudicium præuium ad fidem 65. & 651.
Interpretis neceſſitas pro ſcriptura 328.

Iu-

Iuſtificatio a 577.
Iuſtificatio prætenſæ reformationis titubat a 162.

L*Abyrinthus implicatorius* 70. & 159. *ad* 159.
Lex diuina obſeruabilis 104.
Lutherus qualis 178. 179. 423.
Libertas prætenſæ reformationis credendi & non credendi quodlibet pro libitu a 170.
Item credendi & non credendi quod voluerit circa myſteria noſtræ redemptionis, & Eucharistiæ a 272.
Item circa ſacramenta baptiſmi, pœnitentiæ, & matrimonij 174.
Circa cælibatum 176.
Circa ſalutem 177.
Item reſuſcitandi veteres hæreſes 181

M*Agiſtratus Eccleſiæ* 384.
Mahometum quomodo Chriſto coæquant ſectari 133.
Matrimonij ſacramentum, & vinculum 531. & 532.
Merita bonorum operum 586.
Miraculorum donum nota Eccleſiæ 377. & 465.
Monarchiæ regimen optimum 389.
Mores corrupti compatibiles cum integritate fidei & doctrinæ 296.
Motiua credibilitatis a 616.

N*Egatiui articuli quales* 29. 30. 31.
Negatiui articuli probandi 32. *ad* 35
Nodus indiſſolubilis 119.

O*Pera bona* 586.
Opinio quid 47.
Ordinis ſacramentum 534.

P*Apa.* Vide infra *Romanus Pontifex D. Petri primatus* 391. *ad* 416.
Primatus eiuſdem prærogatiuæ 514.
Priuilegium non errandi vide *infallibilitas*
Principes ſæculares, an debeant regere Eccleſiam 408.
Propoſitio doctrinæ reuelatæ 330.
Proponens remotus, & proximus 336.
Purgatorium 606.

Quæ-

QVæſtiones duæ inter Chriſtianos celebres, 303. & 326.
REformationis præcipitium 158.
Reformationis principia contra ſcripturam 164
Item contra lumen naturale 167. blaſphema 168.
Regimen quid, & quot duplex 384.
Regula credendi 302.
Religio quid, & quotduplex 189.
Religio vera datur in mundo 190.
Poteſt inueniri 194.
Religiones omnes non ſunt veræ 196.
Religiones veræ quærendæ quis optimus modus 199. in ea quærenda, quid reflectendum 204.
Religio prætenſa reformata, ex proprijs principijs nullitatis conuicta 9. ad 77. & 158. ad 185.
Religio reformata non eſt vna, Sancta, Catholica vel Apoſtolica 420. & 448.
Religionis reformatæ principia, quomodo proſcribunt media ſalutis 77. ad 125.
Religionis reformatæ dogmata quam pernicioſa.
Regibus, rebuſpublicis, communitatibus 114. ad 119.
Religionis eiuſdem iuſtitia, iuxta ſua principia compatibilis cum quibuſuis peccatis 106. ad 114.
Religio eadem excludit obſeruantiam legis, & Dei cultum 91. & 95.
Eius profeſſores Sancti, modo minus mali, quam diabolus 107. ad 117.
An in ſua religione quiſque ſaluetur 631.
Reformati Caluiniſtæ ex ſuis principijs ſunt ſimul, & non ſunt iuſti 119.
Prætenti reformati in hora mortis cuius Dei, vel regni hæredes 149.
Reliquiæ colendæ 602.
Romana eccleſia ſola vna, ſancta, Catholica, & Apoſtolicæ 448. ad 526.
Romanæ Eccleſiæ prærogatiuæ 514.
Romana Eccleſia conformis primitiuæ 526. ad finem.
Romani Pontificis authoritas electio, prærogatiuæ 515. & 525.

S Acrificium miſſæ 569. ad 576.
Sacramenta aplicant merita Chriſti 527.
Eorum numerus, & inſtitutio 528.
Salus in vera Eccleſia 630.
Salus nulla extra Eccleſiam ibidem.
Salus æterna quomodo proſcripta 81. ad 125.
Sanctorum inuocatio 568.
Satisfactio quid 543.
Scriptura quid 303.
An ſola regula credendi 313.
An indigeat interprete 326.
An probet ſeipſam eſſe diuinam, integram 11. ad 24.
Scripturam ſe ſola non ſufficere 158.
Scrutinium priuatum an regula credendi 306.
Spiritus priuatus an regula credendi 321.
Spiritus Sanctus quomodo adeſt concilijs 272.
Succeſſio Apoſtolica 489.
An eam habeant ſectarij 440. 444.
T Raditiones quid, & quam neceſſariæ 326.
Tranſubſtantiatio 554.
V Otum quid 141. Deo reddendum ibidem.

FINIS.

ROMÆ,
Typis Dom. Ant. Herculis. 1687.
Superiorum permiſſu.

005649625

Digitized by Google